Hungaria.


Pub. Pol..

Jus.

<36620947940019

<36620947940019

Bayer. Staatsbibliothek



PERILLUSTRIS DOMINUS PAULUS IOSEPHUS a RIEGGER
Eques I.V. Doctor S.C.R.A.M. Consiliarius aulicus actualis apud Cancellariam Bohemicam et Austriacam Juris ecclesiastici in celeberrima universitate Vindobonensi Professor publ: ordin: ac studii juridici in utraque nobilium Academia Theresiana et Sabaudica Director.
Natus Friburgi Brisgoviae. anno 1705. die 29. Junii.

SPECIMEN
CORPORIS IVRIS
ECCLESIASTICI INCLYTI REG. HVNG.
ET PARTIVM EIDEM ADNEXARVM
IN
QVINQVE LIBROS SECVND. ORD. DECRETALIVM
GREGORII IX. P.
DIGESTI, ET COORDINATI
A
PERILLVSTRI, AC CONSVLTISSIMO VIRO
PAVLO JOS. DE RIEGGER
EQ. S. R. A. M. CONSIL. AVL. ACT.
IN ANTIQVISS. ET CELEBER. VNIVERS. VINDOB.
JVR. ECCLES. PROF. P. O.

PARS I.



VINDOBONAE,
TYPIS IOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CAES. REG. AVLAE TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

PRAEFATIO

DE

NECESSITATE IVRIS PVBLICI ECCLESIASTICI.

E Iuris publici eccleſiaſtici, quanta ſit in diſciplinis canonicis ea, qua par eſt, ratione exponendis neceſſitas, ſuperuacaneum fortaſſe cuipiam videri poteſt, diſſerendo explicare. Quid enim adtinet longa, atque meditata oratione docere, quod nemo ignorat omnium? Ego vero experiundo

didici, negligentius paſſim hanc, de qua dicere inſtitui, iurisprudentiae partem a plerisque omnibus praetermitti, quam vt aequo animo ferre poſſint ii, quibus de meliori luto finxit praecordia Deus. Quotus enim quisque eſt iuris canonici interpres, ſi PETROS DE MARCA, ſi ESPENIOS, ſi FLEVRIOVS, ſi alios huius numeri paucos demas, qui in ea excolenda magnopere verſatus ſit? Et vero fatendum eſt tamen, praecipuum hermeneuticae eccleſiaſticae fundamentum in hac diſciplina ſitum eſſe.

De quo antequam expono, id mihi datum eſſe negotii video, vt, quid iuris publici eccleſiaſtici adpellatione intelligam, perſpicue explicem. Atque in principio quidem nemo ignorat, Eccleſiam eſſe hominum quamdam multitudinem diuini cultus cauſa conſociatam, id eſt, *ſocietatem*, in qua ſint, qui regimini, et quaſi cuidam ceterorum directioni praeſint, alii, qui ad normam ab his praeſtitutam eam actio-

num

num honeſtatem conſectentur, quae religionis chriſtianae ſanctitate, maieſtateque cultus diuini haud ſit indigna. Ex qua Eccleſiae notione duas eſſe iuris eccleſiaſtici poſitiones *publici*, et *priuati* haud difficulter intelligi poteſt. Ac prior quidem illa circa ſtatum Eccleſiae verſatur, et ius ſocietatis ſacrae in vniuerſum: hæc autem poſterior ius ſingulorum membrorum Eccleſiae concernit. Vtramque porro partiri ſoleo in *vniuerſalem*, quae de iuribus exponit ad vniuerſam chriſtiani coetus multitudinem pertinentibus, et *particularem*, quae in iuribus certae alicuius Eccleſiae conſtituendis occupatur, et varia eſt pro varietate iurium, quibus vnaquaque Eccleſia ſibi propriis vtitur.

Praeter hunc autem, qui inter membra Eccleſiae intercedit, nexum, quem *internum*, vocare ſoleo, non eſt praetermittendus alter, qui ex habitu Eccleſiae cuiusque particularis ad ciuitatem oritur. Quamquam enim religio, ſiue etiam naturalem

ſpe-

ſpectes, ſiue a Deo generi humano reuelatam, imperio eius, qui in ciuitate prineipatum tenet, ſubiecta non ſit, quia tamen homines illius gratia vniti ſocietatem conſtituunt in territorio ciuitatis exiſtentem, nihil maieſtate religionis indignum, nihil ab eius veneratione alienum docent, qui rectoribus ciuitatum id officii impoſitum eſſe contendunt, vt non modo curam religionis gerant pro ſua auctoritate maximam, ſed et operam dent, ne religionis praetextu aliquid detrimenti capiat reſpublica. Cuius quidem officii explendi cauſa, quin varia eisdem iura competant, ne dubitari quidem cum ratione poſſe plane contendo. Quorum iurium complexum, quin *iurisprudentiae publicae ciuilis* partem faciam, quid eſt tandem, quod impediat? ſunt igitur iuris publici eccleſiaſtici duae ſpecies, *alterum* INTERNUM, EXTERNUM *alterum*: quod poſterius ex habitu Eccleſiae ad rempublicam proficiſcitur. Haec de notione huius iuris dicta ſunto.

Iam de vſu eius, atque adeo neceſſitate breuiter. Iuriſprudentiae eccleſiaſticae ſoli-

dam

damillam, atque viro erudito dignam, publicaeque olim vtilem futuram cognitionem, qui ſibi comparare deſiderat, is neſcio, an id, quod cupit, adſequatur, ſi ea, quam vulgo tradunt, decretalium compilatione contentus, nihil ſibi reliquum eſſe opinetur, in quo diligentiam ſuam exerceat. Errat, quisquis hoc ſibi perſuaſerit. Altius repetenda eſt maſcula illa iuris noſtri prudentia, quam vt anguſtis his limitibus includatur. Ducendum eſt initium iam inde ab origine Eccleſiae, et ad hanc usque memoriam, quid quaeuis noui aetas adtulerit, pernoſcendum. Inquirendum eſt in originem cuiusuis inſtituti, eius auctorem, atque vſum, ſi certi quid in obuiis rerum momentis pronunciare eſt animus. Atque vt ne a propoſito argumento diſcedam, quid ſani expectes ab eo, qui neglecta Eccleſiae interna conſtitutione ad iura illius eruenda ſeſe confert? Non plus certe, quam ſi quis, nulla facta de origine ciuitatum, atque cauſa diſquiſitione, nihil de conſtitutione eius, nihil de regendi ratione ſollicitus, determinandis reipublicae iuribus

)(4 ſtul-

ſtultam impendat operam. Eodem mihi in errore verſari videntur, qui haec noſtra iſto tam neceſſario deſtituti ſubſidio adgrediuntur imprudenter, impudentius proſequuntur. Eum tu putas recte in interpretandis canonum inſtitutis verſari poſſe, qui, quae ſint primatus eccleſiaſtici iura, quae Patriarcharum poteſtas, quae Metropolitarum, atque Epiſcoporum in Eccleſiis ſuis auctoritas, aut ignorat penitus, aut nonniſi ſparſim lecta, et quaſi olim in ſomnio viſa recordatur? Quid de his iuris capitibus ſtatuet, quae ſynodi alicuius, ſeu generalis, ſeu particularis auctoritate nituntur, qui haec, quanta eſſe debeat, ſcit iuxta cum ignariſſimis. Atque haec ſunt iuris publici eccleſiaſtici, quod ſuperius *internum* adpellaui, praecipua capita, in quibus pleriſque tot ſunt interpretum, tamque variae hallucinationes, vt eis emendandis, corrigendisque eruditiſſimorum, ſolertiſſimorumque hominum nondum ſuffecerit induſtria.

At

At illud, quod ex habitu Ecclesiae ad rempublicam oriri modo indicaui, quodque mihi ius Ecclesiae publicum *externum* dici commode visum est, multo etiam magis, atque nescio, an perniciosius negligitur. Quod si enim antiquissima Ecclesiae tempora memoria repeto, funestissimosque casus, qui respublicas non magis, quam Ecclesiam Christi ob enatas inter utriusque societatis rectores contentiones adflixerunt, veteribus memoratos lego, non ego erraturum puto, qui dixerit, nullam vnquam grauiorem Ecclesiae incubuisse pestem, quam est ea, quam disciplinis canonicis intulerunt ii, qui sanctissimis Principum iuribus vim inferre temerario ausu conati sunt. Hi namque quantum quidem in eis erat, duarum potestatum, quas conditor huius vniuersitatis DEVS ad stabiliendam generis humani felicitatem nobis largitus est, alteram subtraxerunt Ecclesiae, quo maiori cum impunitate grassari in eam cuique liceret; Et quum nulla non aetas suos haberet heroas, quum ciuitatum Rectori-

)(bus

bus nunquam deessent, qui defendendis eorum iuribus praecipue in tanta omnis antiquitatis consensione pares essent; itaque illi quidem maiestatem Principum arctioribus semper limitibus circumscribere, ac veluti contentim habere, hi contra eandem sanctam esse debere, atque inuiolabilem magno animo contenderent, fieri non potuit, quin dissensu ipso Ecclesia non occideret quidem illa, id, quod ne fieri quidem posse CHRISTI oraculo nobis certum est, sed vehementer tamen labefactaretur.

Quae quum ita sint, ecquis est, qui, quam necessaria sit juris ejus adcurata cognitio, quo Principes ciuitatum circa sacra utuntur, non intelligat? Quare dici non potest, quam vtilem, quam viro erudito dignam, quamque sibi ipsis honorificam adgressi sint prouinciam ii, qui in regundis vtriusque potestatis limitibus elaborarunt. Quorum laudanda in primis opera, cur adhuc eam, qua digna sunt, auctoritatem nacta

non

non ſint, non principiorum ambiguitas, non fluxa fides teſtimoniorum, ſed fortuna impedit, quae ſe libenter rebus humanis omnibus immiſcet. At non eſt ea de cauſa deſiſtendum nobis ab excolenda ea iuris parte, quae quo futura eſt elaboratior, eo propiorem nobis ſpem facit, fore, vt efloreſcat aliquando tranquillus ille nitor, quem in Eccleſia CHRISTI optimus quisque exoptat.

Jura autem illa Principum circa ſacra quaenam ſint, non eſt nunc mihi animus inquirere. Eſt id a me alio loco praeſtitum copioſe. Suntque illa ita conteſtata, vt nulla fuerit unquam natio, nullum regnum, cuius ſi res geſtas vel leui adtentione percurreris, in quo non illuſtria eorum documenta, atque copioſa reperias. Atque vt de aliis nihil dicam: Inclytum Vngariae regnum quum intueor, nullum eorum iurium, quae ſupremis ciuitatum rectoribus tribuenda eſſe ratio docet, & antiquitas, reperias, quod non cumulate a

Re-

Regibus eius exercitum fuiſſe indubitate probari poſſit. Nihil de celebri illo Eccleſiarum Antiſtites *nominandi* iure, quo Reges Vngariae iam inde a prima religionis Chriſtianae in hoc regno origine gaudent, dicam, quid enim dici de eo poteſt, quod non multo ante vir doctiſſimus ADAMVS KOLLARIVS in eo, quem hiſtoriam diplomaticam iuris patronatus Regum Vngariae inſcripſit, libro docuiſſet? Nihil de memorabili ad poſteritatem in tuenda religione Regum fortitudine, ac pietate, cui ortum quoque illa ſuum in acceptis refert, nihil de ſingulari prudentia, qua ortis cum Sede Romana controuerſiis ita in iuribus coronae defendendis verſati ſunt, vt nec pietatem, qua primam Sedem nunquam non venerati ſunt, laederent, nec quidquam eis concederent tamen, quo Maieſtas regni diminueretur, commemorem. Illud quale eſt, quod in cogendis, quum Eccleſiae ſtatus exigebat, ſynodis regni ſtudium exhibuerunt? imitatione, credo, Regum Franciae, quorum cano-

nicis

nicis ſanctionibus pleni ſunt capitularium libri. Pari ſane ratione a Regibus noſtris factum eſſe, conſtitutiones eccleſiaſticae S. STEPHANI, ANDREAE, LADISLAI, COLOMANNI, ceterorumque a PETERFIO editae teſtantur. Synodos autem a Regibus fuiſſe coactas non minus dubitare licet, quam id olim Reges, Franciae, Germaniaeque factitaſſe nouimus: Vnum, ſed illuſtre non minus, & antiquum teſtimonium adferam, *Synodi Szabolchenſis* ſub LADISLAO Rege celebratae: cuius haec ſunt in praefatione: *Regnante Creatore, & Saluatore Domino noſtro Ieſu Chriſto, anno Incarnationis ejus milleſimo nonageſimo ſecundo. XII. Kalendas Iunii in ciuitate Szabolch S. Synodus habita eſt, praeſidente Chriſtianiſſimo Vngarorum Rege Ladislao, cum uniuerſis regni ſui Pontificibus, & Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus, cum teſtimonio totius cleri & populi.* Quae, quum lego, videor mihi plane videre conuentus publicos olim a Franciae Regibus celebratos, quorum omnino ſimilem fuiſſe ratio-

tionem eius regni ſcriptores tradiderunt: *Adſuiſſe in his conuentibus*, inquit STEPHANUS BALLVZIVS *Lib. VI. Capitul. cap.* CCCLXXI. *conſtat Epiſcopos, & ceteros fideles, id eſt, Abbates, Duces, Comites, ceteros, vt patet ex praefatione ſecundi Capitularis anni 779. ex praefatione ſecundi Capitularis anni 813. eſt praefatione tituli 34. Capitulorum Caroli Calvi, & ex multis aliis locis. Quare recte obſeruatum eſt ab eruditiſſimo viro Franciſco Florente in diſſertatione juris canonici adhibitos per ea tempora in conſilium Regum fuiſſe Epiſcopos una cum regni Proceribus in conuentibus publicis, qui a Regibus noſtris indicebantur, in quibus Conciliorum ſanctiones examinabantur; res ad eccleſiaſticam politiam ſpectantes, ordinabantur, & ad omnium utilitatem capitula ſeu leges promulgabantur omnium ordinum conſenſu.* Hactenus mores regni Vngariae cum hoc Franciae vſu conſentiunt, vt verba: *cum vniuerſis regni ſui Pontificibus, & Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus*, manifeſte produnt. Nec minus quae de confirmatione ſanctionum, & examine notauit FRANC. FLO-

FLORENS, & probauit BALLUZius, in Vngaria obtinuiſſe conſtitutiones eccleſiaſticae COLOMANNI Regis docent, id, quod eruditiſſimus PETERFIVS adcurate animaduertit. Quid autem ſibi volunt illa: *cum teſtimonio totius cleri & populi?* Hic quoque mos Francia emanaſſe videri poteſt: ita enim BALLUZIUS *in praefat.* Capitularium libris praemiſſa: *itaque poſtquam capitula conſtituta erant a Principe, legebantur coram populo, & poſtquam omnes conſenſerant, nouis capitulis omnes ſubſcribebant. Quod ea de cauſa fiebat, ut opinor, ne lex, quam populus acceperat, perrumpi poſſet, ut res omnium conſenſu laudata, ſingulorum manibus roborata nullam inpoſterum contradictionem pateretur, nullis repugnantium querelis obnoxia eſſet.* Sed non eſt mihi mens cauſam hanc nunc quidem perorare, ſatis certus, grauiorem eam eſſe, quam ut paucis pagellis pro dignitate illuſtretur. At, quae me cauſa ad concinnandum hoc iurisprudentiae eccleſiaſticae regni Vngariae ſpecimen compulerit, quaeret fortaſſe non

ne-

nemo? Dicam breuiter. In gratiam Auditorum meorum edidi *corpus iuris publici*, *& ecclesiastici Germaniae*, item *Corpus iuris ecclesiastici Austriaci*. Quum autem essent inter eos non pauci natione Vngari, an minus horum mihi ratio habenda fuit? Ecce tibi speciminis huius causam. Quam vellem, utilem hunc laborem aliquis in se susciperet, & ea, quae par est, ratione exequeretur.

SPE-

SPECIMEN CORPORIS IVRIS ECCLESIASTICI INCLYTI REGNI HUNGARIAE, REGNORVMQUE, ET PARTIVM EIDEM ADNEXARVM.

In Libros Quinque

Servato Decretalium Greg. IX. P. ordine diggesti et coordinati.

LIBER I.

TITVLVS I.

De Summa Trinitate, et fide Catholica.

Capitvlvm I. S. Stephani I. Regis Hungariae. Eſt decretum ſeu potius monitum paternum ad Emericum Ducem eius Filium, quod exſtat in Lib. I. Decretorum S. Stephani C. I. et in Corpor. Iur. Hungarici Tom. I. f. 124.

De obſeruanda Catholica fide.

Quoniam ad Regalis dignitatis ordinem non oportet niſi fideles, et Catholica fide imbutos accedere; idcirco *ſanctae fidei* in noſtris mandatis *primum* damus *locum.*

§. 1. Inprimis praecipio, conſulo, ſuadeo *Fili chariſſime!* ſi Regalem cupis honeſtare coronam, vt *Fidem Catholicam, et Apoſtolicam*, tali diligentia, & cuſtodia conſerues; vt omnibus tibi a Deo ſubiectis exemplum praebeas: cunctique Eccleſiaſtici viri, merito te verum Chriſtianae profeſſionis nominent virum: ſine qua, pro certo ſcias, Chriſtianus non diceris, vel Eccleſiae filius.

§. 2. Qui enim falſe credunt, vel fidem in bonis non implent, et ornant operibus (quia fides ſine opere moritur) nec hic honeſte regnant, nec in aeterno regno, vel corona participant.

§. 3. Si vero ſcutum retines fidei; habes etiam galeam ſalutis His quidem armamentis contra inuiſibiles, et viſibiles legitime dimicare poteris inimicos. Nam ait Apoſtolus: *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit.*

§. 4. Fides ergo, de qua loquor, haec eſt: vt Patrem Deum omnipotentem, factorem totius creaturae, et vnigenitum eius filium, Dominum noſtrum Ieſum, de Maria

virgine Angelo annunciante, natum, et pro totius mundi salute in crucis patibulo passum: Et Spiritum sanctum, qui per Prophetas, et Apostolos, et Evangelistas locutus est, vnam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse, firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) *nisi quis fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.*

§. 5. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam, (quod absit) qui hanc collationem sanctae Trinitatis diuidere, vel minuere, siue augere conabuntur; hos ipsos scias esse haeresiarchae seruos, & non sanctae Ecclesiae filios.

§. 6. Tales vero nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus, et fautor. Huiusmodi enim viri, sanctae fidei filios omnino reddunt morbosos, et istam nouellam sanctae Ecclesiae plebem, miserabiliter destruunt, ac etiam dissipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura.

II. EIUSDEM Decret. c. 2. ibid. fol. 124. seq.

De Ecclesia, et continendo ecclesiastico statu.

In Regali quidem palatio, post fidem, Ecclesia secundum tenet locum a capite nostro, scilicet CHRISTO prius seminata, de-

inde per eius membra vtique Apoſtolos, ſanctosque Patres transplantata, et firmiter aedificata, atque per totum orbem diffuſa.

§. 1. Et quamuis ſemper nouam pariat prolem, in certis tamen locis, quaſi antiqua habetur. Haec autem, fili chariſſime! in noſtra Monarchia adhuc quaſi iuuenis, et nouella prædicatur, atque idcirco cautioribus, euidentioribusque eget cuſtodibus, ne bonum, quod diuina clementia per ſuam immenſam miſericordiam nobis conceſſit immeritis per tuam deſidiam, et pigritiam, atque negligentiam deſtruatur, et annihiletur.

§. 2. Nam qui minuit, aut foedat ſanctae Eccleſiae dignitatem, ille CHRISTI corpus mutilare nititur. Ipſe enim DOMINUS dixit PETRO, quem cuſtodem, Magiſtrumque eidem poſuit ſanctae Eccleſiae. Tu es PETRUS, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam. Se ipſum quidem nominabat petram, verum non ligneam, vel lapideam ſuper ſe aedificatam Eccleſiam dixit, ſed populum adquiſitionis, gentem electam, diuinam, grege fide doctum, Baptiſmate lotum, chriſmate vnctum, ſanctam ſuper ſe aedificatam Eccleſiam dixit, et adpellat.

§. 3. Si quis infelix huius ſanctae Eccleſiae membra, vel paruulos ſcandalizat, iuxta Euangelii praeceptum dignus eſt, vt mola ſuſpendatur aſinaria in collo eius, et demergatur in profun-

fundum maris, id eſt, deiiciatur de dignitatis poteſtate, et maneat extra Eccleſiam iuſtorum, in illa mundiali miſeria, ſicut ethnicus, et publicanus.

§. 4. Ac per hoc, fili mi! feruenti ſtudio debes inuigilare in ſancta Eccleſia de die in diem, vt potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur. Inde etiam inprimis *Reges*, et *Auguſti* dicebantur, quia augebant Eccleſiam. Hoc et tu facias, vt tua corona laudabilior, et vita beatior, et prolixior habeatur.

III. EIUSD. Decret. Lib. II. Cap. 12. f. 128.

De obſeruanda Chriſtianitate.

Si quis obſeruatione Chriſtianitatis neglecta, et negligentiae ſtoliditate elatus, quid in eam commiſerit, iuxta qualitatem offenſionis ab Epiſcopo per diſciplinam canonum iudicetur.

1. Si vero rebellitate inſtinctus, renuerit ſibi impoſitam ſufferre poenam, iterum eodem iudicio reſtringatur, etiam vsque ſepties.

2. Tandem, ſi per omnia reſiſtens, et abnuens inuenietur, regali iudicio, ſcilicet defenſori Chriſtianitatis tradatur.

IV. ANDREAE I. Hung. R. Conſtitutio Eccleſiaſtica circa annum 1048. ap. PETERF. in collect. concl. Hungar. P. 1. fol. 13.

Omnes Hungari et Peregrini in Hungaria deposito ſcythico gentili et ethnico ritu ad veram Ieſu Chriſti fidem redeant, eamque ſub poena capitis et omnium bonorum recipiant.

I. Vt quicunque Vngarus, ſeu peregrinus in Vngaria depoſito ſcythico gentili, et ethnico ritu ad veram Ieſu Chriſti fidem illico non rediret, ad veram, ac ſacram legem a Diuo Rege Stephano traditam non reciperet, capite, et bonis mulctaretur. Ciuitates, Oppida, villae, templa demolita, dirutaque reficerentur.

II. Pontifices, et collegia Sacerdotum, priſtino more obſeruarentur, et illis parerent.

III. Ritus omnes Chriſtiani reuocarentur.

IV. Profanas, et ſcythicas ceremonias, falſosque Deos abrogarent, et ſimulacra demolirentur.

V. Si quis Deo, Sanctisque eius, et Sacerdotibus malediceret, aut in eos mali quid patraret, Dei primum, tum vindictam ſuam incurſurum ſe ſciret.

VI. Qui vero conſtitutionem hanc contemneret, et ei animo reluctaretur, capitis, et omnium rerum reus eſſet, edixit.

V. EX SYNOD. STRIG. Nat. Sub COLOMANO Rege 1114. cap. 7. ap. PETERFIVM Parte 1. fol. 55.

Ne

Ne ritus gentilitatis obſeruetur.

Nullus aliquid de ritu gentilitatis obſeruet: qui vero fecerit, ſi de maioribus eſt, quadraginta dies diſtricte poeniteat; ſi autem de moribus, ſeptem dies cum plagis luat.

VI. EX SYNOD. BUD. Nation. habita ſub LADISLAO IV, indicta a Philippo Firmano Epiſcopo Apoſtolicae Sedis Legato A. 1279. apud PETERF. ibid. f. 92. P. I.

LADISLAVS IV. *Rex Hungariae* PHILIPPO *Sedis Apoſtolicae Legato iurato promittit, ſe fidem Catholicam ſeruaturum, curaturumque, vt ea ab omnibus in regno, terrisque ſuis ſeruetur, et a Cumanis relicto idolorum cultu recipiatur, prout illam docet, tenet, et praedicat Romano-Eccleſia Sacroſancta.*

LADISLAVS Dei gratia Vngariae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Seruiae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariae Rex. Omnibus Chriſti fidelibus praeſentes inſpecturis, ſalutem in auctore ſalutis. Diuinae viſitationis effectum, quo nos Dominus verus oriens viſitauit ex alto, quo ſanctae Matris Eccleſiae viſceribus aduniamur, lumine Catholicae fidei illuſtrati, in Progenitore noſtro Sancto Rege Stephano, Sacro-Sanctam Romanam Eccleſiam recognoſcimus, vt debemus. In ipſo enim orthodoxæ fidei, Diuina adflante clementia, ſacrum

redoluit vnguentum, in ipſo alluuione coeleſtis gratiae pullulante, vna cum reliquis Sereniſſimis Regibus Vngariae, claro germine deſcendentibus ab eodem Regni gubernaculum ſuſcipimus, et coronam. Et vt Principatum fidei in Sacroſancta Romana Eccleſia conſiſtere, eandem Chriſti thalamum, et Trinitatis hoſpitium luculentius demonſtraret, non a ſe, vel ab alio, ſed ab eadem Romana Eccleſia, Matre omnium, et Magiſtra, Regni diadema revelatione diuina meruit obtinere: vt ab ea quaſi quodam capite Principali, dona ſua in omne corpus diffunderet lux Diuina, et exortem miniſterii ſe intelligeret eſſe Diuini, qui a Petri ſoliditate recederet deuiando. Et quia nihil eſt, quod lumine clariore praefulgeat, quam in Principe recta fides: cupientes toto mentis adniſu tentoria fidei Dominicae ampliare, eiusdem Sanctiſſimi Regis Stephani Progenitoris noſtri veſtigiis pro modulo inhaerentes: vt in arcam Domini ſub vnitate fidei inter ceteros Cumanorum multitudinem pro parte charactere Dominico inſignitam, ſuſcepto Baptiſmatis Sacramento, quamuis adhuc in via morum errantem, reliquam etiam partem a ritu paganiſmi ad agnitionem Chriſtianae fidei, mediante Venerabili, et Sanctiſſimo Patre Domino Philippo DEI gratia Epiſcopo Firmano, Apoſtolicae Sedis Legato, eius-

eiusque ſancto miniſterio, Domini cooperante Clementia, perducamus, quatenus coeleſte regnum proficiat per terrenum: ſolenniter promiſimus, et iurauimus, quod fidem Catholicam, et Eccleſiaſticam libertatem ſeruaremus, ac teneremus, ac teneri faceremus, & ſeruari in Regno noſtro, et terris noſtris ſubiectis, quodque conſtitutiones, ac decreta Sanctorum Regum Progenitorum noſtrorum, et bonas conſuetudines eorundem: nec non omnia alia, et ſingula, quae noſtri Progenitores in ſua conſueuerunt coronatione iurare, inuiolabiliter ſeruaremus. Venerabilique Patri Domino Philippo Apoſtolicae Sedis Legato, et aliis, quibus ex officio competeret, adſiſteremus debito cum adfectu iurisdictionis, et poteſtatis noſtrae brachio ad comprimendos, et expellendos haereticos de regno, et terris noſtris ſubiectis.

Secundo: Iurauimus in praeſentia praedictorum, quod nouem alios articulos, qui fidem Catholicam, et Eccleſiaſticam libertatem, nec non Chriſtianorum, et Cumanorum ſtatum tangunt, adfectualiter impleremus, et modo ſimili ſeruaremus, ac ſeruari a noſtris ſubditis faceremus. Demum promiſimus, et iurauimus, Venerabili Patri Domino Legato Praefato attendere, et ſeruari facere articulos infra ſcriptos, quos pro cul-

tu iuſtitiae, et vnitate fidei obſeruanda, Vzu, et Tolon Principales Cumanorum pro ſe, et vniuerſitate Cumanorum, quorum vicem, et conſenſum ſe habere dicebant, in praeſentia eiusdem Domini Legati, et noſtra ſolenniter, et publice facturos, et ſeruaturos ſine refragatione qualibet adſumſerunt, et modis omnibus curabimus, et in noſtrum ſuſcipimus officium, et miniſterium Regiae Maieſtatis ſub obligatione Regni noſtri, et noſtra, eosdem Principales Cumanorum, et vniuerſos Cumanos, articulos infra ſcriptos fideliter ſeruaturos; omnem ad hoc, quod tantum ad noſtrum ſpectat officium, curam, et operam impendendo. Qui quidem articuli hoc ordine declarantur: vt ſcilicet vniuerſi Cumani, et ſinguli cuiuscunque aetatis, et ſexus, qui nondum ſunt baptizati, volunt, et deſiderant recipere baptismatis Sacramentum, et ſuſcipere, et tenere omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, et quaecunque alia ſeruanda docet, tenet, et praedicat Romana Eccleſia Sacroſancta: et idolorum cultura, ac omnibus, ac ſingulis paganorum ritibus dimiſſis, et prorſus relictis, ſeruare Catholicae fidei vnionem: et quod deſcendent, et recedent a tabernaculis ſuis, et domibus filthrinis, et habitare, et morari in villis, Chriſtiano more in aedificiis, et domibus ſolo fixis, expreſſius adſum-

ſumſerunt, et conformare ſe in omnibus moribus, et ritibus Chriſtianis promiſerunt expreſſe.

Praeterea in Regno, et terris dominio noſtro ſubiectis ab omnibus inſolentiis, et homicidiis faciendis, ac interfectione Chriſtianorum, et eorundem ſanguine effundendo, retrahent penitus manus ſuas, et in antea nullo vnquam tempore facient, nec patientur fieri huiusmodi aliquatenus per ſuos famulos, et ſubiectos. Praeter haec iidem Procuratores Cumanorum eidem Domino Legato humiliter ſupplicauerunt, quod ipſe Dominus Legatus procuret ordinarie inquiſitores aliquos fide dignos, qui per ſingulas generationes eorum, et generationum gradus, ſibi inuicem quacunque linea attinentes, et per omnes alios ſubiectos eorum inquirant, et ſciant ſuper praemiſſis omnibus, et ſingulis veritatem, quam Domino Legato, et nobis referre, et exponere teneantur; vt is, qui in aliquo praemiſſorum transgreſſor inuentus, poenam Eccleſiaſticam, quam meretur, ab eodem Venerabili Patre, et Eccleſia ipſam recipiat, et per nos temporalis vindictae debitam ſentiat vltionem. Ceterum ſaepe dicti Procuratores Cumanorum procuratoris nomine pro ſe, et pro iisdem Cumanis renunciauerunt, et abdicauerunt omnia monaſteria, Eccleſias, et poſſeſſiones

nes Monafteriorum, Ecclefiarum, et omnium Nobilium, ac ceterorum Chriftianorum, quae, et quas hactenus iniufte, et minus debite occuparunt, et etiam tenuerunt; adferentes eosdem Cumanos, et fe effe paratos ad remittenda, et reftituenda iuxta mandatum eiusdem Domini Legati, omnia, et fingula fupradicta.

Promittimus etiam fub fponfione fidei, et praeftiti iuramenti, ac obligationibus fupra dictis, quod vt praemiffa omnia, et quaecunque alia pro ampliatione fidei Chriftianae, et Ecclefiafticae libertatis, ac fublimatione Regalis folii, et ftatu pacifico regni noftri facienda 20. die poft feftum Beati Joannis Baptiftae duxerit ordinanda, acceptabimus, feruabimus: attendi, et feruari ab omnibus noftrae ditioni fubditis firmiter faciemus. Quae omnia videlicet articulos praenotatos, et alia, quae in praefata conuocatione per ipfum Dominum Legatum fuerint ordinata, et folenniter publicata ad aeternam rei memoriam in noftris fcriptis publicis fub Bulla aurea feriatim redigi faciemus: ac fi redacta, ac bullata: Legato trademus, et tradi faciemus praefato. Quod fi praefatos Cumanos ad praedicta, et fingula obferuanda, et implenda exhortationibus, perfuafionibus, rationibus, precibus forfitan inducere non poffemus: recepimus, promi-

mi-

mifimus, et iurauimus, quod in congregatione praedicta, contra dictos Cumanos, indicemus, et faciemus exercitum generalem de regno, et terris noftris fubiectis: ad quem noftros, et regni noftri inuitabimus, et inuitari faciemus amicos ad compellendum eos per dictum exercitum, et alios quoslibet vtiles modos, brachio regiae poteftatis ad recipienda, facienda, ac etiam obferuanda omnia, et fingula fupra dicta.

Promittimus fub obligationibus fupra dictis, quod eos faciemus dare neceffarios obfides cuftodiendos, et tenendos iuxta regnum, et terram noftram ad mandatum, et praeceptum praefati Domini Legati in loco, feu locis per illum, feu illos, de quo vel quibus eidem Domino Legato videbitur expedire. In quorum omnium teftimonium, memoriam, et notitiam pleniorem, nec non perpetui roboris firmitatem praefentes conceffimus literas, duplici figilli noftri adpenfione, et munimine roboratas. Datum Budae per manus Magiftri Nicolai aulae noftrae Vice-Cancellarii, dilecti, et fideles noftri, Anno Domini 1279. Kalend. Julii, Regni autem anno 7.

VII. EIVSDEM conftit. An. 1280. ap. PETERF. fol. 100. P. I.

Idem

Idem Rex ſtatuit et decernit, vt in regno, et ducatu ac dioeceſi Boſnenſi reliquisque terris iurisdictioni ſuae ſubiectis fide Catholica cum omnibus ſtatutis et legibus contra haereticos per ſanctam ſedem Apoſtolicam editis inuiolabiliter poenis ſancitis contra tranſgreſſores obſeruentur, omnesque ſunt, cuiuſcunque erroris et ſectae haeretici exterminentur.

LADISLAVS Dei gratia Vngariae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Seruiae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, omnibus Chriſti fidelibus praeſentes litteras inſpecturis, ſalutem in omnium Saluatore.

Ad vniuerſorum tam praeſentium, quam futurorum notitiam harum ſerie volumus peruenire: quod nos ad imitationem ſanctorum Progenitorum noſtrorum, cupientes ſanctam fidem Catholicam in regno noſtro miſerante DEO per ipſorum Progenitorum noſtrorum miniſterium propagatam, atque firmatam, euulſis atque deſtructis inde erroribus, eliminatis, atque exterminatis haereticis, cuiuſcunque erroris vel ſectae, qui Eccleſiam, et fidem Catholicam demoliri damnabiliter moliuntur: et ſpecialiter de Ducatu noſtro, ac Dioeceſi Boſnenſi, et quibuſdam adiacentibus terris ſub noſtra iurisdictione, ac Dominio conſtitutis, in quibus

bus diuerſae haeretici prauitatis ſectae, peccatis exigentibus in contumeliam Creatoris, et Chriſtianae fidei opprobrium, noſtrum, et regni noſtri ſcandalum, et infamiam manifeſtam iam dudum miſerabiliter pullulaſſe, et damnabiliter excreuiſſe noſcuntur, per regalis noſtrae auctoritatis, et poteſtatis officium, ac miniſterium dilatari; omnia ſtatuta, conſtitutiones, leges et iura, atque decreta contra haereticos, et haereticam prauitatem quibuſcunque nominibus cenſeantur, per ſanctam ſedem Apoſtolicam edita, accepta, et quomodolibet adprobata, ad requiſitionem, et commonitionem Reuerendi Patris Domini Philippi, Dei gratia Firmani Epiſcopi, Apoſtolicae ſedis Legati, deuoti, deuote recipimus, acceptamus, et etiam adprobamus: praeſenti pagina ſtatuentes, quod huiusmodi ſtatuta, conſtitutiones, leges, et iura, atque decreta in regno, et omnibus terris noſtris ſubiectis, tam per nos, noſtroſque ſucceſſores, quam per Duces, Comites, Barones, Nobiles, Iudices, Officiales, ac populos vniuerſos, regni noſtri, et terrae noſtrae iurisdictioni ſubiectae, perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruentur: decernentes ſtatutorum, conſtitutionum, legum, et iurium, ac decretorum huiusmodi transgreſſores, ſeu violatores, poenis canonicis, atque legitimis in

eiuſ-

eiusdem ſtatutis, conſtitutionibus, legibus, iuribus, ac decretis contentis ſubeſſe, et ſubiacere debere: ipſasque poenas, et alia, quae in eiuſdem ſtatutis, ac legibus continentur: nec non et ſententias, quas auctoritate eorum ferri contigerit, per nos, noſtrosque ſucceſſores, ac regni noſtri Judices, et Officiales, et alios quoſcunque in regno noſtro iurisdictionem habentes, executioni debitae irrefragabiliter mandari debere. Si qui autem huius ſtatuti noſtri transgreſſores extiterint, indignationem noſtram merito ſe nouerint incurriſſe, et regiam ſentiant vltionem. Datum per manus Diſcreti viri Magiſtri Bartholomaei, aulae noſtrae Vice-Cancellarii, Anno Domini 1280. Indictione VIII. Regni autem noſtri VIII.

VIII. ELISABETHAE Reginae Hung. Matris LADISLAI quae ideo MAIOR dicitur, vt ab Eliſabetha Ladislai filii coniuge diſtinguatur (conſtitutio condita An. 1280. ap. PETERF. fol. 101.

Et haec conſtitutio eiuſdem cum priori tenoris pro terris praefatae Eliſabethae Reginae iurisdictioni ſubiectis.

ELISABETH Dei gratia, Maior Regina Vngariae, Duciſſa de Mahu, et de Boſna, omnibus Chriſti fidelibus praeſens ſcriptum inſpecturis, ſalutem in omnium Saluatore.

Ad

Ad vniuerſorum notitiam harum ſerie volumus peruenire: quod cupientes ſanctam fidem Catholicam in Ducatibus de Machou, et Boſna, et in Comitatibus de Poſega, et de Valcon, ceterisue comitatibus noſtrae iurisdictioni ſubiectis, et aliis, quos iuuante Deo nos habere contigerit in futurum, deſtructis erroribus, ac eliminatis, atque deſtructis inde haereticis, qui Eccleſiam ſanctam, et fidem ipſius demoliri, atque deſtruere damnabiliter moliuntur, per noſtrae regalis manſuetudinis, ac poteſtatis, nec non iurisdictionis officium, et miniſterium dilatari: ad requiſitionem, et commonitionem Reuerendi Patris noſtri Philippi, Dei gratia Firmani Epiſcopi, Apoſtolicae ſedis Legati promittimus, et adſumimus per praeſentes, quod omnia ſtatuta, iura, atque decreta contra haereticos, et haereticam prauitatem, quibuſcunque nominibus cenſeantur, per ſanctam ſedem Apoſtolicam edita, aut adprobata, ſeu etiam acceptata obſeruabimus, et ad mandatum ſanctae Eccleſiae Romanae, et per nos etiam ea faciemus a noſtris ſubditis in ducatibus, ceteriſque comitatibus noſtrae Reginali poteſtati ſubiectis inviolabiliter obſeruari: decernentes ex nunc ſtatutorum, et decretorum huiuſmodi transgreſſores, atque violatores per poenas canonicas, atque le-

gitimas compelli, eisque poenis ſubiacere, et ſubiacere debere. Si quis autem contra huiuſmodi ſalubria ſtatuta, et ſanctam ordinationem fidei Catholicae contraire praeſumſerit, iram Omnipotentis DEI, et noſtram indignationem ſe nouerit incurſurum. Vt igitur huiuſmodi ſponſionis, ſeu promiſſionis ſeries robur obtineat perpetuae firmitatis, nec poſſit vllo vnquam tempore in irritum reuocari, praeſentes conceſſimus litteras ſigilli noſtri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Magiſtri Lucae Strigonienſis Eccleſiae Praepoſiti, aulae noſtrae Cancellarii, fidelis noſtri, Anno Domini 1280. 14. Kal. Septembris indictione octaua.

IX. FERD. I. Decret. XI. de An. 1548. Art. 5. & 6. in C. I. H. T. fol. 419.

Religio aut priſtinam normam ſub latis haereſibus per conſtitutos viros eccleſiaſticos redigatur.

Quoad negotium Religionis omnes ordines, et Status regni vna voce ſentiunt, cultum diuinum, et religionem ad priſtinam normam eſſe redigendam, et haereſes vndique tollendas iuxta admonitionem ſuae Regiae Maieſtatis.

Decret. cit. Art. 6.

Id

Id autem recte fieri posse existimant, si omnibus Ecclesiis Praelati, siue sint Episcopi, siue Praepositi, siue Abbates, viri Ecclesiastici, et doctrina praediti quam primum praeficiantur. Qui et ipsi doceant verbo, et exemplo gregem sibi comissum, et vicarios suos ministrosque sibi subiectos, eorum officium exercere faciant.

§. 1. Mittantque sine mora in omnes partes Archidiaconos, vice-Archidiaconos, et alios, quorum interest ad docendam plebem.

§. 2. Quibus si ipsi forte pro se sufficientes non sunt, Praedicatores boni adiungantur, vt vbique vetus Religio, pristinusque Dei cultus restituatur.

§. 3. Parochus etiam in omnibus oppidis, et villis tales constituant, qui veram doctrinam sapiant, et eandem doceant, sacraque administrent iuxta ritum sanctae Ecclesiae Catholicae.

§. 4. Idem etiam Praelati pro facultatibus ipsorum scholas erigant, in quibus bonae litterae, et vera religio doceatur, vt sic indies magis praua dogmata tollantur, et vetus religio repullulet, Praedicatoresque boni per regnum dispergantur.

§. 5. Sacerdotes autem non creentur, nisi probatae vitae, ac doctrinae viri, his sacerdotia ecclesiastica, beneficiaque conferantur.

§. 6. Ipsi autem Praelati penes Ecclesias ipsorum iugiter resideant.

§. 7. Et vnusquisque siue Praelatus, siue alius vir ecclesiasticus vnum tantum beneficium possideat non plura.

§. 8. Si quis Praelatus publicis muneribus occupatus penes Ecclesiam residere non posset, vicarium virum sufficientem, et ecclesiasticum, loco sui continue teneat penes Ecclesiam.

X. FERD. I. Decret. XII. Art. 12. An. 1550. fol. 430. T. I.

Catholicae fidei et ecclesiae euulsis haeresibus omnes ex omnibus Ordinibus et Statibus regni adhaereant.

Porro quod Maiestas sua diserte, simul et pie fideles suos hortari dignata est ad vnionem fidei, et religionis: Agnoscunt in hoc quoque ordines, et Status Regni, singularem in Deum Optimum Maximum Regiae Maiestatis pietatem, et in subditos clementiam.

§. 1. Arbitranturque, secundum benignam, et paternam admonitionem suae Maiestatis, enitendum esse omnibus modis, vt

san-

ſancta, et catholica fides, ac religio, Deique Optimi Maximi *cultus* (iuxta veterem SS. Patrum doctrinam) longo tempore per vniuerſum orbem chriſtianum recepta, atque adprobata, vbique in regno reſtituatur.

§. 2. Euulſisque vndique *haereſibus, et impiis doctrinis; Sanctae Romanae, et Catholicae Eccleſiae* (quae vnica eſt, et ſibi perpetuo conſtans, errare non poteſt) omnes ex omnibus ordinibus, et ſtatibus regni perpetuo adhaereant, ac velut membra in vnum corpus conglutinentur, vt ſic vera, et ſolida animorum coniunctio, vnioque in regno, et exinde Dei Optimi Maximi miſericordia indies magis augeatur.

XI. FERD. I. Decret. XIII. Art. 7. de An. 153. fol. 445. T. I.

Articuli de Religione confecti ab omnibus obſeruentur.

Quod autem ad *negotium Religionis* attinet, ad quam Sacra Maieſtas Regia fideles ſuos clementer hortata eſt, Status, et Ordines breuiter reſpondent.

§. 1. Fuiſſe in duobus proximis conuentibus ex admonitione ſimiliter ſuae Maieſtatis, ſatis in ea re tractatum, et concluſum, tum pro rite exercendo officio Praelatorum, et aliorum eccleſiaſticorum hominum; tum etiam pro obedientia, quae ipſis

ecclesiasticis, ab hominibus secularibus debetur. Super qua eiusmodi conclusione; extare *Articulos confectos*, in quibus articulis ordines, et Status regni, sine augmento, vel diminutione vlla, nunc quoque persistunt.

§. 2. Restare igitur tantummodo, vt sua Maiestas Articulos ipsos, ab vtroque Ordine tam ecclesiastico, quam seculari obseruari curet: Et si altera pars obediens non esset, vel aliquis hos articulos non obseruaret; Maiestas sua secundum praefatos articulos in eos procedat.

XII. FERD. I. Decret. XIV. Art. 7. de A. 1553. fol. 454. T. I.

Religionis et Decimarum negotium relinquitur in statu priori.

Ceterum quod ad *religionem*, *et decimas Ecclesiarum* pro arbitrio Dominorum Praelatorum arendandas attinet, Status, et ordines regni paucis respondent.

§. 1. Sese in his, quae ad religionem spectant, nihil dissentiri ab iis, quae proximis conuentibus super ea re tractata, et conclusa; ac per Sacram Regiam Maiestatem adprobata, et confirmata fuerant. Quemadmodum super his plura in articulis eorundem conuentuum extant conscripta.

§. 2.

§. 2. Quandoquidem, ſi quid etiam in his ipſi vellent innouare; nullam *Comitatuum nuncii* ea de re auctoritatem, ſibi *a ſuis fratribus*, a quibus huc ſunt delecti, conceſſam habent.

§. 3. Arbitrari autem aequum eſſe; vt Praelati, ſecundum contenta Articulorum praedictorum conuentuum, maxime autem Anni milleſimi, quingenteſimi, quadrageſimi octavi, et ſeculares quoque in omnibus officio eorum ſatisfaciant.

§. 4. Si qui autem contra ipſos *Praelatos*, et *Concionatores* ab eis delectos, auſu temerario palam inſurgere, *et ipſos vituperiis, contumeliis, verberibus, aut nece adficere; vel Eccleſias* DEI, in contemtum diuinae Maieſtatis *deſtruere, diripere, prophanare, et ſpoliare; imaginesque in Eccleſiis frangere, aut incendere praeſumerent*; tales comperta rei veritate, pro delicti merito, iure mediante, per eius maieſtatem puniantur; modo, et ordine ſuper his, in Articulis praedicti conuentus *Anni milleſimi, quingenteſimi, quadrageſimi octavi* expreſſo.

XIII. EIVSD. decreti Art. 24. de. A. 1553. fol. 457 T. I.

De librorum haereticorum editione et impreſſione.

Quod vero de editione, impreſſioneque *erroneorum* librorum per Maieſtatem ſuam mentio facta eſt; Status, et Ordines ſupra ea re pro parte ipſorum nihil ſtatuere potuerunt; cum in eorum bonis nuſquam id fieri ſibi conſtare adfirment.

XIV. FERD. I. Decret. XV. Art. 7. An. 1554. fol. 461. T. I.

Religionis in negotio priorum annorum conſtitutiones ſeruentur.

Quantum vero ad religionem attinet.

§. 1. Statutum eſt; vt tam Domini Praelati, et aliae perſonae eccleſiaſticae, quam alii Status ſeculares iuxta priorum conuentuum conſtitutiones ſuperinde confectas ſeſe gerant, et officio vtrique eorum ſatisfaciant.

XV. FERD. I. Decret. XVII. Art. 25. A. 1556. fol. 473.

Religionis negotium.

Ceterum in negotio religionis ſtatutum eſt:

§. 1. Vt iuxta conſtitutiones proximorum Conuentuum tam Domini *Spirituales*, quam etiam *Laici* ſtudeant officio vtrique eorum facere ſatis.

§. 2.

§. 2. Neque alterutra pars in alterius officium ſe ingerat; quemadmodum *pietas in Deum* Optimum Maximum ſane requirit.

XVI. Eivsd. Decret. Art. 26. An. 1556. fol. 473. T. I.

Anabaptiſtae regno eiiciantur.

Statutum eſt etiam, vt *Anabaptiſtae* omnes, de omnium Dominorum bonis, ac Nobilium, ceterorumque poſſeſſionatorum infra ſpatium quatuor hebdomadarum ſub grauiſſimae Regiae Maieſtatis indignationis poena e regno penitus eiiciantur.

XVII. Ferd. I. Decret. XVIII. Art. 10. A. 1557. fol. 481. T. I.

Eccleſiis libertates, immunitates, et priuilegia obſeruentur.

In negotiis ſpiritualibus, et eccleſiaſticis hoc imprimis iuſtum, ac neceſſarium eſſe videtur.

§. 1. Vt, ſicut priuilegia, et libertates omnium regnicolarum obſeruari, et inuiolata eſſe debent; ita etiam *libertates, et immunitates, priuilegiaque eccleſiaſtica* ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, vt Domini Praelati, et reliquae eccleſiaſticae perſonae officio ſuo commodius, et liberius incumbere valeant.

§. 2. Signanter autem *Viſitatores*, *Archidiaconi*, *Vice-Archidiaconi*, aut eorum ſubſtituti in viſitandis Eccleſiis, et dioeceſibus progredientes; libere vbique admittantur, vt ſuum officium exercere, cum omni facultate, et iurisdictione eccleſiaſtica ſecundum priorum Diaetarum conſtitutiones poſſint, et valeant; ſine impedimento, per patronos locorum, ſeu quoslibet alios praeſtando: Et ne prohibeantur inquirere, et punire *vitia*, *prauitatem*, *ſeu delicta Sacerdotum*.

§. 3. De reliquis etiam huiuſmodi rebus, et negotiis eccleſiaſticis, conſtitutiones priores, et praeſertim *Anni milleſimi*, *quingenteſimi*, *quadrageſimi octavi* per omnia obſeruentur, et rata habeantur.

§. 4. Vbi etiam *peruerſiſſima illa Anabaptiſtarum ſecta eliminari debebit*, *iuxta conſtitutiones praemiſſas*.

§. 5. *Plebanis* etiam, et aliis eccleſiaſticis perſonis, cujuſcunque ſtatus, libertas ſua in omnibus obſeruetur: ac inter alia, ne poſt mortem illorum pro ſe occupent, vel accipiant Patroni, res et bona illorum, *ſiue teſtati*, *ſiue inteſtati deceſſerint*: Sed neque etiam Praelati, fratribus ſuperſtitibus eorum, qui deceſſerint, bona huiuſmodi pro ſe occupent.

XVIII.

XVIII. SYNODO Diocesiana Prouinciali habita sub FERDINANDO I. Hung. Reg. A. 1560. C. I. ap. PETERF. fol. 50. P. II.

Quid sit fides.

§. 1. Cum certum sit neminem sine fide, vt D. Paulus ad Hebr. 11. habet, posse Deo placere: cum fides sit vitae Christianae fundamentum, cuius primarium quidem obiectum est ipsa diuinitas, atque humanitas Dei, et Domini nostri Jesu Christi, qui hoc testatur, dicens: Creditis in Deum? et in me credite. Secundarium vero reliqua omnia, quae ad ipsum Deum diriguntur, tanquam ad finem, et rerum omnium auctorem: cumque eadem fide, membra constituamur mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia eius sponsa, mater nostra, in cuius gremio fide quoque retinemur: merito sane ea, quae fidei sunt, singulari animi sinceritate, et reuerentia suscipere, et mordicus retinere, ac summopere venerari debemus.

Quod sola Romano-Catholica tenenda.

§. 2. Quamobrem nihil noui attentantes, sed ipsos fidei articulos, et Ecclesiae Romanae, matris nostrae dogmata, ab ipsis Apostolis accepta per sanctissimum quoque illum gentis nostrae Apostolum, primumque Christianum Regem Stephanum nobis communicata, item Conciliorum Oecume-

nico-

nicorum decreta, ſanctorumque Martyrum, ac veterum Patrum, vt Athanaſii, aliorumque interpretationem, obuiis, vt aiunt, vlnis ſuſcipientes mandamus, vt per totam Dioeceſim noſtram vniuerſa fidei orthodoxae dogmata firmiſſime teneantur, et vbique per eos, quibus hoc negotium eſt a nobis datum, aut alias rite commiſſum, doceantur eo modo, quo illa ab ipſis Apoſtolis, ab vniuerſalibus conciliis, ab ipſa Romana Eccleſia, et ſummis Pontificibus, Chriſti Vicariis, ac D. Petri abſque vlla interruptione ſucceſſoribus, maiores, Patreſque noſtri acceperunt, et nobis per Epiſcoporum ſucceſſionem, quaſi per manus tradita, reliquerunt, ac fideliſſime tradiderunt. Retinete itaque fratres chariſſimi, Symbolum Apoſtolorum, D. Athanaſii, ac Nicaeni Concilii, et ea, quae ad fidei articulos ſpectant, ſecundum antiquam conſuetudinem pie, ac ſanctae docete, nihil a maiorum traditionibus, ab ipſis Oecumenicis Conciliis, doctrinaque fidei Romanae Eccleſiae vlla in re diſcrepantes.

XIX. EX EADEM SYNODO C. XIII. ibid. ap. PETERF. fol. 76.

Quid ſit Eccleſia.

Eccleſia domus Dei eſt, iuxta D. Paulum ad Epheſ. 2. aedificata ſuper fundamentum

tum Patriarcharum, Prophetarum, atque Apoſtolorum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: extra quam nullus magis, quam extra arcam Noë, ſaluus eſſe poteſt. D. Auguſtinus: Quisquis ille eſt, inquit, et qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Extra hanc, neque purum Dei verbum, neque ſanus eius intellectus, neque verus Sacramentorum vſus vſquam alibi inuenitur. Haec vnica illa eſt, teſte D. Cypriano, Chriſti ſponſa vnica, Sancta, Catholica, et Apoſtolica Eccleſia, mater noſtra. Haec ipſa vniuerſitas eſſe dicitur, ſeu viſibilis omnium bonorum, et malorum, Chriſti fidem, atque doctrinam, ſemper vbique terrarum, et gentium profitentium, coetus, in hunc uſque diem, perpetua ſucceſſione, diuino numine continuatus: quem Chriſtus Seruator noſter princeps paſtorum, et primarium Eccleſiae ſuae caput, paſcendum tradidit. atque gubernandum; tum D. Petro Apoſtolo Vicario ſuo, ſummoque ac primo Pontifici Romano, tum ſucceſſoribus eiuſdem, ac legitimis, per rectam, et nunquam interciſam lineam, Chriſti Vicariis, et Romanis Pontificibus Maximis: apud quos diuina inſtitutione vera eſt, et plena ſoluendi, atque ligandi poteſtas: vt hac ratione tandem Chriſtianus hic coetus, aeternam in Chriſto

Jeſu,

Jeſu, vnigenito Dei Patris Filio, vero Deo, et homine ſalutem felicius, atque certius conſequeretur.

Haec eſt Eccleſia illa Chriſti ſponſa, quae per Romanum Pontificem Maximum eiuſdem Chriſti Domini primarium in terris Vicarium, Spiritu ſancto, quem diuinitus accepit, regitur: vt errantes corrigat, deuios in viam reducat, ac in fide Catholica ſemper ipſa perſiſtat; aduerſus quam neque ipſae inferorum portae praeualere vnquam poterunt. Haec ſemper vbique terrarum, ac gentium, eodem modo, eodemque veritatis ſpiritu, doctrinam fidei intellexit, atque idem prorſus, quouis tempore, atque loco, de articulis fidei docuit, et de ſcripturis ſacris, de maiorum traditionibus, de conciliis, deque ſanctorum Patrum decretis piiſſime nunquam non ſenſit, locuta eſt, ſcripſit, ac docuit.

Habet caput viſibile Pontificem Romanum.

§. 2. Sanctus autem hic Chriſtianorum coetus, ac Jeſu Chriſti ſanguine tinctus, ſanctam imprimis Romanam Catholicam, et Apoſtolicam ſedem, quodcunque tempore, vbiuis locorum, et gentium, vel congregatus, vel diſperſus, aut propriis in ſedibus locatus, abſque controuerſia agnouit, ac ſingulari pietatis affectu veneratus ſemper

eſt

est Apostolicum ipsum Romanum Pontificem Maximum D. Petri successorem, et Domini nostri Iesu Christi veri hominis, et veri Dei vices vicarias in terris gerentem, ac successionem perpetuam, et legitimam iuxta instituta Christi habentem, quemadmodum omnium veterum historiae, ac experientia ipsa nos plane docent. Huic, inquit D. Augustinus, sedenti in cathedra totus orbis Christianus in transmarinis, et longe remotis terris subiectus est.

Ceterum tota ipsa Ecclesia Christi sponsa vnica in Primoribus, seu Praelatis, eiusdem dum legitime vocati simul conueniunt, veluti regnum quoddam seu ciuium quaeuis vnanimis communitas in conuentu seniorum, ac Principum, accomodatissime repraesentatur. Quamobrem D. Athanasius vniuersum orbem in Concilium coiisse dicit.

Est infallibilis, incorrupta.

§. 3. In hac itaque ipsa sola Ecclesia, veritas plane infallibilis, incorrupta et incontaminata, qua nullus vnquam falsus fuit, adseruatur. Certo enim certius illud est: Spiritum sanctum Ecclesiae negotiis omnibus semper praeesse: Christus vero eius sponsus, cum eadem se quoque vsque ad consummationem saeculi mansurum, diuina fide promisit. Quapropter cum is ille sit, qui neque fal-

falli, neque fallere vlla ratione vnquam possit; est certe, cur maximam fidem adhibere debeamus Sanctorum Patrum traditionibus, easque ambabus, vt aiunt, vlnis excipere merito tenemur. Qua de re, paullo post, non nihil dicemus.

Neque sane minus ille, qui hoc negat, haereticus est: quam impius, et scelestus, qui eo, quo tenetur, Christiano adfectu, non veneratur Sacrosancta ipsa Oecumenica Concilia. Quae quidem vt Ecclesiae Sanctae Romanae, (ad quam scilicet, propter potentiorem principalitatem, vt B. Irenaeus ait, necesse est omnem conuenire Ecclesiam) tanquam principalis atque Pontificis eius D. Petri successoris auctoritate, conuocantur, et confirmantur: ita quoque, et vniuersalis Ecclesiae formam, atque vim praeseferunt, exprimuntque; haec neque in fide Catholica vnquam, neque in eius doctrina, aut moribus errauerunt: neque vsquam errare possunt, aut poterunt. Cuius rei ex causa certissima traditur, quod quae legitima sunt non proprio aliquo affectu, aut solitario quouis sensu, atque iudicio; sed Spiritu Dei conuocantur, conueniunt, reguntur, atque confirmantur.

In ipsa autem Ecclesia Catholica, de qua D. Augustinus, multa praeclara tradidit, magnopere curandum est: vt quod gra-

uis-

uiſſimus, et vetuſtiſſimus Author Vincentius Lirinenſis, D. Auguſtini fere aequalis, ante mille ducentos annos in aureo ſuo illo, quem conſcripſit contra haereſes libello, latiſſime docuit, diligenter expendamus: nimirum, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt; hoc eſt enim vere, proprieque Catholicum eſſe. Quod idem ipſa vis nominis, ratioque abunde declarat, atque iſthaec omnia vere vniuerſaliter comprehendit.

Eius vniuerſitas, antiquitas, conſenſio.

§. IV. Hoc autem ita demum praeclare, ac magno cum fructu fiet, ſi ſequuti pro virili parte noſtra ſemper fuerimus vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Et vniuerſitatem quidem via optima, atque ratione profecto ſequemur, ſi videlicet hanc ſolam vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum Eccleſia tenuit ſemper, tenetque etiam modo, confitetur, ac docet. Antiquitatem vero pio affectu proſequemur: ſi ab his ſenſibus nullatenus recedamus, quos maiores noſtros, Eccleſiae Doctores, ac Proceres, Sanctosque Patres habuiſſe, nobisque ſcriptis ſuis declaraſſe, ac veluti per manus tradidiſſe, manifeſtum eſt. Conſenſionem itidem obſeruabimus; ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe pene omni-

um ſanctorum Martyrum, Doctorum, et Praeſulum Sanctae Catholicae, et Romanae Eccleſiae vnanimes, et conſentientes determinationes, ſententiasque ſectemur.

Ad hanc igitur Eccleſiam reſpicere debent omnes Chriſtiani: atque ad eandem, tanquam ſponſam Domini noſtri Ieſu Chriſti confugere. Haec enim illa eſt: quae, vt a ſponſo ſuo nunquam eſt relicta, ita quoque eius nomine, omnes haereſes ſemper confutauit, et gladio Spiritus, ex ore Dei procedente, vtraque parte aucto, qui verbum Dei, maiorumque traditiones, ab eo nusquam diſſentientes eſſe dicitur; easdem ipſas haereſes, ac omnem ſublimitatem, ſe in Eccleſia Dei, aduerſum Matrem omnium Chriſtianorum ſanctiſſimam, ac fratres extollentem, feliciſſime vbique terrarum, ac gentium interemit.

Extra Eccleſiam Catholicam nemo ſaluatur.

§. V. Romana igitur, et Apoſtolica, et Catholica eſt Eccleſia: ac vnica illa eſt, et infallibilis Chriſti ſponſa: extra quam, vt ſaepe iam diximus, ſi qui ſunt, non minus peribunt, quam illi, qui extra Noe arcam fuerant. Habent vero omnes, cur in hac certiſſimam ſibi ſalutem ſtatuant: tum alia plurima, tum illa etiam, de quibus eſt apud D. Auguſt. praeclare ſcriptum: vt omittam,

inquit, ſapientiam, multa ſunt, quae me in Eccleſiae Catholicae gremio iuſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vsque ad praeſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: tenet poſtremo ipſum Catholicae nomen, quod non ſine cauſa inter multas haereſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit; vt cum omnes haeretici ſe Catholicos dici velint: quaerenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus haereticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Ita ergo tot et tanta Chriſtiani hominis clariſſima vincula, recte hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia etiamſi propter noſtrae intelligentiae tarditatem, vel vitae meritum, veritas nondum ſe apertiſſime oſtendit. Apud vos autem, vbi nihil horum eſt, quod me inuitet, ac teneat, ſola perſonat veritatis *pollicitatio.* Haec D. Aug.

Quapropter, qui animae ſuae conſultum optime volunt, in huius ſe gremio contineant, neque vllis ſathanae perſuaſionibus hinc ſe avelli patiantur.

XX. EX EAD. SYNOD. C. XXII. ap. PETERF. f. 102.

Cur probibeantur libri baereticorum.

§. I. Quemadmodum cultus idolorum in Scripturis ſanctis prohibetur, quia auertit populum a Deo; ſic et libri haereticorum prohibentur. Nam cogitationibus, ſcriptis, dictisque ſuis puritatem fidei, et ſinceritatem doctrinae Matris Eccleſiae Catholicae in dubium vocare, deſpicere, obſcurare, faedare, ac ſi fieri poſſit, de medio tollere, et ex tota Chriſti Eccleſia explodere, ac penitus abolere, et corruptelam in eam inducere, atque inuehere manibus, pedibusque haeretici nituntur, et ſic libros Sanctorum Patrum ſtudioſe deprauant. Ideo omnes, et ſingulos libros haereticorum, cuiuscunque nominis ſint, quoscunque a ſancta Eccleſia reiectos, et non admiſſos, nec adprobatos, quod doctrinam, ac pietatem Chriſtianam, et fidei puritatem in infirmorum, atque inconſtantium Chriſtianorum animis corrumpunt, cum Eccleſia Catholica damnamus, et anathematizamus, et cum eis omnes etiam alios, iure ſuſpectos abiicimus: et ne ab aliquo emantur, vel legantur, vel teneantur ſub poena contra tales a canonibus ſtatuta (quae eſt excommunicatio in eos, qui libros haereticos tenent, iam olim lata, et in bulla coenae Domini, ſummo Chriſti Vicario reſeruata, ac confiſcatio librorum, et vltra

ex-

excommunicationem incarceratio etiam, ſi pertinaces extiterint, ac beneficiorum ſuorum, ſi clerici fuerint, priuatio) prohibemus, et quibuscunque poſſumus modis, ne in dioeceſim noſtram aliunde importentur, aut in ea imprimantur, inhibemus. Si enim D. Ioannes prohibuit, ne diuerſam doctrinam adferentes, vel ſuſciperemus, vel eis, Aue, diceremus; non minus certe eorum libros, et ſcripta damnata eſſe, atque prohibita, et de medio ſublata eſſe voluit.

Prohibetur omnibus habere libros haereticos vel eos transferre in linguam Hungaricam ſub poena excommunicationis latae ſententiae.

§. II. Vt igitur idola haec, et peſtes de medio tollantur, committimus firmiter, atque mandamus; vt quicunque tales libros habent, eos intra terminum per Archi-Diaconos noſtros praefixum, ipſis Archi-Diaconis ſub excommunicationis poena, cuius abſolutio Papae eſt reſeruata, fideliter praeſentent.

Sub poena ſimiliter excommunicationis latae ſententiae nobis reſeruata prohibemus, ne vllus hominum librum quempiam, maxime Theologicum, in linguam vulgarem Hungaricam, aut alias quarum vſus eſt, in Dioeceſi noſtra, transferre, interpretari, aut in publicum edere, aut editum diuendere, ſine

noſtro ſpeciali conſenſu, et adprobatione praeſumat.

XXI. FERD. I. Decret. XX. Art. 31. A. 1563. f. 503. Tom I.

Religio, et verus Dei cultus ſeruetur.

Quod vero Sacra Caeſarea, et Regia Maieſtas fideles ſuos Status, et Ordines regni, non minus benigne, quam ſumma cum diligentia monet, atque hortatur, vt exortis noſtra aetate *diuerſis, et impiis pariter, et abſurdis haereſibus, atque ſectis*, in religione, veroque Dei cultu vnionem, Chriſtianam charitatem, et doctrinam per Apoſtolos, et Sanctos Eccleſiae Patres traditam, ac totius orbis conſenſu adprobatam ſequantur.

§. 1. Status, et Ordines regni, Sacrae ſuae Maieſtati pro hac illius Clementia, et Pietate (quae non minorem de aeterna, quam temporali iſta fidelium ſubditorum ſalute habet ſolicitudinem) immortales agunt gratias.

§. 2. Et quia etiam alias ſimili modo per Sacram Maieſtatem ſuam fuerunt admoniti; pro clementi eiusdem admonitione, his in rebus decernere non omiſerunt.

§. 3. Statutum eſt, vt omnia, et ſingula, quae in ſuperiorum, ſignanter tamen *Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi octaui; Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi ſecundi*; et *Milleſimi, Quingenteſimi, Quin-*

qua-

quagesimi quarti annorum articulis, super negotio religionis publice, et vnanimi consensu fuerunt decreta; imposterum quoque *firmiter*, et *inuiolabiliter obseruentur*: Nullusque contra ea sub poena ibidem statuta quicquam attentare audeat.

XXII. EIVSD. Decreti Art. 32. A. 1563. fol. 503.

Capitanei, haereticos fouentes officii amissione puniantur.

Et quia vt plurimum *Capitanei*, et *Praefecti* militesque Suae Maiestatis *concionatores haereticos* non legitime missos, *ob prauam, et impiam eorum doctrinam aliunde pulsos* ad se recipere, et in arcibus, bonisque regiis plerumque fouere consueuerunt (idque non sine ingenti animarum Christianarum faciunt iactura, atque dispendio) dignetur Sacra Maiestas Sua Caesarea, pro officio suo imperiali, pariter et Regio, quo *veram*, et *sanctam religionem tueri, et defendere tenetur*, in tales animaduertere eadem poena, quae Capitaneis, et Praefectis locorum finitimorum, qui quaestum victualibus exercent, superius est constituta; id est officiorum priuatione.

XXIII. RVDOLFI I. Decret. XV. Art. 22. A. 1604. fol. 642 Tom. I.

Conſtitutiones et articuli pro Catholica Romana fide et religione quouis tempore edicti notificantur et confirmantur.

Poſtremo quidem Maieſtas Sua Caeſarea, atque Regia, cum ex fide digna relatione, tum vero ex binis per ſupra dictum Sereniſſimum principem, Dominum Mathiam, *Archi-Ducem Auſtriae etc.* Fratrem ſuum chariſſimum, Suae Maieſtati transmiſſis ſupplicationibus eorum, *qui ſeſe potiorem Statuum, et Ordinum regni Hungariae partem indigitarunt*, non ſine admiratione (tanquam rem hactenus inuſitatam, et plane nouam) diſplicenter intellexit.

§. 1. Quidnam illi de turbatione ipſorum Religionis, ademtione ſuarum Eccleſiarum, et prouentuum, ac ſubmotione Miniſtrorum verbi, ſiue concionatorum ſuorum tam ſcripto, quam oretenus eius Serenitatati propoſuerunt, et explicarunt.

§. 2. Atque inſuper ab eius Serenitate, interceſſionem ad Sacram Maieſtatem Suam Caeſaream, et Regiam eum in finem demiſſe flagitarunt, vt omnibus per Suam Maieſtatem eis reſtitutis, *in libero ſuae religionis exercitio* permanere, illoque frui, et gaudere queant.

§. 3. Qui tamen, ab eius Serenitate requiſiti, et admoniti, neque ſcriptum ſuum,

qui

qui se illius participem facere cogitassent, proprio nomine subscribere; *neque cuius religionis sint profiteri*: Quasue Ecclesias, et prouentus sibi ademtos esse, questi sunt, explicare voluerunt.

§. 4. Sed circa generalia solummodo persistentes, haud facile a concepta opinione sese dimoueri passi sunt: Et per hoc publicos Dietae huius tractatus, non modicum retardarunt, *ceterisque fidelibus regni Statibus, et scandalum, et malum exemplum praebuerunt.*

§. 5. Quod quidem, sicut suae Maiestati Caesareae, et Regiae gratum esse non potest; ita quoque sua Maiestas, recordari nequit, quod illis per suam Maiestatem, *in praetensa eorum religione*, aliqua iniuria irrogata, vel aliquae Ecclesiae, aut earum prouentus (in bonis praesertim eorum propriis, et auiticis) eis ademtae fuissent.

§. 6. Neque sua Maiestas Caesarea, *super obnubilatis eorum praetensionibus*, sese vllo modo resoluere valet: praesertim quod existimet; illos aliquam cum liberis ciuitatibus regni (quae *sacrae Coronae*, et suae Maiestatis Caesareae, tanquam Inclyti Regis Vngariae peculium sunt) *collusionem in vrgendo nouae Religionis exercitio* habere.

§. 7. Cum autem sua Sacratissima Caesarea, Regiaque Maiestas, instar Diuorum

quondam Progenitorum, et Praedeceſſorum ſuorum tam Imperatorum Romanorum, quam vero Regum etiam Vngariae, felicium recordationum, *Sacroſanctam Catholicam Romanam fidem, et Religionem*, ſincere profiteatur; illam quoque in Regnis, et Prouinciis ſuis (ac praeſertim in hoc ſuo Vngariae Regno) ad laudem, et gloriam omnipotentis Dei, ex tot falſis opinionibus, et ſectis erutam vbique florere, et dilatare cupiat, ac ex debito regiminis ſui officio pro virili etiam tueri, et defendere ſatagat.

§. 8. Idcirco Maieſtas ſua Sacratiſſima, *motu proprio, deque Regiae ſuae poteſtatis plenitudine*; tam *Sancti Regis Stephani* huius gentis Vngaricae Apoſtoli; quam vero omnium aliorum Diuorum quondam Vngariae Regum, ſuae Maieſtatis praedeceſſorum, Decreta, Conſtitutiones, et Articulos, pro praefata Sancta Catholica Romana Fide, et Religione, quouis tempore praeclare, et pie editos, et euulgatos, non ſecus, ac ſi de verbo ad verbum, praeſentibus litteris inſertae, et inſcripti eſſent, *hoc ſpeciali ſuo Articulo*, clementer *ratificat, et confirmat.*

§. 9. Ac ne deinceps (in Generalibus praeſertim, et arduis regni Tractatibus, et Diaetis) *alicui Religionis negotium*, ad remorandos, et interrumpendos publicos Tracta-

tus,

tus, quouis colore, et praetextu impune mouere liceat, benigne ſtatuit, et ſerio decernit, vt *contra tales inquietos, rerumque nouarum cupidos*, poena a Diuis quondam Regibus Vngariae, in eisdem Decretis, et Articulis ſtatuta confeſtim procedatur, et ceteris in exemplum, irremiſſibiliter puniantur.

XXIV. Statuta, et Decreta SYNODI STRIGON. Dioeceſ. ſub FERD. II. et Petro Pazmano Archi-Epiſcopo Strigonienſ. Tyrnauiae celebratae A. 1629. die 4. Octobr. Cap. III. §. 15. ap. PETERF. Tom. II. fol. 255.

Parochi inuigilent, ne vllus Chriſtianus ab Anabaptiſtis ſeducetur.

Cum inter alias adflictiſſimae huius Patriae clades, etiam peſtilens Anabaptiſtarum colluuies aliunde pulſa, ſedem hic fixerit, quae Chriſtianos decipere, ac immani ſacrilego rebaptizare conſueuit: Parochi, viciniores ipſorum domiciliis diligenter obſeruent, an vllum Chriſtianum ſeducant, et confeſtim Ordinarium admoneant, vt tanto malo obuiam eatur, auxilio brachii ſecularis inuocato.

XXV. Ex SYNOD. Dioeceſ. Agrienſ. ſub FERD. II. Caeſ. et Reg. Hung. Petro Pazmano S. R. E. Cardin. Archiep. Strigon. et Emerico Loſi Epiſc. Agrienſ. Jaſzoviae habitae A. 1635, Cap. III. ap. Peterf. Tom. II. f. 340.

Ad professionem fidei edendam tenentur Canonici, Beneficiati, Curati, Licentiati, et scholarum Rectores ita, vt nulli horum ad munus suum obeundum sine hac admittantur.

§. I. Non solum autem prouisi de Canonicatibus iuxta Concilii Tridentini decretum professionem fidei in capitulo facere teneantur. Verum alii quoque, qui beneficia curam animarum habentia obtinuerint, eandem fidei professionem emittere obligati erunt. Imo ii quoque, qui alia quaecunque beneficia consecuti fuerint. Atque hoc de iis quoque, qui *Licentiati* vocantur, et qui ob sacerdotum penuriam quibusdam in locis praesertim Turcarum subditis, ad habendos pro populo sermones, piosque libros praelegendos admittuntur, sicut et de scholarum Rectoribus intelligendum esse volumus; ita vt nulli horum ad obeundnm munus suum absque fidei professione admittantur.

§. II. Quemadmodum autem ii, qui Canonicatus consequuntur, litteras super huiusmodi sua prouisione habere tenentur, ita et ii, qui parochialia beneficia obtinebunt litteras suae prouisionis habere debebunt; et ad tollendum abusum, quo de Parochiis in Parochias quiuis pro suo libitu transmigrat tempore prouisionis cum professione fidei iuxta eam formam, quam Dominus Vica-

rius

rius nofter in fua inftructione praefcriptam habet, quilibet de parochiali beneficio prouifus promiffionem folennem facere tenebitur; qua promiffione praemiffa inftitutio canonica fiat, prout in eadem inftructione continetur, litteraeque iuxta ibidem defcriptas formas concedantur.

§. III. Litterae porro *Licentiatis* ad annuum duntaxat vfum concedantur, vt deprehendi poffit, an eiusmodi licentia recte vtantur, expediatque vlterius eam concedi, quam ad certum quoque Parochiae alicuius locum reftringi volumus, ita vt in alio loco non debeat fuffragari; addito eo, quod licentia talis mox exfpiraffe intelligatur, fi ea Licentiatus male, et non recte vtatur.

Horum autem Licentiatorum erit diligentiffime curare, vt facerdotem ad Sacramentorum adminiftrationem legitime adprobatum, inter eos, inter quos Licentiatorum nomine pro praefenti rerum neceffitate, Sacerdotumque penuria verfari permittuntur, folicite aduocent, qui infirmis aliisque praecepto ad vfum Sacramentorum obftrictis, rite legitimeque fuccurrere poffint, in quos a Dominis Archidiaconis ftudiofiffime inuigilandum erit.

§. IV. Caetera de Parochiarum, ac aliorum beneficiorum adeptione, vel refignatione ex Synodo Dioecefana Strigoni-

enfi

enſi anni 1629. petenda, et habenda decernimus.

XXVI. EX SYNODO PROVINCI. habita ſub FERDINANDO III. Caeſare et Emerico Loſi Archiepiſcopo Strigonienſi, Tyrnaviae A. 1638. conſtit. C. I. ap. PETERF. fol. 358.

De mediis promouendi et conſeruandi fidem catholicam, et de eius profeſſione ab Archiepiſcopis, Epiſcopis Eccleſiarum Cathedralium et Collegii aliarumque Rectoribus et publicis Profeſſoribus iuxta formam a PIO IV. *ordinatam publice edenda, et de libris et cantibus erroneis expurgandis aliisque obſervationibus ſuperſtitioſis tollendis circa fidem, et quae ad eam pertinent.*

I. Totius aedificii ſpiritualis, quod ideo molimur, vt ex eo aſcenſus, et ingreſſus pateat in coelum, fundamentum fides eſt; hanc ſi quis tanquam lampadem, lucernamque ardentem in manibus non habuerit, fruſtra iter verſus coelum arripuerit: accedentem enim ad Deum credere oportet; et ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: quae cum ex auditu ſit, eam docere neceſſe eſt. Qua in re Concilium Tridentinum prouidere volens, imprimis conſtituit, vt in Eccleſiis Cathedralibus Theologales praebendae habeantur. Itaque ſtatuit ſacra haec Synodus, vt ſinguli Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Theologalem praebendam conſtituant,

tuant, isque qui huiusmodi praebendam habuerit, obligatus sit statis horis quotidie ad docenda fidei mysteria. Non desunt autem rationes, quas Reuerendissimi Domini Episcopi in hoc genere sequantur, ex Concilii praedicti Consiliis, et rationibus, si praebendis eiusmodi Theologalibus Ecclesiae ipsorum destitui videantur: In hac re sacra Synodus onerat conscientias Dominorum Ordinariorum. Monasteria quoque, et Conuentus, vt in hac parte sibi non desint, attendant Domini Ordinarii etiam, tanquam sedis apostolicae delegati.

II. Vt Rudimenta fidei festiuis diebus, non solum in Cathedralibus, ac collegiatis, sed et in omnibus parochialibus Ecclesiis doceantur, pueritiaque, quae seges est Ecclesiae, in his quam diligentissime erudiatur, adhibeant omnem operam Reuerendissimi Domini Ordinarii, aliique Praelati minores, ac Domini Archidiaconi. Expedit autem, vt doctrinae sodalitates Christianae, vbi fieri potest, erigantur.

III. Fidei ac diuini verbi praedicatio, praeter lectiones praedictas, pertinet ad Dominos Primates, Archi-Episcopos, Episcopos, qui si legitime impediantur, obligantur idoneos alios ad hoc munus adhibere.

IV. Controuersias fidei pro concione ii tractent, qui in iis versatissimi sunt aliis; qui

qui minus periti ſunt in iis, ſatis eſt, ſi articulos fidei ſimpliciter tradant, nec ſe in huiuſmodi controuerſiarum tractationem frigide, et ſine fructu immergant.

V. Eorum examen, qui ad fidei, et diuini verbi praedicationem adhibentur, vt ante ſuſceptum eiuſmodi praedicationis munus, iuxta Concilii Tridentini decreta, praecedat, nec ſine eo audeat quiſquam eiuſmodi munus ſuſcipere, etiamſi religioſus fuerit, ſeuere praecipit, et mandat ſacra Synodus.

VI. Porro quia fruſtra effunditur ſermo de fide, ac verbo diuino, niſi adſit auditus, incaſſumque abit labor, et induſtria praedicantium, niſi audientium adhibeatur attentio; ſedulo ac diligenter debet populus admoneri, imo quodam modo ſuauiter compelli, non ſolum a verbi diuini praeconibus, ſed etiam a confeſſariis, aliiſque ſacerdotibus ad ſacras conciones, et Euangelicas voces, attentis animis, puro corde, ſpirituque feruenti audiendas; ob oculos ponendo, quod licet homo ſit, qui ex ſuggeſtu verba diuina proponit, Deus tamen eſt, qui ex coeleſti ſua cathedra ea adnunciat. Ad quod plurimum facit, ſi diligenter eidem populo inculcetur, teneri, et obligari, vnumquemque ſcire communiter ea, quae ſunt fidei, vel vniuerſalium iuris prae-

cepto-

ceptorum. Singulos insuper ea tenere debere, quae ratione status, ac officii sui ad ipsos pertinent, quorum supina negligentia, et ignorantia, peccato omissionis, ac reatui eiusdem, eos inuoluet, ac immerget haud dubie.

VII. Sanctus Paulus Apostolus inculcat, quod certe creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: non solum igitur interiori animo fides retinenda est, cuiuis Christiano, sed vbi necessitas postulat, sepofito quouis humano respectu, ac periculo, etiam exteriori professione manifestanda est. Quibusdam tamen ratione officii, ac muneris, quod ineunt, ac gerunt, peculiaris obligatio est, palam fidem, et publice profitendi, testimoniumque huius suae professionis edendi. Quo in genere quam habeant obligationem promouendi ad cathedrales Ecclesias, habetur in sess. 24. C. 1. Concilii Tridentini.

Professio autem fidei emitti debet, iuxta formam a PIO IV. ordinatam, quam et Archi-Episcopi, ac Episcopi in synodo prouinciali prima, cui interfuerint, iuxta eandem formam emittere tenentur. Eadem formula ii quoque, qui in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis, canonicatus, ac dignitates obtinent, toties quoties de nouo fuerint prouisi, professionem fidei emittere te-

nebuntur; nec licebit alia formula, quoad hoc, in vlla Ecclesia amplius vti; salua alia formula, quae praeter hanc in obseruatione priuilegiorum, statutorum, ac laudabilium consuetudinum consueuit vsurpari.

VIII. Hoc ipsum intelligatur de Ecclesiis, in quibus seculares sacerdotes conuentuales, intertenentur, sicut et de Rectoribus parochiarum, ac aliorum beneficiorum quorumcunque.

IX. Imo et de publicis Professoribus Academiae vniuscuiusque, Gymnasiorum item ac ludorum literariorum, vt ii quoque fidei professione praemissa munus suum suscipiant, et obeant. Testimonium autem praestitae fidei professionis, per publicum notarium fiat, eiusmodique testimonium in archiuis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus adseruetur.

X. Ne in agrum Dominicum zizania falsorum, ac erroneorum dogmatum irrepant, curabunt Domini Reuerendissimi Ordinarii, quod plerumque per erroneorum librorum lectionem, ac per cantilenas erroneas fieri in his partibus consueuit: quapropter vt fidelis populus ab huiusmodi lectione, cantilenarumque admissione arceatur, enitendum est quam diligentissime, proponendo, quod lectio librorum erroneorum ac prohibitorum, excommunicationem secum

cum trahat. Ac vt abuſus hic facilius tollatur, deputati ſunt a ſacra ſynodo, qui cantilenas tales in vnum collectas, diligenter ab omni haereſeos labe expurgent, ac typis mandent.

XI. Impreſſionem librorum, quorumcunque, ſicut et cantilenarum ſine adprobatione nullibi permittant Domini Reuerendiſſimi Ordinarii.

XII. Vltra praedicta omnia, ſumma diligentia inuigilandum eſt, contra illa, quae Catholicae fidei veritatem ac lumen obfuſcare, laedereque quouis modo poſſunt, quales ſunt ſuperſtitioſae obſeruationes, diuinationes, ac iudiciariae artes; item blaſphemiae, periuria, ſacrarumque rerum irreuerentia, ac id genus ſimilia, ſanctis ac diuinis legibus prolixe damnata, ac prohibita. Imponitur hic Epiſcopo Iaurinenſi, vt Calugeros Raſcianorum amoueat, qui non ſolum de noua haereſi, ſed etiam de proditione ſunt ſuſpecti.

XXVII. LEOPOLD. I. Decret. IV. art. 23. de A. 1687. in C. I. H. T. II. fol. 84.

Soli Romano-Catholici in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae poſſeſſionis bonorum capaces eſſe declarantur.

Ad conſeruandam porro *animorum concordiam*, et publicam regni *tranquillitatem*,

quae in vnitate religionis potissimum consistere, ex eaque in modo satis regnis stabilita fuisse *dignoscitur*.

§. 1. Ex benigna suae Maiestatis adnuentia conclusum est: vt in iisdem *Dalmatiae*, *Croatiae*, *et Slavoniae* regnis secundum municipales eorundem leges hoc loci confirmatas, tam in partibus sub iurisdictione eorundem ad praesens existentibus, quam in futurum iuxta clementem Suae Maiestatis Sacratissimae resolutionem ad eandem legitime readplicandis; *soli Catholici possessionis bonorum*, vti hactenus, ita inposterum *sint* capaces.

XXVIII. SVNODVS ZAGRAB. Dioecef. sub LEOPOLD. I. et Martino Borkovics Episcopo Zagrab. An. 1673. Cap. I. ap. PETERF. T. II. fol. 396.

De quibus populus saepius instruendus sit?

I. Pater, Aue, Credo, decem Decalogi, et quinque praecepta Ecclesiae: septem peccatorum capitalium, ac peccati mortalis, et venialis grauitas ad minus certis diebus ex cathedra proponantur.

II. Item de concionibus, et missis audiendis qualiter, et quomodo. De pueris, et familia instruendis, et compellendis ad scienda ea, quae sunt fidei et vniuersalium praeceptorum Archidiaconi non deferentes parochos, qui haec negligunt, puniantur.

XXIX.

XXIX. Ex. SYNODO Zagrab. Dioecef. IV. habita fub LEOPOLDO I. A. 1687. die 12. Maji conftitutio, quae ibidem habetur. Cap. 1. ap. PETERF. T. II. f. 398.

De fide Catholica in hac Dioecefi conferuanda, et eliminandis ex ea haereticis.

I. Cum fine fide impoffibile fit placere Deo, et regnum iftud per intemeratam Catholicam fidem fub obedientia fanctae Romanae Ecclefiae, omnium Ecclefiarum Matris, et Magiftrae illibate conferuatam Deo omnipotenti placere, vfque in praefens ftuduit; ea propter facra haec dioecefana fynodus vniuerfas haerefes, et falfa dogmata damnando, et reiiciendo, Archidiaconis, et Ecclefiarum paftoribus, fub districtione diuini iudicii mandat, et praecipit: quatenus intra Archidiaconatus ex parte hac Draui fitos, diligenter inueftigent; an quifpiam huiufmodi labe infectus fixum domicilium locauerit, vel alias perniciofa dogmata intra oues Chrifti diffeminauerit, vel diffeminet; et fi quempiam repererint, fine vlla mora; et dilatione Illuftriffimo, et Reuerendiffimo Domino Ordinario deferant, vt eiufmodi zizania debitis, et opportunis remediis in tempore eradicentur. In Archidiaconatu porro de Bexin, quia ab olim peccatis id exigentibus, haerefis inualuerat, quae Dei beneficio his temporibus de-

crefcere, et eliminari coepit, Archidiaconus, et animarum curatores agent, vt falutaribus monitis, eruditis controuerfiarum de fide fermonibus, ac aliis modis, et mediis, fignanter vero Clericorum vitae odore, et exemplo, errantes oues ad ouile Chrifti reducantur. Quem in finem praedicantes ibidem etiamnum commorantes, vel latitantes vt Regia auctoritate pellantur, Illuftriffimus D. Ordinarius pro paftorali fuo zelo adlaborabit: vt tandem Dioecefis haec velut fponfa immaculata, fine omni ruga, et macula in confpectu Saluatoris compareat.

II. Et quia ad relationem Archidiaconi Varafdinenfis facrae huic fynodo innotuit, Stephanum Jankovich haeretica labe infectum vilipendens longanimitatem, et tolerantiam, qua faepius etiam priuatim, et publice monitus, vt ad vnitatem Ecclefiae Chrifti per demiffam, et veram reconciliationem rediret, diuturno tempore toleratus fuit, ille vero non folum in perfidia fua proterue, et contumaciter etiamnum perfeueret, verum etiam proles fuas veneno haerefeos inficiendo, ad fcholas Lutheranorum Legradinum amandaffe diceretur, vt fic innocentes animas perimat, et virus malitiae fuae diffundat: ideo decernitur, vt facra fedes contra eundem Jankovich ad inftantiam fifci fpiritualis, velut contra haereticum

cum notorium miſſis conſuetis monitoriis procedat, et ſi ſic ad paternas eiuſmodi monitiones haereſim ſuam abiurauerit, ac ad gremium ſanctae Matris Eccleſiae redierit, bene quidem; ſin minus, veluti contumax, et proteruus haereticus per omnes cathedras ab omnibus Chriſti fidelibus vitandus denuncietur, atque apud celſiſſimum Dominum, et Regem noſtrum Apoſtolicum iuxta dictamen ſacrorum canonum, et regni huius leges, mandatum pro brachio ſeculari expetatur; quo haec perfida peſtis e regni limitibus eiiciatur, et tutela prolium cuipiam pio Catholico, qui eoſdem in ſcholis Catholicis erudiri faciat, ac in recta fide, et timore Dei educabit, commendabitur

XXX. EX SYNOD. ZAGRAB. Dioeceſ. ſub LEOPOLDO I. Georgio Szecſéni Archiepiſcopo Strigonienſi, et Ignatio Alexandro Mickuliz Epiſcopo Zagrabienſi A. 1690. habita conſtitutio, quae ibidem habetur cap. 2. ap. BETERF. fol. 404.

Concordat haec conſtitutio cum priori.

Et quia vnitas fidei ſub vno viſibili capite indiſſolubile, et inuariabile Chriſti regnum manifeſtat; hinc mutua dilectio, quae diſcipulorum Chriſti eſt index, fides conſtans in naturalem Principem, et in omne bonum vnita virtus proficiſcitur. Exinde incumbet Rev. et Illuſtr. Ordinario noſtro, apud Clementiſſimum Dominum, et Regem

noſtrum Auguſtiſſimum Caeſarem intercedere, quatenus ſua ſacratiſſima Maieſtas, ita in partibus dioeceſis noſtrae trans Drauanae, prout et in locis eiuſdem dioeceſis recenter de manibus Turci glorioſe recuperatis, omnem haereſim exterminatam mandare dignetur; quemadmodum in regno hoc, vel hac praerogatiua ſincere fideli, exterminata eſt; vt ſub vnitate Religionis vnita in Maieſtatem ſuam fides, et conſtantia perpetuo perſeueret: *nec enim fieri* poteſt, vt Dei hoſtis, orthodoxo Principi, vero Dei prothotypo, fidelis ſit.

XXXI. Ex Eadem Synod. C. 6.

In qua verbi diuini praedicatio, et modus eas inſtituendi determinatur, et iniungitur.

I. In concionibus formandis, et praecipue coram rudiori populo, plus doctrinae Chriſtianae inculcandae, quam conceptuum ſubtilium ratio habeatur. Ideo de virtutibus, et vitiis diebus Dominicis, feſtis vero de imitatione Sanctorum, quorum ſolennia peraguntur, ſermo inſtituatur, ſemper vt plurimum doctrinam credendorum, et ad ſalutem magis neceſſariorum inſtillando. Ita poſt concionem recitatio orationis Dominicae, ſalutationis angelicae, ſymboli fidei, ac decalogi, et Eccleſiae praeceptorum nunquam omittatur. In quadrageſima vero,

et

et ante, et poſt Confeſſionem, ac ſacram Communionem circa modum confitendi, et de praeſentia Chriſti Domini in ſanctiſſimo Euchariſtiae Sacramento fiant exhortationes, ac alia doctrina neceſſaria proponatur: ita et pueri in formanda cruce, et orationibus dicendis examinentur.

Praeſcribuntur libri, quibus animarum curatores inſtructos eſſe oportet.

II. *Quae vt eo exactius fiant*, ſtudeant omnes animarum curatores, vt Catechiſmum Romanum, ac alios eiuſmodi libros habeant: ita et ſacra Biblia, ac Tridentini Concilii conſtitutiones ſinguli teneant: nec omittant ſacram ſcripturam quotidiana lectione ſibi familiarem facere, habituri magnum in intelligendis, et formandis concionibus alleuiamen; et aliunde hoc eſt animae pabulum, et ſtatus noſtri proprium exercitium. Committitur proinde Dominis Archidiaconis, et Viſitatoribus, vt diligenter notent inter caetera ſuae viſitationis puncta, quibus vtantur libris beneficiati, quorum perſonas viſitabunt; et ſi ſacra Biblia, vel Concilii Tridentini conſtitutiones deeſſe animaduerterint, viſitatos mediis opportunis ad eorundem procurationem compellant.

XXXII. Ex MARIAE Aug. noſtra Decret. I. de a. 1741. Art. 46. in C. I. H. F. T. A. fol. 200.

De vna, eaque ſola vera Romano-Catholica fide in Regnis Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae ultro conſeruanda.

Singularem ſuae Sacrae Regiae Maieſtatis in DEVM optimum maximum pietatem, et in perpetuo fideles ſuos ſubditos ex vnius et ſolius verae in praefatis Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regnis diplomatice, et articulariter ſtabilitae, et nulla penitus alia admiſſa, aut tolerata ſeruatae, ipſoque Chriſti Domini ſanguine irrigatae, et fundatae, atque per Apoſtolos, et Sanctos Eccleſiae Patres traditae Romano-Catholicae fidei, et Religionis vnione principalem, et ſummam coniunctionis animorum, atque adeo intrinſecae non tantum ſuae, ſed et vicinarum ſuae Sacrae Regiae Maieſtatis prouinciarum felicitatem, et conſeruationem, et hactenus expertos, et in futurum quoque indubie experturos vere maternam clementiam venerabundi agnoſcunt Status, et Ordines, dum erga vnanimem Statuum, et Ordinum Regni Hungariae, partiumque eidem adnexarum ſupplicationem, et augendum veri Dei cultum, et promouendam vberiorem in dies eiusdem miſericordiam, et benedictionem clementiſſime, atque ſanctiſſime annuere digna-

gnata eſt, vt ſtatuta eorundem Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae regnorum in fauorem, et conſeruationem orthodoxae Religionis condita, occaſione huius Diaetae confirmentur.

Ex hac proinde Sacrae Regiae Maieſtatis benigniſſima aeque ac pientiſſima reſolutione ſic et vnanimi Statuum, et Ordinum conſenſu, et voto ſtatuta eadem confirmantur.

Et veluti iuxta Art. 86. anni 1723. in eodem citatos, et hicce etiam confirmatos, diſpoſitum iam eſſet, vt in diſtrictu eorundem regnorum non alii, quam Romano-Catholicam Religionem profitentes poſſeſſionis bonorum ſint capaces; ita Officiales Oeconomici Dominorum terreſtrium a fide orthodoxa alieni, in antelatis regnis adminiſtrationis quoque bonorum incapaces eſſe declarantur. Quo vero ad Varasdinenſem, et Caroloſtadienſem Generalatus ſemet facturam, benigniſſime ſua Sacra Regia Maieſtas declarauit, ne inde quoque dictae orthodoxae Religioni quodpiam eueniat praeiudicium.

Metropolitae vero Graeci ritus non vnitorum, in diſtrictu regnorum praefatorum nulla vtique antelati ritus Clerum, et populum admittetur iurisdictio.

Quod

Quod autem concernit Epiſcopi Szudiczenſis cum Eccleſia Catholica vniti, ex monaſterio Marchenſi excluſionem, aliosque contra Simeonem Philippovich inſinuatos exceſſus, fundate indagari curabit, ſuperindeque condignam animaduerſionem, et praeterea damnificatis competentem reparationem decerni faciet altefata ſua Regia Maieſtas id etiam curatura, vt quoadusque alii etiam Epiſcopi Graeci ritus non vniti ibidem perſtiterint, ab omni exceſſu, et confuſione ſeſe continere debeant.

TITVLVS II.

De Conſtitutionibus.

I. Praefatio S. STEPHANI Regis Hungariae ad Lib. II. Decretor. in Corp. Iur. Hung. T. I. fol. 127.

Regis eſt populo ſuo dare leges.

REGNANTE DIUINA CLEMENTIA.

§. I. Opus regalis dignitatis alimonia Catholicae fidei effectum, amplians, ſolidius alterius dignitatis operibus, ſolet operibus adeſſe.

§. 2. Et quoniam vnaquaeque gens propriis regitur legibus, idcirco nos quoque Dei nutu noſtram gubernando Monarchiam antiquos, et modernos imitantes Auguſtos, decre-

cretali meditatione noſtra ſtatuimus genti noſtrae, quemadmodum honeſtam, et inoffenſam duceret vitam: vt ſicut diuinis legibus ſunt ditati, ſimiliter etiam ſaecularibus ſint addicti: vt quantum boni in diuinis amplientur, tantum mali, et rei in iſtis vilitentur. Quae autem decreuimus, in ſequentibus adnotauimus.

II. Ex S. STEPH. Decret. L. II. c. 2. ibid.

Vt Epiſcopi habeant poteſtatem, res eccleſiaſticas prouidere, regere, et gubernare, atque diſpenſare, ſecundum canonum auctoritatem.

§. 1. Volumus, vt laici eorum miniſterio obediant, ad regendas Eccleſias, viduas, et orphanos defenſandum, et vt obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem ſeruandam.

§. 2. Conſentientesque ſint *Comites*, et *Iudices* Praeſulibus ſuis, ad iuſtitias faciendas, iuxta praecepta legis diuinae.

§. 3. Et nullatenus per aliquorum mendacia, vel falſum teſtimonium, neque periurium, aut per praemium lex iuſta in aliquo deprauetur.

III. Conſtitutio ex COLOMANNI R. H. Decret. L. I. C. 2. in Corp. I. H. T. I. f. 145.

De

De Synodo in vnoquoque Episcopatu, Comitibus, et Magistratibus celebranda.

Quia populus noster magnis saepe, tam viae, quam inopiae laboribus praegrauatus, pro qualibet necessitate curiam Regalem adire non potest, bis in anno, id est: in festiuitate Apostolorum Philippi, et Iacobi, et in octauis Michaelis, Synodum in vnoquoque Episcopatu celebrari constituimus: in qua tam Comes, quam Comites, et aliorum Magistratuum dignitates, et potestates ad suum Episcopum conueniant, ad quam quicunque etiam sine sigillo vocatus, non venerit, reus iudicio erit.

IV. Constitutio ex EIVSD. Decret. L. I. C. 65. ibid. fol. 149.

Comites, et milites potestatem in Ecclesia sibi non vendicent.

Nullus Comitum, vel militum in Ecclesia praesumat sibi vendicare potestatem praeter solum Episcopum.

V, EX SYNOD. STRIGON. Nation. sub COLOMANNO R. et Laurentio Archiep. Praeside Cunone S. R. E. Card. Legato Apost. A. IIII. ap. PETERF. T. I. f. 61. Cap. 65.

Cle-

Clerici ad ſanctam Synodum vt veniant ſub poena expoſitionis.

Quicunque de his, qui in Clero ſunt, ad Synodum Epiſcopi ſui non venerint, vsque ad laicum deponantur.

VI. Reſcriptum COELESTINI III. P. ad Boleslaum Epiſcopum Vacienſem de A. 1193. ap. PETERF. P. I. f. 83.

Pontifex confirmat conſtitutionem ab Epiſcopo Vacienſi factam, vt omnes Praelati, et Presbyteri annuatim ad eius Synodum venirent.

Ex parte ſiquidem tua noſtris fuit auribus intimatum, quod cum Praesbyteri tuae dioeceſis nunquam ad Synodum conuenirent; tu, ſicut vir diſcretus, et prouidus diligenter attendens; quod, quia nunquam exhortationem ſui Epiſcopi audiebant, nec percipiebant correctionem ſuorum exceſſuum, in eis, et eorum ſubditis adparebat morum nimia corruptela, et nimis exiſtebant imperiti, et rudes in regenda animarum cura; habito Conſilio Venerabilis Fratris noſtri Iob, Metropolitani tui, et vt omnes Praesbyteri, et Praelati tuae dioeceſis annuatim in Natiuitate B. Mariae Virginis venirent ad tuam Synodum, deliberatione prouida ſtatuiſti: et quasdam decimas, quae

ad

ad ſumtus Epiſcopales ſpecialiter pertinere dicuntur, vt illis materiam cuiuslibet difficultatis auferres, vniuerſorum procurationi perpetuo deputaſti.

Nos igitur Venerabilis in Chriſto Frater, tuis poſtulatis iuſtis grato concurrentes adſenſu, praedictam conſtitutionem, ſicut de conſilio Metropolitani tui, et adſenſu Canonicorum Eccleſiae tuae, prouide facta eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus etc. Nulli igitur etc. Datum Romae etc. XII. Kal. Iulii Anno Pontificatus III. ſeu 1193.

VII. En conſtit. Hungariae PHILIPPI quondam Legati circa Reformationes Praelatorum et Cleri A. 1279. ſub LADISLAO R. cap. 18. ap. PETERF. P. I. fol. 109.

Vt Parochi, antequam eant ad Synodum, viſitent infirmos.

Statuimus, quod cum ex deliberatione, et ordinatione Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, et aliorum ordinariorum ſynodus fuerit celebranda per duos, tres, vel tot dies, qui ſufficere videantur, antequam ſe ponant in via eundi ad ſynodum, Rectores, Patriarchalium Eccleſiarum, earumque perpetui Vicarii, qui praeſidentes ſynodo faciendae fuerint, generaliter, ſiue ſpecialiter, ſeu ſingulariter euocati diligenter inquirant, ſi qui ſint infirmi, ſeu debiles in Paro-

rochiis ſuis, eosque viſitent etiam non requiſiti, et faciant circa eos, quidquid neceſſe fuerit ad animarum ſalutem.

VIII. Ex EIVSD. Conſtitut. Capitul. XIX. ibid.

Vt adeant ſynodum omnes ad eam conuocati, quo cultu, ornatuque?

Statuimus etiam, et praecipimus, vt omnes tam regulares, quam ſeculares in dignitatibus, ſeu perſonatibus conſtituti illius Metropolitanae, in qua Epiſcopalis ſynodus fuerit celebranda, veniant: niſi remanſerint de ſuorum ſuperiorum licentia ſpeciali, de quorum ordinatione ſynodus fuerit facienda. Et ſi taliter impediti fuerint, quod ad ſynodum venire non poſſint, legitimum excuſatorem Clericum cum pleno mandato ad acceptandum, et recipiendum ea, quae in ſynodo fuerint ordinata, transmittant. In eundo, et redeundo honeſte ambulent, et honeſta adquirant hoſpitia, et in eis circumſpecte ſe habeant, et modeſte: ne vita, mores, et geſtus clericorum populo fiant in ſcandalum, et contemtum. Qui vero ex cauſa ad ſynodum ire, vel venire non poſſunt, eam Archi-Diaconis, et Archi-Diaconi ſuis dioeceſanis ſtudeant nunciare. Quod ſi inueniendo, et denunciando rationabilem cauſam negligentes, ſeu contemtores exti-

terint: ad dioecesanorum suorum arbitrium puniantur. Praeterea statuimus, quod Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, et quilibet alii, qui ex priuilegio mitris vtuntur, mitrati cum superpelliciis, stolis, et cappis, seu pluuialibus, praepositi vero priores, et alii inferiores praelati, cum superpelliciis, et stolis, si Diaconi saltem sint, et si velint pluuialibus, seu cappis, Rectores vero, et simplices sacerdotes cum cottis, seu superpelliciis, et stolis tantum, inferioris vero status, vel ordinis clerici cum cottis synodum intrent: et in ea deuote cum reuerentia vsque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseuerent. Religiosos quoque nullam Praelaturam, vel administrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu suo cum stolis in synodo posse stare, etiamsi ministrationem habeant.

IX Posoniensis Concilii confirmatio per Clementem VI. Anno Domini 1346. ap. PETERF. P. I. fol. 143.

Petitio pro parte Venerabilis Fratris nostri Apetzonis, Episcopi Lubucensis nobis exhibita, continebat, quod dudum bonae memoriae Gentilis, tituli S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis, in regno Vngariae, ac Prouincia Poloniae, infra quam Ecclesia Lubucensis existit, a quibuscunque ali-

aliis terris eidem regno adiacentibus, auctoritate Sedis Apoſtolicae, plenae legationis fungens officio, in Concilio videlicet per eum apud Poſonium Strigonienſis dioeceſis conſtitutum, in dicto regno Vngariae celebrato, nonnullae conſtitutiones pro libertate, ac vtilitate Eccleſiarum, ac earum Praelatorum, et aliarum perſonarum eccleſiaſticarum, infra fines legationis ſuae conſidentium, edidit vtiles, ac ſalubres inhibitiones, prohibitiones, decreti interpoſitiones, excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti ſententias, et nonnullas poenas alias continentes, prout in litteris praefati Cardinalis inde confectis, ipſius ſigillo munitis (quarum quidem conſtitutionum certa capitula de verbo ad verbum praeſentibus inſeri fecimus) continetur. Quare pro parte dicti Epiſcopi nobis extitit humiliter ſupplicatum, vt capitula praedicta, et omnia in eis contenta, cum praefatae litterae timeantur vetuſtate conſumi, fulcire Apoſtolico munimine dignaremur.

Nos igitur Eccleſias, et earum Praelatos, ac perſonas Eccleſiaſticas praedictas, in ſuis libertatibus, ac vtilitatibus, quantum cum Deo poſſumus, confouere volentes, ipſius Epiſcopi ſupplicationibus inclinati, capitula praedicta rata, et grata habentes, illa auctoritate apoſtolica ex certa ſcientia con-

firmamus. Tenores autem dictorum capitulorum tales sunt:

In Nomine Domini, Amen. Anno eiusdem 1309. etc. vt supra. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere: etc. Datum Auinione, IV. Non. Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

X. Vladislai II. Decret. III. Art. 68. A. 1498. Corp. I. H. P. I. f. 304.

A Synodo Episcopi, Sacerdotes, Plebani Ecclesiarum pecuniis non se redimant, sed omnes in Synodo compareant.

Praelati Ecclesiarum Synodum (quam in eorum Ecclesiis pro extirpandis vitiis, et plantandis moribus Plebanorum, in dioecesibus suis constitutorum, *institutione canonica*, necessario celebrare habent) pro pecuniis, sicuti quidam ex eis hactenus facere consueuerunt, relaxare, aut Plebanos eosdem, propter relaxationem huiusmodi Synodi, in aliquo taxare; neque etiam Plebani quipiam, se ipsos ab ipsa Synodo, quouis modo redimere praesumant.

XI. Vladisl. II. Decret. VI. Art. 8. A. 1507. C. I. H. P. I. f. 323.

Con-

Contra ſtatuta regni peccans, puniri debet.

Quicunque contra ſtatuta, Decretaque regni, *palam*, et *aperte* egerit; Decretaque huiusmodi temerario auſu violare de cetero praeſumſerit (prout hactenus per plerosque *Potentes* fieri ſolitum erat) talis, ſi fuerit Praelatus, aut altera perſona eccleſiaſtica; in amiſſione Praelaturae, vel alterius dignitatis, et beneficii: Si vero Baro, vel Nobilis, in amiſſione vniuerſorum bonorum ſuorum, et iurium ſuorum poſſeſſionariorum conuincatur eo facto, et perpetuus Regiae Maieſtatis, ac regni infidelis, et exul habeatur.

§. 1. Et talium Praelaturas, beneficia, ſeu dignitates, vel iura poſſeſſionaria, Regia Maieſtas, cui maluerit; liberam donandi, et conferendi habeat facultatem.

§. 2. Quos ſi Maieſtas ſua hoc modo punire; Praelaturasque, ſeu beneficia, aut dignitates, vel iura poſſeſſionaria auferre, et alteri conferre, donareque recuſaret; extunc, ſi mediocris perſona ſpiritualis, aut ſecularis id facere tentauerit, per Comites, vel Vice-Comites, ac gentes, et vniuerſitatem Nobilium eiusdem Comitatus, vbi tales reſidentiam habent, iuxta eorum libitum puniatur: Vniuerſaque bona, et res eiusdem in *publicam* praedam conuertantur.

§. 3. Si vero potens quispiam fuerit; ad huius proteruiam, rebellionemque domandam, nec non bonorum, et iurium possessionariorum, dignitatumque, et beneficiorum ablationem; praefati, Dominus Palatinus, et Iudex Curiae Regiae, vel supremus Capitaneus, per vniuersitatem Nobilium illius Comitatus, vbi talis aperta Decreti violatio facta fuerit, requisitus, leuatis praemisso modo suis, ac aliorum Dominorum, et Comitatuum gentibus; insurgere, ac sub praemissa dignitatis, et officiorum suorum amissione, adimere teneatur.

XII. SYNODVS VESPRIMIENSIS Dioecesana habita sub LVDOVICO II. Hungariae Rege, Thoma Bakacs S. R. E. Card. Archiepiscopo Strigoniensi, et Petro Berisloo Episcopo Vesprimiensi. An. 1515. ap. PETERF. T. I. fol. 237.

Archidiaconus constitutiones Synodales habeat.

Item quilibet Archidiaconus, et deinde Vice-Archidiaconus debeat habere omnes constitutiones synodales, vt secundum illas sciant regere, et instruere plebanos, et presbyteros, et clericos suos.

XIII. FERD. I. Imp. et Reg. Decret. XI. A. 1548. Art. 13. f. 420.

Con-

Concilium per S. Pontificem celebrari petitur.

Supplicant Ordines, et Status Regiae Maieſtati, Domino eorum Clementiſſimo; vt tam ſua, quam Sacrae Maieſtatis Caeſareae auctoritate agat apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, quo Sanctitas ſua *generale Concilium* pro complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de religione, ſine diuturniori mora celebrare dignetur.

§. I. Quod ſi Sanctitas ſua id differret; Maieſtas Caeſarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur.

XIV. Ferd. I. Decret. XIX. A. 1559. Art. 41. Corp. I. H. P. I. f. 491.

Epiſcopi, quae officii, et iurisdictionis ipſorum ſunt, libere exerceant.

Statutum eſt praeterea, quod iuxta Conſtitutiones ſuperioris conuentus *Anni Milleſimi, Quingenteſimi, Quinquageſimi ſeptimi*; et etiam aliorum; Domini Praelati Archi-Diaconos ſuos ad viſitationes peragendas emittant: Synodos celebrent: aliaque ad eorum officia ſpectantia in rebus eccleſiaſticis obire non omittant.

§. I. Ac tempore *Synodi*, vel conuocationis generalis, ſiue particularis teneantur

omnes *plebani* et *presbyteri*, qualescunque tam ex bonis Dominorum, et Nobilium, quam ex Ciuitatibus liberis ad conuocationem Praelatorum ſuorum, quorum dioeceſi ſubſunt, *pro accipienda ſalutari doctrina*, ſine omni renitentia conuenire.

§. 2. Quod ſi vero aliqui forent, qui plebanos ipſorum ad vocationem Epiſcopi, et Praelati ſui manifeſta contumacia ducti retinere; neque illos, praemoniti, et requiſiti ad ſynodum ipſam dimittere vellent; contra tales, ſiue Domini, et Nobiles ſint, ſiue vero ciuitates; Sacra Maieſtas Caeſarea pro tutandis conſeruandis, et manutenendis libertatibus, et iuribus eccleſiaſticis *munus*, et *officium* Principis Chriſtiani, *quod* ſuae Maieſtati, *vt Regi Vngariae incumbit* (quemadmodum ſe gratioſe obtulit) peragere, et exequi dignetur.

XV. SYNODI Prouinc. Decretorum A. 1611. Tyrnauiae celebratae Cap. I. §. II. ap. PETERF. T. II. f. 203.

Statuta Synodalia in vſum reuocentur.

Saluberrimus vſus Synodorum Prouincialium, ac Dioeceſanarum in vſum eſt reuocandus: In Dioeceſana vero Synodo cum alia, quae apta videbuntur, ordinari poterunt; tum diſpiciendum, an ea, quae in hac Syno-

nodo ſtatuta ſunt, in vſum deducta ſint, ac diligenter obſeruata.

XVI. Synodi Nationalis celebratae ſub Ferd. II. Caeſare Hungariae Rege, et Petro Pazmany S. R. E. Cardin. et Archiepiſcopo Strigonienſi Tyrnaviae 14. Aprilis A. 1630. ap. Peterf. T. II. f. 311.

Synodi Dioeceſani non, niſi ex iuſtis, et grauiſſimis cauſis, annuatim celebrari intermittantur.

Reuerendiſſimi Ordinarii meminerint in Concilio Tridentino rigidiſſimum extare praeceptum, de celebrandis annuatim ſynodis Dioeceſanis, quod ipſum etiam in Concilio Prouinciali anni 1611 ſtatutum fuit. Idcirco ſacra Synodus admonet Ordinarios, vt memores officii ſui, in huiusmodi Synodis celebrandis ſint induſtrii nec niſi, ex iuſtis, et grauibus cauſis intermittant.

XVII. Statutum XVII. Eivsd. Synod. ibid.

Confirmatio Synodi Prouinc. de An. 1611.

Vltimo, quae ad mores recte inſtituendos, et corrigendos ſpectant (quod vnum erat inter ea, quae in Synodis Prouincialibus tractari debent) cum ſatis de iis in Synodo Prouinciali anni 1611. actum ſit, et de eorum remediis prouiſum, ſtatuta illius in praeſenti quoque ſynodo lecta ſunt, et de

nouo confirmata, et ab omnibus ſedulo, ac diligenter obſeruari demandata.

XVIII. Statuta Synodi Dioeceſanae celebratae ab eodem Petro Pazmany Tyrnaviae A. 1630. die 4, et 5. Oct. ap. Peterf. T. II. f. 314.

Statuitur dies celebrandae Synodo apta.

Primo: Vt dies celebrandae Synodo deputata, quae hactenus feſtum S. Franciſci fuit ob incidentes in id tempus occupationes vindemiales, aliasque complures incommoditates, ac difficultates, mutetur: ac deinceps Dominica prima poſt octauam feſti Corporis Chriſti ſit quotannis dies celebranda ſynodo conſtituta, ac deputata, quae caeteris commodior, et aptior eſt iudicata.

XIX. Acta, et Statuta Synodi Prouincialis habitae ſub Ferd. II. Caeſare, Hungariae Rege, et Petro Pazmany S. R. E. Card. Archiep. Strigon. Tyrnaviae 23. Aprilis A. 1633. ap. Peterf. T. II. fol. 327. et 337.

Singulis annis celebrentur Synodi dioeceſanae ab omnibus Epiſcopis, et earum ſtatuta in ſingulis Dioeceſibus promulgentur.

I. Sacri Canones, et ſacra Tridentina Synodus *Seſs. 24. de reform. cap.* 2. iniungunt Reuerendiſſimis Epiſcopis, vt annis ſingulis dioeceſanam Synodum celebrent. Licet enim olim charitate feruente, quotannis

nis

nis bis soliti fuerint huiusmodi synodum celebrare; postea tamen, distinct. 18. cap. 7. statutum est, vt semel in anno celebretur. Idcirco, synodus haec nationalis iniungit Reuerendissimis Episcopis, vt memores salutis animarum suarum, obligationi huic satisfaciant, postpositis omnibus excusationibus; Metropolitani vero suos suffraganeos etiam poenis Ecclesiasticis, ad huius tam necessariae functionis executionem cogant.

II. Qui ex Reuerendissimis Episcopis Dioecesim suam in partibus infidelium habent, si tuto accedere possunt ad aliquem locum suae dioecesis, illuc synodum indicant. Si id fieri non possit, alicui demandent, qui sufficienti instructione edoctus, nomine Episcopi, synodo, qualis celebrari potest, praesit: et de rebus necessariis Episcopum edoceat, vt hac ratione Ecclesiasticarum personarum cura, quae haberi potest, non negligatur, et animarum saluti prospiciatur.

III. In hac vero primitus celebranda dioecesana synodo; imo et ante illam, si forte aliquantum differretur, tenentur Reuerendissimi Domini Episcopi statuta Synodorum Prouincialium, siue Nationalium in sua Dioecesi publicare; vt videre licet *distinct. 18. cap. finali.* Quamobrem omnes et singuli Reuerendissimi Episcopi statuta, synodi praesentis, et praeteritarum exscribi curent, ac in Cathedra-

dralibus, vel quaſi, Eccleſiis, et Parochiis publicari faciant. Et de publicatione facta Eminentiſſimum Cardinalem tanquam Primatem reddant certiorem.

IV. Statuta praecedentium ſynodorum Prouincialium, ac Nationalium, ſicut et Dioeceſanarum hic Tyrnauiae ſuperioribus annis celebratarum, ſacra ſynodus haec recipienda, et in praxim deducenda ſtatuit, cum hac, quae ſequitur, declaratione.

Quod tametſi licitum ſit cum charitate, ac debita reuerentia cuique proponere, ſi quid forte addendum, vel explicandum videatur in ſtatutis ſynodorum factis, vel deinceps faciendis, licitum tamen non eſſe, vt ſemel ſtabilita aliquis reiiciat. Nam nulla vtilitas, vel neceſſitas eſſet ſynodorum, ſi cuique fas eſſet, quod ipſi graue, aut iniucundum videtur, reiiceret. Quocirca ſtatuit ſancta ſynodus, quod ſi quis deinceps id attentare praeſumſerit, iuxta canones puniantur, ac nihilominus ad obſeruationem ſtatutorum ſynodalium a ſuperiore ſuo cogatur poenis eccleſiaſticis.

XX. Acta et Decreta SYNODI Prouincialis: habitae ſub Ferd. III. Caeſare, Hungariae Rege, et Emerico Loſi Archi-Epiſcopo Strigonienſi Tyrnaviae A. 1638. die 13. Iunii cap. V. ap. PETERF. T. II. fol. 364.

De

De Synodis Dioecesanis, singulis annis habendis.

I. Synodos Prouinciales singulis saltem trienniis, Dioecesanas vero quot annis habendas esse, sacrum Concilium Tridentinum praescribit. Domini itaque Episcopi huic postremae Oecumenici Concilii sanctioni satisfacere omnino studeant: et quando legitima causa hoc per sese praestare, synodumque dioecesanam cogere minime possent, saltem per Procuratorem, vel Vicarium suum Generalem, cum mandato sufficienti perficere nullo pacto intermittant. Cui Synodo omnes subditi alias exemti, per edictum vocati interesse tenentur, et qui legitima causa cessante interesse omitterent, vel postquam aduenerunt, ante finem Synodi procederent, nec obtenta licentia, arbitrio ordinarii etiam vsque ad suspensionem officiorum, vel beneficiorum mulctari poterunt.

II. Omnes autem, qui beneficia obtinent, vel qui alias synodo interesse tenentur, professionem fidei in ipsa synodo emittere obligantur. Promulgari etiam Prouincialis Concilii decreta in Synodo hac debebunt, quae vnusquisque vt habeat, necesse est, ne eorum ignoratione se excusare valeant. Moderationes quoque missarum, ac

alias

alias reductiones, quae ex piis fundationibus constitutae sunt, hic fieri possunt, ita tamen, vt saltem per commemorationes fundatorum, ac relinquentium votis commode satisfiat.

III. Examinatores etiam Parochorum hic erunt deputandi, quorum examine praeuio idonei Ecclesiarum Parochialium Rectores promoueri possint.

IV. Decretorum Pauli III., ac Pii IV. de residentia promulgationem huiusmodi non debet intermittere Synodus Dioecesana.

V. Insuper omnia illa, quae pro temporis ratione ad augendum vel confirmandum cultum diuinum pertinere videbuntur, tractari in hac synodo debebunt.

VI. Constitutiones, quae in synodis dioecesanis fiunt, ita publicari in dioecesibus debent, vt nullus ex clero eas ignoret, cum eae sub poenis ac censuris obseruari, ac executioni a quouis mandari debent. Quae vt concordent cum Concilii Prouincialis decretis, praesentari in eo debebunt, vt si quid fortassis discordare videretur, id iuris ratione, in conformitatem reduci, per idem Concilium possit.

VII. Expediet ordinationem fieri in synodis dioecesanis, vt in singulis districtibus Vice - Archidiaconatuum, si non singulis mensibus, saltem in qualibet quarta parte

anni

anni congregationes Parochorum habeantur, in quibus de casibus conscientiarum, de cura animarum, de cultu Ecclesiarum, de plebis aedificatione iuuanda, de modo regendi Ecclesias, administrandi Sacramenta, ac de aliis ad promouendum cultum diuinum pertinentibus piae consolationes, ac collationes fiant, et instituantur. Quod vt per Vice-Archidiaconos non negligatur, diligenter attendant Domini Archidiaconi, quos ad hanc curam Domini Episcopi, aut Vicarii eorum compellere non intermittant.

XXI. Proposita ita sacra SYNODO Nationali Tyrnauiae sub FERD. IV. et Georgio Lippay Archiepiscopo Strigoniensi habita An. 1648. 14. Sept. §. III. ap PETERF. T. II. fol. 378.

De celebrandis singulis annis Synodis dioecesanis.

Vt Domini Episcopi Dioecesim habentes celebrent quot annis Synodos dioecesanas, nostri, et Concilii Tridentini Decretis iniungitur.

TI-

TITVLVS III.

De Conſuetudine.

I. Decretum vnicum ALBERTI Regis A. 1439. Art. 1. in Corp. I. H. P. I. fol. 200.

De reformatione conſuetudinum regni.

Primo, quod antiquas leges, et conſuetudines huius regni, et libertates regnicolarum eccleſiaſticorum, et ſecularium, cuiuslibet ſtatus, ad priorem ſuum modum, et ſtatum, quantum de iure, et cum honore eorundemque Praelatorum, et Baronum, ac regni Nobilium conſilio, et auxilio poſſumus, reducemus redintegrabimus, reformabimus, et de cetero in eiſdem manutenebimus, et conſeruabimus.

II. Ex SYNODO Dioeceſana Prouinciali habita ſub FERDINANDO I. Hungariae Rege et Nicolao Olaho, Archiepiſcopo Strigonienſi Tyrnauiae 23. April. A. 1560. ap. PETERF. P. II. Cap. XIV. fol. 78.

Haereticorum de traditionibus error, obiectio.

§. 1. Certiſſimum eſt, veteres haereticos propemodum omnes, pariter ac recentiores vniuerſos blaſphemo ore Apoſtolicas traditiones proſcindere, ac plane de medio tollere conatos eſſe, atque omnem praeterea

ea operam adhibuiſſe, mouiſſeque lapidem omnem, vt iiſdem extinctis, virulentiſſima dogmata, ſathanicamque ſuam doctrinam e cathedra peſtilentiae per omnium hominum corda diſſeminarent.

Quod vt commodius perficerent, matrem omnium Chriſtianorum ſanctiſſimam, Romanam, Catholicam, atque Apoſtolicam Eccleſiam vnicam ſponſi ſui Chriſti Jeſu dilectam, peſſimi cujuſdam criminis paſſim accuſare, ac in inuidiam vbique locorum, et gentium trahere impudentiſſime, ore mendaci, et corde ſunt ſemper conati. Quaſi illa, quae de omnibus alioquin haereſibus glorioſiſſime paſſim triumphauit, et ad quam haereticorum impietas nunquam potuit pertingere, verbo Dei relicto, hominum quorundam traditiones, vt iſti fingunt, ac figmenta potius, et inſtituta quaedam humana, quae partim verbum Dei, ac Euangelium oppugnarent, partim adiaphora quidem natura ſua, impia vero ex ipſa tradentium intentione eſſent, ambabus, quod aiunt, vlnis amplecteretur, doceret, ac mordicus ab omnibus retineri impie iuberet. Cum interim iactabundi haeretici iſti inter eiuſdem farinae homines, velut Gallus, vt dici ſolet, in ſterquilinio ſuo intercederent, ac ſerio plenis buccis concrepando adfirmarent, ſe verum Chriſti Euangelium ſcire,

genuinum eius ſenſum coelitus, doctore Spiritu Sancto didiciſſe: et quis eſſet optimus Sacramentorum vſus in Eccleſia Dei, eodem Spiritu Sancto, non ita abhinc diu percepiſſe.

Reſponſio ad obiecta.

§. II. Quare, haec ſi vellent doceri, opus eſſe imprimis, vt Papis Romanis, et eorum humanis traditionibus, ac potius diaboli figmentis maledicerent; quod ſcilicet nulla alia ratione aeque apti ad percipienda myſteria eſſe poſſent, quam ſi hoc ipſum toto pectore conſtanter, ac intrepide vbique efficerent. Scilicet debuerunt miſeri illi, teſte D. Auguſtino, veterem illam ſanctiſſimam deteſtari vitam, ſi nouam hanc, et inauditam vellent inchoare.

Haec cum clara eſſent mendacia, cum dogmata non ſolum erronea, ſed aperte impia eſſent, vt nihil minus, quam de his ambigere quiſquam vel mediocriter oculatus poſſet: inuenerunt tamen leuiſſimi homines leuiſſimos quoſque pertinaciſſimoſque ſuae impietatis adſertores, atque propugnatores, prurienteſque auribus poſt ſe diſcipulos innumerabiles propemodum obduxerunt. Neque id ſane mirum fuerit, cum Dominus dicat: Lata porta, et ſpatioſa via eſt, quae ducit ad perditionem, et multi ſunt, qui intrant

trant per eam. Hanc esse haereticorum temeritatem aduersus Matrem Ecclesiam, et ipsas Apostolicas, sanctasque traditiones partim experientia, partim scriptis D. Basilii, Epiphanii, Bernardi, ac aliorum sacratissimorum, vetustissimorumque Patrum passim, ac demum libello illo de haeresibus, vere aureo Alphonsi de castro, ac item alio, quem Martinus Ayala, Guidixiensium Episcopus composuit, plenius docemur: et quod traditiones maiorum Ecclesiaeque auctoritatem, ac dignitatem, omnes Christi fideles manibus, pedibusque sanctissime semper propugnauerint, certo certius intelligimus.

Sunt multis ex caussis necessariae.

§. III. Ex hac re illa profecto summa nascitur. Primo quidem Apostolicas, maiorumque et Ecclesiae traditiones semper fuisse receptas, ac summa veneratione ab ipso Dominico grege habitas: deinde vero pernecessarias eas esse, ac velut propugnaculum Ecclesiae aduersus inferorum portas inexpugnabile. Alioquin nunquam sane tanto impetu, tantoque consensu haeretici omnes eas oppugnassent, quod esse factum locis iam citatis constat: Postremo autem nos saluos esse non posse: imo vero ex Ecclesia Petri, ac Christi Domini naui excussi, in

profundum lacum detrahemur, ſi traditionibus maiorum reiectis, haereticis adhaereſcere, quam eccleſiaſtico coetui maluerimus. Neque ſane arbitrari vlla ratione debemus: nos Euangelium, Euangeliorumque ſenſum, ac totam Chriſti de fide, Sacramentis, ac moribus doctrinam, abſque eccleſiaſticis traditionibus poſſe retinere, dicente Apoſtolo: Ne forte in vanum currerem, aut cucurriſſem, qui ſecundum reuelationem (ſcilicet Domini) aſcendit Jeroſolymam, et contulit cum Apoſtolis Euangelium, quod praedicabat in gentibus. Qua de re vt alios ſanctos Patres, ita quoque ſi D. Hieronymum conſulas, id tibi ille plane adfirmabit. Et Tertullianus id ipſum prorſus docet. B. quoque Theophylus Alexandrinus Patriarcha non aliam ob cauſam ſpiritu ſuperbiae originem in ſacris myſteriis exponendis agitatum fuiſſe adſerit, quam quod non contulerit fidem ſuam cum maioribus, et primoribus; vti, inquit, fecit Paulus Apoſtolus &c.

Quam ob rem nihil antiquius nobis eſſe debet, ſi ſalutem animae noſtrae inter chara pignora habemus: nihil gratius, atque iucundius, nihil aeque neceſſarium, quam ſumma veneratione traditiones maiorum vniuerſas, quas ſanctiſſima Chriſti Sponſa recipit, inuiolatas tanto diligentius cuſtodire,

quan-

quanto perniciosius amittuntur; quantoque haeretici ipsi nobis, eas e manibus impiissimis conatibus eripere studiosius satagunt, id certo sibi adfirmantes; si hoc effecerint, futurum vt euincant vbique sine labore, apud omnes omnium statuum homines, quae velint. Neque ea solum sane, quae in ipsis sacris scripturis sunt nobis consignata: Sed illa etiam omnia instituta, quae per sermonem accepimus, summis conatibus propugnare, ac proprio etiam sanguine eorundem dignitatem, atque auctoritatem tueri diuino instituto plane tenemur. Dominus enim ait: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Et alibi: Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, seruate, et facite. Haec ergo Seruatoris nostri praecepta, Ecclesiaeque traditiones, ac instituta (vt haeretici nostri temporis faciunt) contemnere, magni sceleris argumentum est, et extremae perniciei certissimum iudicium.

Traditiones enim, quas sine scripto vniuersalis Ecclesia, Mater nostra Christi Sponsa vnica dilectissima, et Sancta Romana Ecclesia caput, et matrix aliarum omnium Ecclesiarum recipit, inuiolatasque magno nostro omnium commodo adseruat, viua voce ab ipsis Apostolis esse acceptas D. D. Basil. ac Irenaeus D. quoque August. constanter pariter, ac pie adfirmant.

Probantur ex S. Scriptura, et SS. Patribus.

§. IV. Huius rei indubitatae fidei indicium eſt, quod Apoſtolus inquit: Itaque fratres ſtate, et tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et iterum ad Corinth. Cetera, cum venero, diſponam; Illud quoque D. Joannis magnam vim habet: vt intelligamus, non ſolum ſcriptis ſed ſermonibus etiam Chriſti, et Apoſtolorum traditionibus eſſe inſtituta ſalutis tanquam per manus, fideli maiorum noſtrorum cuſtodia nobis conſignata. Multa, inquit ille Chriſti diſcipulus, qui rerum diuinarum reuelationes ex ipſo dominico pectore hauſit, ſunt alia: quae non ſunt ſcripta in libro hoc. Cur ita? Quia nimirum facilius, et plura accipiuntur, pleniuſque intelliguntur, ac firmius retinentur vitae documenta ex ore maiorum, quam ſi alia quapiam ratione ex libris ipſis papyraceis, aut alterius generis ea ſint petenda. Pauciſſimi enim ſunt, qui vel omnia legere, vel intelligere ea ipſa, quae legunt, per ſe poſſint; vnde Moyſes in cantico ſuo hunc in modum loquitur: Interroga patrem tuum, et adnunciabit tibi: maiores tuos, et dicent tibi. Nouerat quoque Job, ille ore diuino commendatiſſimus,

hoc

hoc ipſum adprime eſſe neceſſarium: ac proinde ita inquit: Interroga generationem priſtinam, et diligenter inueſtiga patrum memoriam. Aggaeus vero Propheta, quia diuino fuerat edoctus ſpiritu, labia ſacerdotum Dei cuſtodire ſcientiam, qui eſſent de ſalutis via a nobis interrogandi, explicatius docuit, dicens: Interroga ſacerdotes legem, (ſcilicet Domini.)

Cum autem Dominus in Euangelio loco iam citato dixerit: Quae dicunt vobis, ſeruate, et facite: ſanctiſſimus vero etiam Apoſtolus (vt iam traditionum eccleſiaſticarum contemtores erubeſcant) cum perambularet Syriam, et Ciliciam confirmans Eccleſias, praecipiebat cuſtodire praecepta Apoſtolorum, et Seniorum. Nulla enim res eſt, quae ita ſe toti Eccleſiae adcommodet, quaeque paruos in Domino ita confirmet, atque viua vox veri Paſtoris ac Eccleſiae traditio, multa religione Patrum vbique terrarum, et gentium intemerate tradita, atque cuſtodita. Vnde cum idem Apoſtolus, ac eius dilectus Timotheus pertranſirent ciuitates: praecipiebant Chriſti fidelibus, vt dogmata, quae erant decreta ab Apoſtolis, et Senioribus, diligenter ſeruarent &c. ac ſi tandem, vt ibidem habetur, Eccleſiae quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie, vt iam

traditionibus maiorum ab Apoſtolis ſpiritu Dei traditis, per haereticos autem homines ſublatis, nihil aliud ſit propinquius, quam vt Eccleſiae infirmetur fides, Chriſtianique langueſiant, ac plane pereant: cum tamen quemadmodum traditionibus maiorum Eccleſiae olim confirmabantur fide, ita quoque ipſi eadem vi abundabant numero &c.

§. V. Haec cauſa fuit ſane vel maxima, cur inuidia permotus tanti noſtri boni lucifer, humani generis hoſtis, per miniſtros ſui ſceleris, id nequam ille, ſummis ſemper conatibus efficere fuerit niſus, vt Maiorum traditiones ſanctiſſimae, propugnaculum videlicet inexpugnabile aduerſus omnia tela inimicorum Crucis, et doctrinae Chriſti, de medio tollerentur Eccleſiae, ne quicquam in ea firmum ac ſtabile remaneret. Scriptura enim diuina iſtis ſublatis, aut nulla eſſet, aut eius auctoritas, nobis vel maxime, incerta profecto eſſet, qui neque Chriſtum Dominum, neque eius Apoſtolos, neque miracula illa, quibus primordia Eccleſiae primitiuae iaciebantur, atque confirmabantur, vidimus: ſed credimus iis, qui quaſi per manus tradita acceperunt ab illis, qui ea ipſi viderunt, ac poſtea bona fide nobis filiis ſuis tradiderunt. Hoc niſi ita fieret, falſa profecto pro veris, pro incorruptis Euangelii teſtimoniis, corruptiſſima

nobis

nobis paſſim obtruderentur, quemadmodum Tertulliano teſte de D. Lucae Euangelio olim haeretici Marcioniſtae Catholicis illorum temporum fecerunt.

Ac vt iam omittamus, quod traditionibus maiorum ſublatis, Sacra ipſa Scriptura, (quae D. Petro teſte, D. quoque Hieronymo, et D. Auguſtino, et reliquis omnibus Sanctis Patribus id adfirmantibus) per ſe difficilis eſt, atque obſcuritatibus non immerito referta, multo difficilior ſane eſſet, atque obſcurior. Illud quoque certum apud omnes eſt; ſi traditiones tollerentur, nullum eſſe locum poſſe ab erroribus tutum: nullum finem libidinibus haereticorum hominum poſſe imponi. Cum enim ſacram Scripturam, reiectis maiorum traditionibus, nobis haeretici homines pro ſua quiſque libidine interpretati ſunt, nonne naſum ſcripturae cereum, in quamcunque placuit partem, imputenter inuerterunt? nonne totum orbem pernicioſiſſimis dogmatibus repleuerunt? nonne imprudentes homines innumeros oppreſſerunt, atque in aeterna praecipitia transuerſos egerunt? eſt ita plane. Quam ob rem tantae neceſſitatis eſt, Eccleſiae traditiones tenere; vt, qui eas contemnunt, nec filii Eccleſiae Chriſti eſſe, nec ſuae ſalutis ſpem habere poſſint. Sunt enim traditiones principium quoddam, ac

certa Christianae fidei regula. Quapropter cum Ecclesia notior, & longe latior sit, quam Scriptura Bibliorum; ideo ab Ecclesia Scriptura canonica regulatur, D. Augustino etiam dicente: Euangelio non crederem, nisi auctoritas Ecclesiae me commoueret.

Constat praeterea ante Moysen, nullas fuisse Scripturas canonicas, sed traditionibus Ecclesiam fuisse gubernatam. Et Christus Dominus, qui suffixus cruci, sibi Ecclesiam desponsauit in fide, per se, nec scripsit Euangelium, nec Apostolis scribere, sed praedicare mandauit.

Per multos itaque annos sine Scripturis noui Testamenti Ecclesia fuit. Nam D. Matthaeus post Domini ascensionem octauo, vel, vt alii volunt, quod videtur verisimilius, vigesimo anno primus scripsit Euangelium, deinde alii Euangelistae multos post annos. Interstitio ergo multorum annorum, Ecclesia non regulabatur Scripturis noui testamenti, quae nondum erant; sed traditionibus Apostolorum, oretenus prolatis tantum, tametsi postea traditionum liber fuerit etiam scriptus, praeter ipsas scripturas, vt referunt D. D. Dionysius Areopagita, et Epiphanius. Nam non minus ratum est D. Cypriano teste, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse

Chri-

Chriſtus tradidit, et in ſui commemorationem fieri praecepit.

Per traditiones, et Eccleſiam regulatur S. Scriptura.

§. VI. Eccleſia igitur, et traditiones Patrum ſiue ſcriptae, ſiue non ſcriptae, ſiue antiquae, ſiue nouae ſint, in Conciliis Oecumenicis maxime promulgatae, Canonicas ſcripturas Bibliorum regulant.

Cuius rei cauſa in omnibus quaeſtionibus fidei ſuborientibus ad Eccleſiam, eiuſque caput, et primates, tanquam ad ſacram anchoram, et columnam, ac firmamentum veritatis confugiendum eſt, atque haurienda eſt inde veritas, teſte Spiritu Sancto, Deutero. trigeſimo ſecundo; vbi, ſicuti paullo antea dictum eſt, habetur: Interroga patrem tuum, et annunciabit tibi maiores tuos, et dicent tibi: Aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaereſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem: et facies, quodcunque dixerint tibi, et docuerint te iuxta legem eius, ſequerisque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Non dicit hic ſane Spiritus Sanctus: quaere legem, et ſcripturam legis; ſed aſcende

ſcende ad ſacerdotes, iudicemque; et adiunxit: Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis, morietur homo ille. In ipſo quoque Euangelio ſcriptum eſt: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Etnicus, et Publicanus. Et alibi: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.

Quaerenda itaque a Iudicibus Eccleſiae in dubiis veritas eſt, et non tantum ab ipſis ſcripturis, quas quiſque, quo velit torquere, pro libito facile poteſt. Nam haeretici quidem ex ſacris Bibliis citant, ſed in ſuam ipſorum perditionem, ac damnationem earum ſenſum verum, propria libidine deprauant.

De hac re audire licet Beatum Clementem ſancti Petri Apoſtoli diſcipulum, et ſucceſſorem. Cuius verba hic operae pretium fuerit ſubiicere. Relatum eſt, inquit, nobis, quod quidam in veſtris partibus commorantes, aduerſantur ſanis doctrinis; et prout eis videtur, non ſecundum traditiones Patrum, ſed iuxta ſenſum ſuum, docere videntur. Multas enim quidam, (vt audiuimus) veſtrarum partium, ſecundum ingenium hominum, ex his, quae legunt, veriſimilitudines capiunt. Et ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cum legitur, non ſecundum propriam ingenii virtutem aut intelligentiam le-

gatur,

gatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte praesumsit: sed id fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum, et extraneum debetis quaerere, aut quoquomodo ipsum ex scripturarum auctoritate confirmare: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit, vt et ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter adserere etc. Hactenus D. Clemens.

Non his dissimilia D. quoque Irenaeus B. Polycarpi, D. Joannis Euangelistae discipuli, coaetaneus, dicit. Quid enim? et si quae de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt? et ab eis, de praesenti quaestione sumere, quod rectum, et re liquidum est? Quid autem, si ne Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi adsentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt.

Idem

Idem alibi: Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris, obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus. Qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes: aut rursus, vt hypocritas, quaestus gratia, et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi decidunt a veritate; et haeretici quidem alienum ignem adferentes ad altare Dei, id est: alienas doctrinas a coelesti igne comburentur, quemadmodum Nadab, et Abiu etc.

Item alibi: Vbi charismata Domini posita sunt: ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea ab Apostolis Ecclesiae successio, et id, quod est sanum irreprobabile sermonis, constat. Origenes quoque antiquissimus auctor, illam solam, inquit, credendam esse veritatem, quae ab ecclesiastica auctoritate non discordat. Et idem alibi: Non debemus exire a prima, et Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei nobis tradiderunt. D. quoque Augustinus ita inquit: Quod per vniuersae Ecclesiae statuta

fir-

firmatum eſt, vel vnius Epiſcopi, vel vnius prouinciae Concilio praeferendum eſt. Et alibi: Nec nos ipſi tute aliquid auderemus adſerere, niſi vniuerſae Eccleſiae concordiſſima auctoritate firmati.

Quapropter, cum neque Eccleſiae, neque ſanctorum Patrum interpretationem, ſenſumque bibliorum, iam inde a principio naſcentis Eccleſiae receptum, ac ſemper poſtea, vbique obſeruatum, haeretici, et ſectarii admittunt: hoc ipſo profecto teſtantur, ſe neque veritatem ſcripturarum, neque ſpiritum, quo ipſo ſunt conditae, tenere, qui fallentes ſemetipſos, et alios, ſuum proprium ſenſum in illis ſequuntur.

Quamobrem vt Tertullianus ſcribit: Non eſt permittendum haereticis, vt ab Eccleſiae auctoritate diſcedentes, nos in dubiis iudicandis, ad ſcripturam, quae naſum, vt prouerbio habetur, cereum habet, tanquam ad iudicem prouocent.

Aduerſariorum de his dubitatio, quae diſſoluitur.

§. VII. Eſt igitur ex iam dictis perſpicuum; Eccleſiae Epiſcopis, et Praelatis, tanquam Chriſto eſſe obediendum, quos teſte D. Ignatio, etiam venerandos, qui ſpernit, non hominem ſane, ſed Deum ipſum, qui teſte Apoſtolo, dedit Spiritum ſanctum,

in

in nobis ſpernit. Sed dicet iam hic contra nos forſitan aliquis. Quid ? num poteſt arbor mala bonos fructus facere ? Vosne hoc docetis, quod cum doctrina Chriſti committetis illis, qui ſe ipſos regere neſciunt ? impiis, ſceleratis, hypocritis gregem dominicum commendabitis ? et tunc primum dicetis, optime ei eſſe prouiſum ? Quis quaeſo ſapientum, conſiliis, ac decretis eorum vellet adquieſcere, atque parere, quorum ſaepe tanta eſt vitae impuritas, vt vix vllus ſit illis in populo peior, qui tamen diuino decreto praelucere omnibus tenentur; qui ſal terrae, lucerna ſuper candelabrum, quae omnibus lucem praebeat, ciuitas ſuper montem poſita ſpecioſiſſima, humano atque diuino iure eſſe debent. An apud iſtos dicemus ſanctiſſimam illam genuinam Euangelicamque pretioſam margaritam, doctrinam ſcilicet puram veritatis Chriſtianae, pietatisque Eccleſiae, ac fidei inuiolatam adſeruari.

Huic facile reſpondebimus, ac profecto paterne, ſiue is ſancta quadam adfectione animi, ſed non ſecundum ſcientiam, ſiue iniquo ex corde verba haec proferat. Ac in primis quidem (vt demus omnes eſſe tales, quales iſte fingit, atque adeo ipſum ſummum Pontificem Romanum Chriſti Vicarium, quod tamen, ſi extra doctrinae modum, aut ordinem diſputationis loquamur, nulla ratione

ne eſt concedendum: ſed demus, inquam, iam nunc rem ita ſe habere) obſeruandum illud eſt, quod Epiſcopi maxime, vt de aliis ſacerdotibus nihil hic dicamus, duobus, vt quidam volunt, modis conſiderari in hoc negotio poſſunt. Vno quidem modo; vt quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus auctoritatem quamdam et ordinis, vt vocant, et iurisdictionis in partem miniſterii cum ſummo ſuo Vicario publicam dederit: Altero autem, vt ſunt perſonae priuatae, hominesque, vt alii homines mortales, ac infirmitatibus humanis pari pene modo ſubiecti: vt inquam conſiderari, et eſſe poſſunt ſine aliqua eccleſiaſtica auctoritate. Quod autem ad auctoritatem eis a Chriſto datam pertinet, ea pura eſt, ſancta, et impolluta, a nemineque mortalium quibuscunque vitiis obnoxio deturpari poteſt.

Neque ſane vllus Sacerdotum ſua voluntaria, ac propria tantum auctoritate myſteria diuina perficit, aut baptizat, etiam baptizandi poteſtatem diuinitus habeat: ſed Chriſtus ipſe eſt, qui per merita paſſionis ſuae omnia ſalutis myſteria in Eccleſia, per miniſtros tamen ſuos ad id conſecratos, peragit, virtute, ac dignitate ſua clementiſſime pariter, ac piiſſime; quique omnem a nobis per baptiſmum aliaque Sacramenta abſtergit ſcelerum noſtrorum maculam. Non

enim in nomine Petri aut Pauli, ſed Chriſti Ieſu baptizamur, confirmamur, vngimur etc. Sic fit in abſolutione quoque Sacramentali: nam tametſi miniſter Sacramenti poenitentiae, et Dei Sacerdos, malus nonnunquam homo ſit, nihil tamen certe Sacramento incommodat ipſius malitia: quia non propria, ſed Chriſti auctoritate, vt Dei, Eccleſiaeque ſanctae miniſter, confitentes abſoluit.

Deus bonis, et malis miniſtris in Eccleſia ſua vtitur.

§. VIII. Quapropter, ſanctam, impollutam, immortalemque auctoritatem atque gratiam Chriſti, aeque malo vt bono miniſtro in Eccleſia ſua vtentis, propria nequitia nullus vnquam aut ſacerdos, aut Epiſcopus, Chriſti miniſter, vt maxime velit et contendat, conſpurcare poteſt

Quemadmodum etiam, ſi aurum ab immunda, et polluta manu contingatur natura, et valore ſuo non minuitur: aut ſicut per ligneos canales aeque, atque per aureos aqua transfuſa terram humectat, ita auctoritas quoque Epiſcoporum, et Sacerdotum non eſt eorum priuata, ſed DEI: hancque ob cauſam ſancta eſt, et impolluta, et nequaquam iniqua ſacerdotis vita contaminari poteſt. Quin imo natura ſua, diuinoque inſtituto, Eccleſiam Chriſti ſponſam rore coe-

leſti

lesti inebriat, ac miris modis sanctam Catholicae mentis aream sacris mysteriis refocillat, impius quamuis sit et ipse minister, et scelestus.

Malorum iniquis moribus, Ecclesiae sanctitas, et doctrina non foedatur.

§. IX. Quod si iam priuatam Episcoporum, et Presbyterorum personam respicias, ac eos sub humanae, corruptaeque conditionis legibus contempleris; possunt quidem illi, fatemur, non secus atque alii homines in peccata etiam grauia nonnunquam incidere: sed si mali sunt, non auctoritatem sibi a Christo datam, sed se ipsos conspurcant, malique sibi ipsis sunt, et cum male viuunt, aliosque malo suo proprio exemplo leges Dei transgressores efficiunt, adcumulant sibi profecto magnam iram Dei, ac tum ratione proprii sceleris, tum etiam ob aliorum peccata, quibus exemplo sanctioris cuiusdam vitae esse debuerunt, magnam sibi ipsis adquirunt damnationem. Petrus quoque Apostolus, cum ad vocem ancillae Christum negaret, non peccauit, vt is, qui post Dominicam in coelos ascensionem summus in Ecclesia tota Christi Vicarius erat futurus; sed vt is, qui quemadmodum dici communiter solet, cum Petrus Gallilaeus esset, homoque mortalis, nondum Spiritum sanctum

acceperat. Eodem modo; ſi Papa male viuit, non ideo male viuit, quia Papa, atque Petri ſucceſſor eſt, ſed quia homo eſt, nondum coeleſti gratia ita confirmatus, vt peccare non poſſit, ſed humanis caſibus ob primi parentis praeuaricationem plane ſubiectus.

Nota praeterea eſt in Eccleſia vulgatiſſima illa ſententia: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quod Eſaias quoque ipſe vaticinatus eſt, rationemque huius Dominici flagelli ſimul explicare prolixius volens, ait: vt ſit ſicut populus, ita eſt ſacerdos etc. Quod ſi iam verum hoc eſt, quod nullus absque magno ſcelere poteſt negare. Si Dominus fecit propter peccata noſtra haec omnia mala in populo, ſecundum illud: ſi erit malum (ſcilicet poenae) in ciuitate, quod Dominus non fecerit: ſi teſte D. Cypriano fit, vt ſacerdotes Epiſcopi, et Eccleſiae Praeſules, Dei iudicio, aut ſcientis, aut permittentis in Eccleſia ordinentur, atque aliis praeficiantur: ſi ſciente quidem Domino probos, neſciente vero, id eſt, permittente propter peccata noſtra, reprobos nonnunquam accipimus Eccleſiae primores; quid eſt quaeſo, cur ordinationi diuinae, dum regnare facit propter peccata noſtra hypocritam, magis reſiſtimus, quam cum ſanctiſſimos quosque viros Eccleſiae ſuae praeficit? Verum, vt ho

ſin-

ſingularis equidem, et diuiniſſimae cuiusdam eius in nos pietatis, et liberalitatis ſignum eſſe plane dixerim: ita quoque illud, ingentis eſt noſtri in eum ſane ſceleris.

Abſtergamus igitur inprimis maculas cordis noſtri, et toto pectore ad Deum conuertamur. Auferamus malum cogitationum noſtrarum ab oculis Domini; quieſcamus agere peruerſe, diſcamus bene facere, quaeramus iudicium, ſubueniamus oppreſſo, etc. Ac tunc primum venite, et arguite me, dicit Dominus.

Deinde vero, quis vnquam docuit in Eccleſia, malam arborem bonos fructus facere? nullus ſane. Iniquo ergo iure eam ob cauſam in crimen mater ſanctiſſima a filiis deſertoribus vocatur.

Aliud eſt profecto, bene, aut bona potius, vera, pia, ac ſancta docere: aliud, longe ab iis diuerſum: ea, quae quis docet, ſincere quoque facere. Nam quae ea eſt illorum haereticorum tanta, tamque ſublimis humana prudentia, vt facile credant neminem poſſe circa veritatis contemplationem verſari, et de eadem recte loqui, ſcribere, ac alios docere, eamque in proprio pectore conſeruare, qui alioquin vita ac moribus a veritate ipſa diſſentire plane conuincitur. Conſenſu ſane omnium hominum ſtat illud firmum: poſſe quempiam propriis naturae

viribus, ſoloque generali Dei auxilio bona dicere, ac ſimul mala facere; bona item aliis conſulere, cum alioquin peſſima quaeque prae bonis ipſe ſibi eligat, atque ſectetur. Ecquid quaeſo fieri putabimus diuina accedente, atque nobis cooperante gratia?

Prophetauit Cayphas, peſſimus quidem ille, ſancto tamen adflatus ſpiritu vera dixit: quia Pontifex erat anni illius. Super cathedram Moyſi, inquit Dominus, ſederunt Scribae, et Phariſaei: Omnia quaecunque dixerint vobis, ſeruate, et facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.

Potuerunt iniqui illi ex cathedra Moyſi bona, ac vera ſemper dicere, et ex eadem cathedra ea etiam docere, quae ad populi ſalutem maxime ſpectabant, teſte Domino: et Praeſules Eccleſiae, vel Romani imprimis Pontificis Maximi id ex Cathedra Petri poſſe negabimus?

Non dixit Chriſtus Dominus noſter: Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat pietas, vitaeque tuae ſanctimonia; ſed: vt non deficiat fides tua. Quid ergo aeque ſceleſtum eſſe poteſt, atque hoc orationibus Chriſti, eiusque dignitati negare, de quo Sanctus Spiritus dicit. Et pro ſua reuerentia?

Si itaque certum eſt, vt certe eſt: fidem apud cathedram Petri pro reuerentia Chriſti, vsque ad conſummationem mundi per-

man-

manſuram inconcuſſam, et inuiolatam; cur recuſabimus eum audire, qui Petri ſedem tenet, ac eos omnes Eccleſiae Praelatos, qui fide ei adhaereſcunt? Mali, dices, illi ſunt. Quid tum? Sibi ipſis profecto, non nobis mali ſunt. Nam niſi iniquitati forte cuiuspiam libere conſentiamus, nulla ſane vnquam vllius perſonae improbitas, vt maxima illa ſit, poterit vsquam vlla ratione nobis officere.

Cum autem fides ſit Chriſtianae vitae fundamentum, vt iam dictum eſt, optime profecto vel hac ſola ratione gregi Dominico eſt prouiſum per Chriſti orationem, ac merita magna nimis; quandoquidem vt diximus, neque fides, neque doctrina fidei vsque ad conſummationem ſaeculi deficere vnquam in Romana Eccleſia poterit, in cuius primoribus, ac maxime, et certiſſime in ipſo Pontifice ſummo Romano, qualis ille tandem, vel reliqui omnes vitae ſanctimonia fuerint, diuina diſpenſatione, atque diſpoſitione ob Chriſti orantis reuerentiam coelitus illa fideliter adſeruatur.

Hanc ſpecialem curam Eccleſiae ſanctae, matris noſtrae, habiturum ſemper ſalutis noſtrae reparatorem Chriſtum Ieſum, apprime nouerat ſummus in terris eius Vicarius, ac Apoſtolorum Princeps beatiſſimus Petrus; ac proinde non dubitauit toti Eccleſiae praecipere, vt ſuis praepoſitis, vel diſco-

lis etiam Dominis intrepide obediret, ac dicto incunctanter pareret. Cur ita? quia omnis anima, D. Paulo teste, potestatibus sublimioribus subdita esse debet: quibus, qui resistit, ordinationi Dei resistit: Omnis enim potestas, vt idem Paulus Apostolus ait, a Deo est. Ac ne de ecclesiasticis maxime Praesulibus in suspicionem veniremus, vtrum boni tantum essent ab ipso constituti: aut ne malis moribus praeditos forsitan despiceremus, aperte per Ezechielem improbos etiam ipsos, gregis sui pastores suos vocat, dicens: Neque enim quaesiuerunt pastores mei gregem meum &c.

Ad haec: quis ignorat dictum Domini? Fortioribus fortior instat cruciatio, aut illud: Potentes potenter tormenta patientur? Vae, dicit Dominus per Ieremiam pastoribus, qui disperdunt (exemplo scilicet suo, ac malis moribus) et dilacerant gregem pascuae meae! Iam vero, si horrendum est, vt certe est, incidere in manus Dei viuentis: quid est, cur tantopere in iudicium pastores Ecclesiae, sub quodam etiam pietatis praetextu trahere satagimus? cur potius non obsecundabimus illis, eorumque decreta, et sanctas ex fide conscriptas, nobisque per manus exhibitas traditiones, quibus plenius et cognoscere, et amare Deum, atque in eius seruitio firmius persistere iuuamur,

uamur, reuerenter excipiemus, ſanċteque obſeruabimus? maxime cum Deus Optimus Maximus ac Chriſtus Ieſus Dominus noſter id ipſum, vt iam dictum eſt, planis verbis praecipiat? Cur non magis condolemus paſtoribus gregis Dominici: quos tanto maiores manent cruciatus, niſi illi ſanctiſſime officio defungantur ſuo, quanto ad altiorem ſunt vocati dignitatis Eccleſiae apicem?

Quod autem mali paſcunt Dominicas oues, verbo, doctrinaque fidei, et iam antea oſtenſum eſt, et hoc ipſum ex illis, quae ſequuntur in capite Ieremiae iam citato, eſt profecto manifeſtiſſimum. Nam cum Dominus paſtores improbos minis certiſſimis ab impietate auocaſſet, et diſpergi per eos, id eſt, per impios eorum mores dominicas oues adfirmaſſet, ſtatim ſubiunxit: Ideo haec dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores, qui paſcunt populum meum: vos diſperſiſtis populum meum &c. vt vel ſolis his dictis planum omnibus faceret Dominus, paſtores eos, qui malo exemplo, vitaeque impuritate oues Dominicas diſpergunt, eaſdem verbo Chriſti, doctrinaque fidei paſcere. Ne quiſquam impuram ſacerdotum Dei vitam, ſe eorum fidei in his, quae ad doctrinam ſalutiferam Chriſti pertinent, incunctanter, ac intrepide dubitaret committere.

Fidelem enim Pontificem ac Dominum habemus, qui nunquam eſt paſſus, vt ſponte ſua tentaretur ſupra id, quod poteſt. Nunquam ita diuina ſua ope deſtituere voluit eos, quos condidit, vt merito quis vnquam poſſit de ſumma eius erga nos pietate conqueri.

Solis Romano-Catholicae Ecclesiae ministris, in fide vera constantiam, et lumen Christus Iesus sua oratione impetrauit, et Spiritus S. contulit.

§. X. Quod ſi hoc paſtoribus Eccleſiae quibusuis diuino teſtimonio compulſi damus, quamdiu Romanae Eccleſiae Catholicae, atque Apoſtolicae adhaereſcere dignoſcuntur: eſt certe, cur conciliis vniuerſalibus, antiquiſſimis maiorum traditionibus hanc ipſam auctoritatem, atque dignitatem tribuamus; maxime vero vt ſancti Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicariis, Romanis Praeſulibus prae ceteris id ipſum deferamus, oportet: qui vel ſoli ſunt, quibus hanc pro reuerentia ſua, vt dictum eſt, Chriſtus Dominus ab ipſo Patre aeterno praerogatiuam meritis, ac oratione ſua ſanctiſſima impetrauit, ne fide Chriſtiana vllo vnquam tempore, vel in paruis, vel in magnis Eccleſiae dogmatibus conſtituendis, aut declarandis, deſtitui poſſent. Eccleſia enim

enim Dei, vt optime Tertullianus ante mille quadringentos annos, et D. Iacobus Christi Apoſtolus eo prior optime ſenſit, atque ſcripſit, non probat ex perſonis fidem: ſed contra potius ex fide perſonas; dummodo Chriſti Vicarius, ac omnes Eccleſiae Praeſules, qui ei ſanctiſſime, ac conſtantiſſime adhaerent, recta doceant, quemadmodum legitime potiſſimum conuocatos, atque in Spiritu Sancto congregatos, recta docere certum eſt. Quid noſtra intereſt, quibus ſit ille, vel reliqui omnes praeſules vitae ſanctimonia, ac moribus Chriſtianis praediti.

Poſtremo vero non nos, ſed Deus illos elegit, dicente ipſo Domino: Ego vos elegi &c. Cui conſonat Apoſtolus Paulus, loco iam citato dicens: Omnis poteſtas a Deo eſt. Nos illis a Deo, non ipſi nobis, commiſſi ſumus. Qui quaeſo, nos ſumus, qui proximum noſtrum, imo principes Eccleſiae, ſeruosue alienos, et maxime ſedentem in Petri cathedra iudicemus? Domino ſuo ille ſtat, aut cadit, ait, vas electionis. Neque ſane fas cuiquam fuit vnquam Chriſtos Domini tangere, aut de Prophetis iudicium ferre, Domino dicente: Nolite tangere Chriſtos meos, et in Prophetis meis nolite malignari. Iudas, teſte D. Auguſtino, loculos quamuis habuerit, fueritque fur, et latro, Euangelium tamen abſque fi-

de-

delium detrimento praedicauit; quem qui ſpreuiſſet, Chriſtum profecto ſpreuiſſet, qui dixit: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Satius certe eſſet exemplum Sem, atque Iaphet, ac poſt iſtos, Chriſtianiſſimi Imperatoris Conſtantini Magni, in verendis Patrum noſtrorum tegendis, veſtigia, et ſanctimoniam imitari, quam criminatoris Luciferi perſonam impudenter etiam agere. Cum ventum erit ad Chriſti Ieſu tribunal, vbi nos omnes manifeſtari oportet, non quaeretur a nobis: quid Pontifex, vel Eccleſiae Primates fecerint? non illorum ſane a nobis, ſed noſtrae tum a nobis ipſis, tum ab illis vitae ratio repoſcetur. Et vt primario Chriſti in terris Vicario reliqui omnes: ita quoque ille, vni Domino, vitae ſuae, commiſſique Pontificatus rationem reddet exactiſſimam. Et quamuis dictum ſit: relaturum vnumquemque propria corporis, prout ipſe geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum; longe tamen veriſſimum illud eſt, ac Praeſulibus perhorreſcendum verbum Domini: Ecce ego ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Exiget ſane a nobis Deus vitae noſtrae rationem: exiget et ouium ſuarum ſanguinem de manu paſtorum ſuorum.

Ado-

Adoratio ad Pastores aeque, ac oues Ecclesiae Catholicae.

§. XI. Ex his itaque, quae dicta sunt, primo quidem cauendum esse constat vel maxime, ne illud sibi sumat ouis; vt a quo venit ipsa iudicanda, Pastorem suum iudicet: Deinde; ne sanctitatem Cathedrae despiciat, deseratue aut propter pastores malos, gregis vnitatem diuidat Christianam, ac potius inconsutilem Christi tunicam, id est, vivacem Ecclesiae charitatem, ac insignem pietatem maternam laceret; neue in acceptione personarum, quae teste D. Augustino mater est errorum, fidem Christi habeat: tertio; ne quidquam ad salutem spectare putet, qua sint pastores vita, sed qua fide praediti. Nihil enim detractum est de sanctimonia traditionum propter impietatem Patrum: nihil veritati fidei incommodat, nihil Ecclesiae dogmatibus Praelatorum impuritas scabiei affricat, si quae illa etiam maxima, ac notissima sit.

Certos atque securos Christus Dominus nos in hac parte fecit, loco iam saepe citato dicens: Quae dicunt, facite, quae faciunt, nolite facere. Dicunt enim, quae Dei sunt; dicunt ex Cathedra Petri, quae bona sunt. Atque hoc esse nobis debet satis. Illi vero, si quae forte impia volunt, aut ea potius,

quae

quae hominibus placent, quam quae Christo grata sunt, faciunt. Populo namque illud mandatum eſt, non vt quales Praelati ſunt, quaerat, ſed vt eorum decreta obſeruet, dicto obediat. Qui enim hos recipit, qui eoſdem audit, Chriſtum audit, apud quem vita eſt, et mors: qui et ſaluare poteſt, ac vult pios, et impios in gehennam trahere.

Qui non tam ſacrificium, atque victimam, quam ipſam obedientiam iure ſuo a nobis repoſcit; qui ſe laeſum a nobis adfirmat, dum miniſtrorum ſuorum dignitas, et auctoritas, quos ipſe ſuper gregem ſuum conſtituit, aliaque ratione laeditur; quibus, qui non obtemperat, de Cathedra Petri docentibus, pro ethnico habetur, et publicano.

Qua ex re conſtat profecto, maiorum traditionibus reiectis, nihil ſanum, firmum, ſtabile, aut certum in Eccleſia Dei relictum iri: contemtis autem iis, contemnuntur Praeſules Eccleſiae, contemnitur ſummus Chriſti Vicarius, deſpicitur ipſe Chriſtus, amittitur vera ſalus, adquiritur ipſiſſima mors, in qua nullus ordo, ſed euerſio ſumma, rerum inordinatiſſima permixtio, et ſempiternus horror inhabitat. Quapropter tanta traditionum maiorum ac Eccleſiae totius Chriſti Ieſu ſponſae vnicae dilectiſſimae, eiuſque Praeſulum, debet apud nos eſſe auctoritas,

quan-

quanta eſt dignitas, ac virtus eius, ex quo tanquam puriſſimo fonte aquae ſalientis in vitam aeternam, Eccleſiae dignitas, et auctoritas ortum habet.

Si ergo Chriſtus Dominus apud nos in auctoritate eſt, vbi ipſe eſt, illic ſit et miniſter eius, illic et decreta eius, illic dignitas, ac ſermo eius, id eſt: ſi chara nobis ſalus animae noſtrae eſt in ipſis animae noſtrae viſceribus, illi eorumque decreta eſſe debent.

Id ſolum maxime in hac re attendamus, quaeſo: Deum videlicet a nobis id obedientiae velle, ac inſtanter, ſuper holocauſtomata requirere, vt iam non ſcilicet reſpicere debeamus, qualis ille ſit, qui traditiones nobis proponit, quantae puritatis, quam eximiae caſtimoniae vitae; non vtrum ſit Petrus, an Paulus, an homo, an de coelo aliquis Angelus: ſed eum eſſe Chriſti Vicarium; eum, pro quo Chriſtus orauit, ne eius fides deficeret. Item, quod haec ipſa oratio pro Chriſti reuerentia audita eſt, ne vlla ratione fide deſtituatur is, a quo vel ſolo fidei Sacramenta, et doctrina eſt petenda: etiamſi reliqui omnes illam forte amiſerint, aut deſeruerint potius. Hoc ſolum nos in hoc negotio Deus ſpectare vult, quod cathedram Petri tenet: quod Apoſtolus, quod ſacerdos, quod Eccleſiae Praeſul,

ſul, quod Chriſti legatus, quod Angelus Domini exercituum ſit, de cuius ore legem Domini requirere Dominicus grex iubetur. Seruate ergo, chariſſimi fratres, traditiones, quas a maioribus Eccleſiae accepiſtis; quas Mater ſanctiſſima noſtra Eccleſia Romana, cuius fides in vniuerſo mundo annunciatur, iam a principio ſemper adamauit; quas de Chriſti et Apoſtolorum pectore pro ratione rerum, ac temporum depromſit; quasque inuiolatas, nobis velut mater fidiſſima adſeruauit, ac ſuo quoque tempore, animarum noſtrarum ſitiens ſalutem propinauit.

Haec enim voluntas Dei eſt, quam ore proprio expreſſit Dominus loco iam citato dicens: Quae vobis dicunt, ſeruate, et facite; quam Prophetas, et Apoſtolos item ſuos, atque Doctores Eccleſiae, populumque Chriſtianum ſemper vbique terrarum, atque gentium docuit, vt ex iis, quae iam antea dicta ſunt, liquido conſtat. Obedite ergo Praepoſitis veſtris, et ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes. Hoc enim non expedit vobis: ſi videlicet illud propter duritiem cordis veſtri efficitur, vt cum dolore, et gemitu praeeſſe vobis velitis, nolitis, ipſi cogantur. Vobis vero perutile

certe

certe erit, atque pernecessarium illud: si dicto obedire firmiter apud vos constitueritis; idque non ex impatientia, sed ob ipsius obedientiae, et charitatis amorem, ac studium.

III. Statuta et Decreta SYNODI TYRNAV. Nation. sub FERD. II. et Petro Pazmani S. R. E. Card. Archi-Episcopo Strigon. A. 1630 die 14. Aprilis celebratae ap. PETERF. T. II. f. 308.

Decernitur, vt Breuiarium, et Missale Romanum relicto Strigoniensi, excepto proprietario singularium sanctorum tutelarium amplectatur.

Primum: Licet neque sacrosancta, et Oecumenica Synodus Tridentina, neque Sedes Apostolica abrogauerit vsum Breviarii, et Missalis, iuxta antiquum, et receptum ritum Ecclesiae Strigoniensis, et ordinem, vtpote quae ante trecentos, et amplius annos recepta esse, et vsu immemorabilis temporis confirmata dignoscuntur. Nihilominus quia animaduertit sancta Synodus, non paucos, nec leues in huiusmodi Breuiariis, et Missalibus psallendis defectus contingere: inter quos non vltimum locum tenet, quod omnes fere totius Vngariae clerici (vno duntaxat, alteroue excepto) priuatim in recitandis horis canonicis, ac celebrando Missae sacrificio, Romano Breuiario, ac Missali, non vero Strigoniensi vtan-

tur, cum in Ecclesia in horis decantandis, ac Missa Strigoniensis Breuiarii ritus obseruetur. Quod an citra laesionem conscientiae fieri possit, timorato cuiuis merito in dubium ac scrupulum venire potest. Videt etiam S. Synodus, omnes fere Europae Ecclesias, saltem nobiliores, reiectis propriis particularibus Romani Breuiarii ritum in officio diuino canendo, et psallendo amplexas esse. Ipsa quoque Romanae Ecclesiae, vtpote Matri, ac Matrici suae conformare se quam proxime studens, statuit, primum quidem per aliquot pios ac doctos viros, et rerum ecclesiasticarum gnaros, patronorum huius regni peculiarium proprias missas, officia, lectiones, responsoria cum suis festis, et eorium octauis, in vnum colligi, ac compilari, ac si collecta Sedi Apostolicae proponi, quae si huiusmodi regni Sanctorum Tutelarium officia, ac missas, suis festis, ac temporibus celebranda admiserit, decernit S. Synodus, se quoque Romanae Ecclesiae conformare, ac relicto veteri suo Strigoniensi Breviario ac Missali Romanum amplecti, et iuxta ritum Romanum in Ecclesiis psallere, et officium diuinum decantare. Si vero Sedes Apostolica, patronorum officia rata habere nollet, eligit S. Synodus antiquum vsum retinere, quam a pietate, ac deuotione erga patronos suos ac Tutela-

res

res Sanctos recedere. Ad colligenda porro huiusmodi sanctorum festa, officia, ac missas deputati sunt Reuerendissimi Domini Episcopi Waradiensis, Quinque Ecclesiensis, et Bosnensis; quae etiam vbi sedis Apostolicae auctoritate adprobata fuerint, imprimi, et ad calcem Breuiarii Romani adponi oportebit.

TITVLVS IV-VI.

De Postulatione, electione et translatione.

I. Literae SILVESTRI P. II. ad STEPHANVM Regem Hungariae datae A. 1000. prout eas ex INCHOFERO edidit vir clar. ADAMVS KOLLARIVS in Histor. diplomat. Iuris patronatus Reg. Hung. Lib. I. Cap. IX. p. 46.

Collatio iuris patronatus Regi Hungariae facta.

Legati Nobilitatis Tuae, inprimis vero carissimus Confrater noster Astricus, venerabilis Colocensis Episcopus, tanto maiori cor nostrum laetitia adfecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quanto diuinitus praemoniti, cupidissimo animo illorum aduentum de ignota nobis gente praestolabamur. Felix Legatio, quae coelesti praeuenta Nuncio, atque Angelico pertractata ministerio, prius Dei conclusa est de-

creto, quam a nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, neque currentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt Dei: qui, teſte Daniele, mutat tempora et aetates: transfert regna, atque conſtituit: reuelat profunda, atque abſcondita, et nouit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quae ſicut docet Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primo ergo gratias agimus Deo Patri, et Domino noſtro Iesv Chriſto, qui temporibus noſtris inuenit ſibi Dauid filium Geyſae, hominem ſecundum cor ſuum, et luce irradiatum coeleſti ſuſcitauit illum parcere Iſrael populum ſuum, electam gentem Vngarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis Tuae in Deum, et reuerentiam erga ſedem Apoſtolicam, cui diuina patiente miſericordia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, praeſidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, Apoſtolorum Principi regnum, ac gentem, cuius Dux es, cunctaque Tua, ac Te ipſum per eosdem legatos, et literas perpetuum obtuliſti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte teſtatus es, et re vera talem Te merito eſſe demonſtraſti, qualem vt nos Te declarare dignaremur, ſtudioſe expediuiſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, vt quem tot ac talia praeclare

pro

pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipſe commendat, amplius commendemus. Quare glorioſe Fili cuncta a Nobis, et ſede Apoſtolica expoſtulata, Diadema, nomenque Regium, Strigonienſem Metropolim, et reliquos Epiſcopatus de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius auctoritate, praemonente, atque ita iubente eodem omnipotente Deo, cum Apoſtolica, et noſtra benedictione libenter conceſſimus, concedimus, et impertimur. Regnum quoque a Munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque vna, ac gentem, et Nationem Vngaricam praeſentem, et futuram ſub protectionem Sanctae Romanae Eccleſiae acceptantes, Prudentiae Tuae, haeredibus, ac legitimis ſucceſſoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus, et conferimus. Qui quidem haeredes ac ſucceſſores tui quicunque, poſtea quam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter Nobis, et ſucceſſoribus noſtris per ſe, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reuerentiam exhibere, ſeque ſanctae Romanae Eccleſiae, quae ſubiectos non habet, vt ſeruos, ſed vt filios ſuſcipit vniuerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica fide, Chriſtique Domini, ac Saluatoris noſtri religione

firmiter perſeuerare, eandemque promouere. Et quia nobilitas Tua Apoſtolorum gloriam aemulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum praedicando, eiusque fidem propagando, gerere non eſt dedignata, noſtrasque, et Sacerdotii vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem prae ceteris ſingulariter honorare: idcirco et Nos ſingulari inſuper priuilegio Excellentiam Tuam, tuorumque meritorum intuitu, Haeredes, ac ſucceſſores tuos legitimos, qui, ſicut dictum eſt, electi, atque a ſede Apoſtolica adprobati fuerint, nunc, et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; vt poſtquam Tu, et illi, Corona, quam mittimus, rite iuxta formulam Legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, crucem ante ſe, Apoſtolatus inſigne geſtare facere poſſis, et valeas, atque illi poſſint, valeantque: et ſecundum quod diuina gratia Te, et illos docuerit, Eccleſias regni tui praeſentes, et futuras, Noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum vice diſponere, atque ordinare. Apoſtolica auctoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, et rogamus, ſicuti in aliis literis, quas in communi ad Te, Optimatesque Regni, et cunctum fidelem populum, per Nuncium noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius haec omnia explicata continentur. Ora-

mus

mus omnipotentem Deum, qui Te de vtero matris tuae vocauit nomine tuo ad regnum, et Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum Iuſtitiae ſuae, nouellas plantas regni tui rore ſuae benedictionis perfundat largiter; regnum tuum Tibi, Teque regno ſeruet incolumem; ab hoſtibus viſibilibus, et inuiſibilibus protegat; ac poſt terreni regni moleſtias, in coeleſti regno Corona adornet aeterna. Data Romae VI. Kal. April. Indictione decima tertia.

Sitne authentica epiſtola haec SYLVESTRI P. II. *ab* INCHOFERO *primum producta, lis eſt inter eruditos paucos ante annos moueri coepta. Cuius quidem litis arbitrium mihi ſumere non eſt animus. Non putaui tamen eſſe committendum, vt eam ſilentio premerem, cuiusque lectoris prudenti iudicio relinquens, vt examinatis vtrinque rationibus id ſecum ſtatuat, quod rationi maxime conſentaneum videbitur.*

II. Refutatio inueſtiturae Epiſcoporum, quam fecit Rex Hungariae COLOMANNVS ad mandatum Papae PASCHALIS II. edita a MVRATORIO in vita PASCHALIS II. Tom. III. Script. Ital. f. 364.

Renunciamus vobis, Pater venerande, nos legi diuinae ſubditos, ac ſecundum eam ſeruire vobis paratos. Vnde et inueſtituram Epiſcoporum hactenus a maioribus noſtris habitam, iuxta admonitionem veſtram dimiſimus; et ſi quid in electionibus huiusmodi minus canonice retroactum eſt, de cetero Deo volente cauebimus.

III. Ex Hist. diplom. Iur. patron. Reg. Hung. a cl. KOLLARIO edita, L. II. cap. XIV. p. 120.

Rescriptum priuilegii Regis Hungariae, qui pro reuerentia Ecclesiae Romanae, et Domini ALEXANDRI *P. Ecclesiae Hungariae libertatem donauit, et fecit.*

B. Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque; L. Dei gratia Strigoniensi, C. Colocensi Archi-Episcopis, atque omnibus eorum suffraganeis, Praepositis quoque regalibus, nec non omnibus vniuersaliter Ecclesiasticis personis, in praedictis Archi-Episcopatibus constitutis, tam praesentibus, quam futuris in perpetuum. Iustum, et rationi consentaneum esse dignoscitur, ac sanctarum Scripturarum testimoniis comprobatur, vt, qui regiae celsitudinis culmen ab aeterno Rege merentur accipere, iis, quae ad Ecclesiae, et Christianitatis profectum noscuntur in aliquo pertinere, tanto teneantur prouida sollicitudine, et cautela intendere, quanto pro honore a diuina dispositione collato debent suo creatori vberiorem deuotionem prae ceteris exhibere. Ea propter, propria ratione inducti, et saluberrimis exhortationibus M. Venerabilis S. R. E. Cardinalis propensius attentiusque commoniti, deuotionem quoque venerandae memoriae Regis G. Patris nostri, quam circa sacrosanctam Ro-

manam

manam Ecclesiam, et sanctum Patrem nostrum D. Alexandrum Pontificem studuit per omnia exhibere, modis omnibus, quibus possumus, imitari volentes, institutionem super depositione, et transmissione Episcoporum, quod in se, et in suis posteris D. Papae Alexandro, et suis successoribus noscitur concessisse; videlicet, quod absque auctoritate, et consilio eius, vel successorum suorum, depositionem, seu translationem Episcoporum non faceret, vel fieri permitteret, confirmamus, et tam in nobis, quam in posteris nostris, perpetuo inuiolabiliter duraturam censemus.

Praeterea antecessorum nostrorum consuetudinem retro temporibus habitam relinquentes, in nobis, et in nostris posteris immobili firmitate valituram sancimus; quod decedentibus Episcopis, in rebus Episcopalibus procuratores laicos de cetero non ponemus, atque poni nullatenus permittemus: sed honestos clericos, qui non ad voluptatem, sed ad necessitatem victus de ipsarum Ecclesiarum rebus moderate accipiant, ibidem instituemus; qui reliqua omnia bona fide, et sine fraude aliqua ad reaedificationem ipsarum Ecclesiarum, et domorum Episcopalium, seu Canonicorum, ad vsus quoque pauperum, viduarum, et orphanorum fideliter debeant adseruare. Nos vero

vel posteri nostri, nihil vnquam de iisdem rebus in vsus proprios vlterius redigemus, nisi forte, quod absit, hostes regni in manu valida fines ipsius regni intrauerint, vel aliqua alia vrgentissima necessitas postulauerit, et tunc quoque id sine Episcoporum consilio non faciemus. Addimus etiam, et robore inconcusso tam in nobis, quam in posteris nostris perpetuo obseruandum statuimus, quod Regales Praepositi, vel Abbates de suis Praeposituris, vel Abbatiis, seu dignitatibus non a modo deponentur; in hac parte consuetudini nostrae antiquae per nos, et posteros nostros, renunciantes, nisi infausto casu contingeret eos super certo crimine, canonico ordine conuinci, vel crimen suum publice confiteri. Ad haec C. Archi-Episcopus Colocensis, omnes Episcopi Electi, Regales Praepositi, et Abbates munificentiam, ac libertatem, quam pro reuerentia Beati Petri, et sanctissimi Papae nostri Alexandri, nec non et M. Venerabilis Diaconi Cardinalis Apostolicae sedis Legati sibi concessimus, attendentes, prauam suam consuetudinem, et omnibus canonibus obuiantem, quae in instruendis, et destruendis Praepositis, aliisque dignitatibus, et ecclesiasticis beneficiis subtrahendis exercebant, in manus praedicti Cardinalis penitus reliquerunt. Vnde communi consensu, et

libera

libera eorum omnium voluntate decernimus, et inuiolabiliter praeſenti priuilegio valituro perpetuo ſtabilimus, quod nulli Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, Praepoſitorum, Abbatum deinceps licentia pateat, de Praepoſituris ſuos Praepoſitos remouere, vel alias Eccleſiaſticas perſonas ſuis dignitatibus, aut Eccleſiaſticis beneficiis priuare, niſi forte de crimine fuerint conuicti canonice, vel confeſſi. Haec autem omnia de conſilio glorioſae Reginae Matris noſtrae, et Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum omnium, Electorum, Praepoſitorum Regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, Procerum, et aliorum Principum ſtabilita, ac firmiter corroborata noſcantur. Actum in Ciuitate W. anno MCLXIX.

Diploma hoc, quod Stephano III. R. H. vulgo tribui ſolet, Belae eiusque filio Henrico (ſeu Emerico, quod Hungaris idem ſonat) viuo patre coronato per ea tempora Regibus Hungariae adſcribendam eſſe, ideoque literas B. et H. eidem promiſcue praefigi ſolitas de vtroque intelligendas eſſe erudite, probat clar. Kollar L. II. c. XV. et in huius confirmationem ibidem monet, quod error in nota chronica a librario admiſſus facile emendari poſſit, ſi loco anni MCLXIX. addito X. ſubſtituatur annus MCLXXIX, in quem incidit annus XIX. Pontificatus Alexandri III, quo diploma hoc datum fuiſſe obſeruauit Cardinalis Arragonius in vita Alexandri III. ap. Mvrator. *Script. rer. Ital. Tom. III. P. I. p. 364.*

IV.

IV. VLADISLAI II. R. H. Decret. VII. Art. 24. A. 1514. in Corp. I. H. Tom. I. f. 328.

Nemo de ruſtica progenie natus, in Epiſcopum eligatur.

Nemo de ruſtica progenie natus in Epiſcopum, vel Archi-Epiſcopum (ob perpetuam praemiſſae ruſticanae proditionis memoriam) per Regiam Maieſtatem promoueatur:

§. I. Et, ſi quispiam promoueretur, nemo illi decimas dare teneatur.

V. FERD. I. Decret. XI. A. 1548. Art. 9. in Corp. I. H. Tom. I. f. 419.

Epiſcopatus prouentibus ſpoliati ſunt: ideo pro confirmationibus ſummus Pontifex gratis concedendis, per Oratores interpellandus eſt.

Et quoniam Epiſcopatus fere omnes, qui ſub ditione Regiae Maieſtatis ſunt, in his diſturbiis, magna ex parte bonis, et prouentibus ipſorum ſpoliati ſunt; adeo, vt vix quotidiani ſumptus Epiſcopis ſuppetant, nedum arces ipſorum finitimas conſeruare poſſint:

§. I. Supplicant Ordines, et ſtatus Regiae Maieſtati; vt ſua Maieſtas inſtet, et efficiat apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, (id quod etiam ordines, et ſtatus publico

blico nomine facturi sunt) quo Sanctitas sua, confirmationes Episcoporum nondum consecratorum, gratis concedat:

§. 2. Auctoritatemque insuper gratis tribuat aliquibus ex eis, consecrandi hic in Regno suffraganeos, vt sint, qui sacros Ordines impertiant. Nam et hactenus, suffraganeorum inopia, multis in locis magnus defectus Clericorum, et Sacerdotum in Regno accidit.

VI. FERD. I. Decret. XII. Art. 14. A. 1550. in Corp. I. H. Tom. I. f. 431.

Episcoporum nouiter electorum confirmatio a Papa petenda.

Videtur autem illud apprime esse necessarium, ut quo Episcopi, tum per se, tum vero suos ad id delectos Vicarios, ac caeteros Ministros munia ipsorum rite possint obire, (cum plerique ex ipsis Episcopis, a Regia Maiestate, tum antea, tum proximis temporibus ad id muneris electi, nondum sint a Sancta Sede Apostolica confirmati, ac proinde impares sint, ad praestandum ea omnia, quae ipsorum officio incumbunt) Maiestas Regia dignetur primo quoque tempore, praecipuo aliquo Oratore suo misso, diligenter instare, et efficere apud futurum Summum Pontificem; vt gratuitam confirmationem Episcoporum, a sua

Ma-

Maieſtate electorum in Regno Vngariae; nec non ſuffraganeorum aliquot in locis neceſſariorum, clementer largiri; et in manus ſuae Maieſtatis expeditas Bullas huiusmodi liberaliter mittere dignetur: vt eas Maieſtas ſua Epiſcopis ipſis, ad quos ſpectauerint, benigne diſtribuere, et illi hoc modo confirmati, munus ſuum paſtorale valeant poſtmodum liberius exercere.

§. I. Conſtat etenim calamitoſis his temporibus, quibus regnum armis hoſtilibus diu vexatum eſt, Epiſcopatuum reditus, ac bona, vel maiori ex parte imminuta eſſe, vel ſi quae adhuc ſuperſunt, in vſum ad conſeruandas artes finitimas vix ſufficere, nedum ad quotidianas neceſſitates Epiſcoporum pro dignitate ſatis eſſe poſſe: Vsque adeo; vt quae olim Annatae pro huiuſmodi confirmationibus in vrbe pendi ſolitae erant; haudquaquam, vel minima ex parte hoc tempore videantur poſſe conflari: atque ita interim multa negliguntur, in quibus pietatem, et religionem peſſundari neceſſum eſt: Quemadmodum hactenus ob hanc cauſam, multis in locis contigiſſe res ipſa edocuit.

§. 2. Siquidem conſecratorum Epiſcoporum inopia, qui vel ſaltem ordines impertirent, Presbyterorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiae mira paucitas, orbitasque,

que, in multis Regni partibus eſt ſubſecuta; atque hinc facilior, prauis dogmatibus aditus fuit.

VII. Acta et Statuta SYNODI Nationalis habitae ſub FERD. II. C. H. R. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. April. A. 1633. Propoſ. XIII. ap. PETERF. P. II. f. 330.

Quibus Epiſcopatus titulares conferendi?

Saepe magnum patiuntur defectum Eccleſiae Vngaricae, eo quod Epiſcopatus titulares, qui antea in Capitulis erant, extra regnum conſtitutis conferantur. Nam nec in Synodis, ac comitiis eorum opera vti poſſumus; nec in Sacramento Ordinum, ac Confirmationis adminiſtratione, aliisque Epiſcopalibus functionibus, leuamen ab iis habemus. Quocirca per Reuerendiſſimum aulae Cancellarium roganda eſt ſua Maieſtas, vt in poſterum iis conferre dignetur, qui in Vngariae Capitulis reſident. Et vbi vacatio contigerit, teneatur Dominus Cancellarius pro tempore exiſtens id Maieſtati ſuae efficaciter in memoriam reuocare; ita vt deinceps ſua Maieſtas cetera quoque beneficia vt plurimum, et ante alios illius dioeceſeos ſacerdotibus conferre dignetur, in qua beneficia ſita eſſe dignoſcuntur.

VIII.

VIII. Propoſita in SYNODO Nation. habita ſub FERD. IV. Hung. Rege et Georgio Lippay Archi-Epiſcopo Strigon. Tyrnauiae 14 Sept. A. 1648. Propos. XIII. etc. ap. PETERF. P. II. f. 380.

Nominati, et electi quantocyus a ſede Apoſtolica procurent confirmationes.

I. Norunt Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, quam grauis illis incumbat obligatio, et poena, vt a ſua Maieſtate nominati, et electi quantocyus apud Sedem Apoſtolicam ſuas procurent confirmationes: excuſant non immerito quosdam impediti in curia Romana confirmationem progreſſus, poſtulata onera annatarum; verum id non obſtat, quo minus proceſſus ſuos conficiant, et Romam transmittant; quod veremur, ne a quibusdam negligentiae, vel forte etiam auaritiae vitio omitti contingat.

Debent a S. Pontifice confirmationem impetrare.

II. Similiter etiam, qui ab vna Sede Epiſcopali ad alium translati ſunt, memores ſint, a ſua ſanctitate impetrare confirmationem; ſi enim ad priorem Eccleſiam fuerunt confirmati, Matrimonium, quod intercedit eis, cum illa Eccleſia, diſſolui, niſi Pontificia auctoritate, non poteſt; et conſecratio Epiſcopalis non tribuit illis iurisdictionem in aliam Eccleſiam, ad quam Regia auctoritate fuere translati.

Diſſi-

Difficultates in curia Romana circa confirmationem Epiſcoporum.

III. Circa quas quidem Epiſcoporum, ſeu Epiſcopatuum confirmationes, quales in Curia Romana moueantur difficultates, et petantur annatae a ſingulis Epiſcopis, conſtare non dubito plerisque, et vberius ex ſcriptis, quae exhibeo, intellecturae ſunt; quarum ſumma videtur ſequentibus punctis comprehendi I. Non vult Romana Curia confirmationes Epiſcopatuum noſtrorum, vti hactenus ab annis centum factum eſt, gratis, et ſine annatarum ſolutione expediri. II. Poſtulat certam pecuniae ſummam antiquo more a ſingulis annati nomine ſolui. III. Confirmationes noſtras per viam ordinariam, non vt huc vsque per viam ſecretam expediri. IV. Cardinalis proponens exigit propriam ſuam ad inſtar veteris annatae, quando erant Epiſcopatus integri, et ſalui. V. In Cancellaria Nunciaturae aliquot iam aurei petuntur a Secretario pro redimendo duntaxat proceſſu; in quibus omnibus, quid porro ſanctae Synodo videatur faciendum; an inſtandum vlterius apud Sedem Apoſtolicam pro gratuita expeditione; an vero conueniendum pro certa aliqua leui ſumma titulo Annatae, an etiam Romae certus aliquis agens habendus, ac de prouiſione eiusdem.

Proponuntur abſurda ex frequenti mutatione Epiſcopatuum.

IV. Frequentes mutationes Epiſcopatuum praeſertim Dioeceſes habentium, nociuas eſſe Eccleſiis praeteritarum Synodorum querelis, et experientia euadit manifeſtum. Quibus ſatis dubito, an hoc tempore oportuno aliquo remedio obuiari poſſit, niſi forte expediret, in habentibus Dioeceſim, et reſidentiam, puta Agrienſi, Iaurienſi, Nitrienſi, Veſprimienſi nullam, niſi ad Archi-Epiſcopatum fieri mutationem: quicquid tamen ſit de iſtis, circa res mobiles in his mutationibus, diſpoſitionem aliquam faciendam Synodali auctoritate cenſerem: animaduerto enim in ſimilibus migrationibus diffidia, et mutuas querelas inter Dominos Praelatos oriri; prouentus enim necdum perceptos, qui plerumque ſunt decimales, praetendere ſolent, ſi feſtum S. Georgii attigerint emigrantes, properant vendere, donant familiaribus, quicquid poſſunt in ſuam vtilitatem conuertere etiam cum damno ſucceſſoris non negligunt; prouentus quoque induſtriales, potiſſimum ſeminaturas frugum, et frumenti, praetendunt metere ſeminantes, aut ſaltem medietatem eorum. Suppellex domus extincto Epiſcopo manet ſucceſſori: hanc quoque viui migrantes Praelati auferre, domusque

et

et arces mundare dicuntur; ſimiliter et allodiaturam omnem, greges armentorum, pecorum maiorum, et minorum penitus auferunt. An non modus aliquis hac in parte, et quis ſtatuendus videatur, vt regula aliqua certa charitatem inter eos conſeruet, et ſcandala procul amoueat.

Proponitur, quomodo Epiſcopatus titulares pauperes combinentur cum Abbatiis.

V. Vt nihil loquamur de habentibus Dioeceſim, Epiſcopatus titulares ſunt complures in hoc regno, atque etiam neceſſarii propter vota, tum propter decorem, et ius conſeruandum, ſi quando placeret diuinae bonitati eos e manibus infidelium eripere; hi tamen ita pauperes plerumque ſunt, vt gradum ſuum, et honorem ſuſtinere non poſſint, vnde fiunt poſtea ſecularibus contemtui, et ludibrio. An non expediret eatenus ſuae Maieſtati humillime repraeſentare combinationes cuiusuis titularis Epiſcopatus cum exſtantibus adhuc Abbatiis, fructuoſisque beneficiis, vt ſic quilibet Epiſcopatus titularis ex adiuncto beneficio quadantenus eſſet prouiſus.

Proponitur, quod a Sede Apoſtolica duo Epiſcopatus in praeiudicium Epiſcoporum titularium, et iuris patronatus Regii fuerint erecti.

VI. Non ignorabit ſacra Synodus, quid proximis temporibus Romae actum ſit; ad importunam enim inſtantiam quorumdam, qui titulo Epiſcopali in partes Regni Hungariae Turcis ſubiacentis profecti, impetrarunt a ſede Apoſtolica, vt erigerentur ibi duo Epiſcopatus, vnus quidem Epiſcopatus Belgradienſis, alter vero Epiſcopatus Oczidenſis, in praeiudicium titularium Epiſcoporum, et iuris patronatus ſuae Maieſtatis.

De vſu, et auctoritate horum omnium, quae ſub his titulis de Poſtulatione, Electione et Translatione a nobis hic inſerta leguntur, vberius diſſeremus in appendice, quem huic libro I. adiiciemus.

TI-

TITVLVS VII.

De renunciatione.

I. Acta Conuentus Reuerendiſſimorum Dominorum Archi-Epiſcopatui Strigonienſi ſubiectorum, Poſonii A. 1628. die 2. Aprilis Nri. III. et IV. ap. PETERF. P. II. f. 230.

Nulli Parocho licet ab vna Parochia ad aliam migrare ſine licentia Ordinarii, vel eius Vicarii.

Archidiaconi nomine Praelatorum ſerio, ac ſeuere denuncient Parochis, non licere ipſis, etiam expleto in aliqua Parochia anno, ex vna Parochia, vel etiam Dioeceſi in aliam migrare, niſi obtenta licentia migrandi ab Ordinario, vel eius Vicario, aut Archidiacono; cautum enim eſſe, ne ab vllo Praelato admittantur, ſi absque licentia migrauerint.

Ad Parochos ab ea, quae paſſim inualuit, commigratione arcendos ſtatuitur: vt Vicarii, omnium Sacerdotum deinceps ordinandorum literas formatas apud ſe retineant, neque eas ipſis adſignent, antequam Praelatus in aliam Dioeceſim migrandi facultatem eis indulſerit. Cauebunt et Capitula aliique Sacerdotes, ne in hoc genere decipiantur, teſtimoniales ſuper ſacerdotio cuiquam elargiendo. Hoc loco occurrunt

Licentiati, quibus Domini Praelati ob penuriam Sacerdotum licentiam dare consueuerunt, praelegendi populo verbum Dei etc. Censemus itaque talium licentiam, a modo imposterum, specialibus literis, super inde conficiendis ad vnum vel duos annos restringendam esse; intra quos, si se praestiterint diligentes, licentia poterit extendi ad alios totidem annos. Ita tamen, vt semper exprimatur, quid et quantum in ministerio ecclesiastico exercere possint.

II. Statuta SYNODI Dioeces. celebratae sub FERD. II. et Petro Pazmany Tyrnauiae A. 1630. die 4. et 5. Oct. Statut. II. ap. PETERF. P. II. f. 314.

Idem prohibetur, et ne Parocho abscesso aliquis de plebe secularis curam animarum suscipiat.

Constitutio ea Synodalis anni praeteriti strictissime obseruetur, in qua cautum est, ne quis parochorum abscedat, suamque parochiam in aliam commigrando deserat, absque licentia expressa, ac in scriptis obtenta, vel ab Eminentissimo Cardinale, vel ab eius Vicario Generali. Nec quispiam a plebe aliisue secularis status hominibus, curam, administrationemque animarum suscipiat, cum eam conferre, non secularis potestatis, sed ecclesiastici sit muneris, ac spiritualis dignitatis.

III.

III. Acta, et Statuta SYNODI Nation. habitae ſub FERD. II. Caeſ. H. R. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. April. A. 1633. Statut. XVI. ap. PETERF. P. II. f. 330.

Neque Parochi, neque Canonici ſtationes ſuas mutent, aut de vna Dioeceſi in aliam migrent ſine Ordinarii licentia.

Relatum denique eſt ad Synodum, non modo Parochos, ſed et Canonicos quosdam, nulla penitus legitima reſignatione praemiſſa, acceptaque ab Ordinariis licentia, vel commendatione, ſtationes pro ſuo duntaxat arbitrio mutare ſolere, atque de vna Dioeceſi in aliam migrare. Decernit itaque ſancta Synodus, vt quicunque deinceps hanc vitam ſecuti fuerint, ipſo facto ad obtentas Parochias, vel Canonicatus ſint inhabiles. Verum ſi qui priorem ſedem mutare in animo habent, id non niſi praemiſſa canonica reſignatione prioris conditionis facere poſſint. Reuerendiſſimi autem Epiſcopi eiusmodi non recipiant, niſi conſtet de dimiſſione, et honeſta talium conſeruatione.

TITVLVS VIII.

De temporibus ordinationum, et qualitate ordinandorum.

Cap. I. Ex SYNODO STRIGON. Nation. habita ſub COLOMANO Rege et Laurentio Archi-Epiſcopo Strigonienſi circa annum 1114. Cap. III. ap. PETERF. P. I. f. 56.

De eccleſiaſticis ordinibus.

Vt omnes eccleſiaſtici ordines in maioribus Eccleſiis habeant, et officium ſuum exhibeant.

II. ibid. eod. f. cap. VI.

De idiotis Presbyteris.

Idiotae presbyteri ne ordinentur, qui nec ordinandi ſunt; ordinati diſcant, aut deponantur.

III. ibid. Cap. XVIII. f. 57.

De Presbyteris ad titulum conſecrandis.

Nullus Presbyter ſine titulo ordinetur, de eodem nullus habeatur in clero, qui non eſt titulatus alicui Eccleſiae.

IV. Ex Decretis Hungarorum, quae a Guidone Cardinali ſuſceperunt ſub Bela IV. H. R. A. 1267. Decret. XIV. ap. PETERF. P. I. f. 90.

Re-

Requiritur certus titulus.

Nullum Sub-Diaconum, vel Diaconum, vel Presbyterum nisi ad certum titulum ordinetis.

V. EX SYNOD. SCEPVSIENS. Dioeces. sub MATH. I. H. R. et Dionysio S. R. E. Card. Archi-Episcopo Strigon. et Ioanne Stock Praeposito Ecclesiae, et Capituli S. Martini Scepusiensis celebrata Leuchouiae A. 1460. Can. 44. ap. PETERF. P. I. f. 210.

Minores Praelati Ecclesiae S. Martini in Scepus iurent fidelitatem, et obedientiam.

Item, quia minores Praelati Ecclesiae B. Martini in Scepus, Canonicique eiusdem Ecclesiae, nec non omnes, et singuli Plebani sub iurisdictione dictae Ecclesiae S. Martini in Scepus existentes tenentur iurare, et iurant praedictae Ecclesiae Praeposito pro tempore constituto fidelitatem, et obedientiam, quorum multi sunt ignorantes eorum, quae ad fidelitatem, et obedientiam requiruntur, dignum duximus eis propter periurium euitandum, requisita ad fidelitatem, et obedientiam declarare, iuxta sacrorum canonum sanctiones.

VI. EX SYNOD. VESPRIM. Dioecef. habita sub LVDOV. II. H. R. Thoma Bakacs S. R. E. Card. Archi-Episcopo Strigon. et Petro Berisloo. Episcopo Vesprim. A. 1515. ap. PETERF. P. I. f. 237.

Singuli Clerici Dioecesis Vesprim. debent vsque ad dies 15 venire ad Ecclesiam Vesprim. et in eadem deseruire.

Item, quod omnes, et singuli Clerici Dioecesis Vesprimiensis nunc ordinati, et in futurum ordinandi, tam in Curia Domini Legati, quam alias vbiuis extra Ecclesiam Vesprimiensem, teneantur, et debeant vsque ad dies 15 venire ad Ecclesiam Vesprimiensem, in eadem deseruire, iuxta antiquam consuetudinem, sub poena excommunicationis latae sententiae, et priuationis perpetuo omnium beneficiorum, quae habent, vel in futurum habere possent in Ecclesia, vel dioecesi Vesprimiensi.

VII. Ex eadem SYNODO ibid. f. 242.

Sextum Sacramentum.

Per quod Sacramentum ordinato traditur potestas spiritualis, et officium; igitur sunt *gradus ecclesiastici*, videlicet *Ostiarii*, *Lectores*, *Exorcistae*, *Acolyti*, *Sub-Diaconi*, *Diaconi et Sacerdotes*, quibus Canonistae adiiciunt Psalmistatum pro primo, et Episcopatum pro vltimo, quos duos etiam ipsi pro ordinibus ponunt: et dicuntur haec Sacramenta, quia in eorum receptione res sacra, id est, gratia confertur, quoniam figu-

figurant ea, quae ibi geruntur. Tres tantum vltimi, et quartus Episcopatus, dicuntur sacra castimonia, a castitate, et continentia, quam inducunt. Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possunt tractare Dominica Sacramenta. Per tales autem ministros Christi, qui Spiritus Sancti gratia sunt decori, per quos doctrina, et conuersationis forma transfunditur in alios, ne coelestes margaritae spiritualium verborum, officiorumque Diuinorum, sordide tritae pedibus conculcentur; alia autem Sacramenta, ... sacerdotalis promotionis, maiore auctoritate, et dignitate accipiendum, et dandum est, quam, si non sit oblatum, Deo desinit esse gratum, ex quo non fuerit recte, et rite perfectum. Cetera autem Sacramenta vnicuique propter se dantur, et vnicuique talia fiunt, quali corde, vel conscientia accipiuntur. Illud solum non propter se tantum, sed etiam propter alios datur; et ideo necesse est vero corde, et munda conscientia, quantum ad se praesumat, ad alios vero non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter fraternum scandalum. Ad quorum vtilitatem, non solum vt praesint, imo etiam vt prosint, sacerdotium datur, quia mediatores sunt quidem Sacerdotes inter DEVM et homines, dum praecepta deferunt

ferunt populo praedicando, et vota populi DEO porrigunt supplicando, et ideo tales debent existere, vt DEO grati, et hominibus sint accepti; denique si mediator est solum bonus, discordes reconciliare non potest, qui familiariter vtrisque non sociatur, et amicitiae vinculum non est concors.

VIII. Ex SYNOD. NITRIENS. Dioecesf. celebrata sub VLADISLAO II. H. R. Hippolyto Estensi S. R. E. Card. Archi-Episcopo Strigon. Antonio Electo Episcopo Nitriensi, Nitriae A. 1494. edita et aucta a Paulo Abstemio Episcopo Transyluan. et Electo in Commendam Episcopatus Nitriensf. A. 1560. Cap. VI. ap. PETERF. P. I. f. 277.

De Ordine Sacerdotali.

De Ordine, qui est sextum Sacramentum, per quod ordinato traditur potestas spiritualis, et officium. Septem igitur sunt gradus ecclesiastici ordinis videlicet: Ostiarii, Lectores, Exorcistae, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi et Sacerdotes, quibus Canonistae adiiciunt psalmistatum pro primo et Episcopatum pro vltimo; quos duos etiam pro ordinibus ipsi ponunt, et dicuntur haec Sacramenta, quia in eorum receptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea, quae ibi geruntur: tres tamen vltimi, et quartus videlicet Episcopatus dicuntur sacri ordines, id est, sacra castimonia a castitate, et continentia adpellata: tales autem ad ministerium spirituale

eligendi ſunt Clerici, qui digne poſſunt tractare Dominica Sacramenta. Per tales autem miniſtros Chriſti, qui Spiritus Sancti gratia ſunt decori, doctrina, et conuerſationis forma transfunditur in alios, ne coeleſtes margaritae ſpiritualium verborum, officiorum, atque Diuinorum, ſordidae tritae pedibus conculcentur. Inter alia autem Sacramenta, hoc ſeptimum Sacramentum Sacerdotii maiori auctoritate, et dignitate dandum, et accipiendum eſt: quum alioquin DEO deſinit eſſe gratum, ſi non fuerit rite perfectum. Cetera autem Sacramenta vnicuique praeter ſe dantur, et vnicuique talia fiunt, quali corde, vel conſcientia accipiuntur. Illud duntaxat ſacerdotium non propter ſe ſolum, ſed etiam propter alios datur. Et ideo neceſſe eſt, vt quilibet vero corde, mundaque conſcientia, quantum ad ſe, ſacerdotium accipiat; ad alios vero non ſolum ſine omni culpa, ſed etiam ſine omni infamia propter fratrum ſcandalum, ad quorum vtilitatem, non ſolum vt praeſint, imo etiam vt proſint, ſacerdotium datur, quia mediatores ſunt ſacerdotes inter DEVM, et homines, dum praecepta DEI populo deferunt praedicando, et docendo, et vota populi DEO porrigunt, ſupplicando; et ideo tales debent exiſtere, vt et DEO grati, et hominibus ſint accepti. Denique ſi mediator non eſt bo-

nus,

nus, diſcordes reconciliare non poteſt, quia ſimul vtrisque non ſociatur, qui amicitiae vinculo non eſt concors. Hoc non eſt intelligendum de reconciliatione, quam conſequitur per oblationem illam Diuiniſſimam corporis, et ſanguinis Domini, vel alia Sacramenta, quorum ſunt ſacerdotes miniſtri, qui ſua ipſorum malitia de Sacramentorum bonitate, et amplitudine nihil poſſunt detrahere. Sed forte poteſt intelligi hac ratione, quia preces ſacerdotis, et conſilia, ſi ille malus eſt, aut etiam nulla erunt, aut mala erunt, aut rara, aut etiam DEO et hominibus ingrata; vnde fit, vt mali homines malo ſacerdotum exemplo audaciores multo ad peccandum aliquando euadant, qui exemplo, orationibus, et piis ſacerdotum moribus deberent alioquin conuerti ad DEVM.

IX. EX EAD. SYNODO Cap. XXI. eod. loc. f. 287.

Quales ſint promouendi ad ordines.

Conſtituimus etiam, quod hi, qui ſunt ad ſacros ordines promouendi, nobis, aut Vicario noſtro, ante diem ſuae ordinationis debeant per ſuos praeſentatores videlicet Archi-Diaconos, praeſentari, et examinari, prout eſſe ſolet: et tales, qui ſunt legitimae aetatis, et honeſtae vitae, ac de legiti-

gitimo matrimonio nati, et qui bene ſciant legere, et cantare, et in primitiuis ſint aliqualiter inſtructi: non irregulares, non coniugati, non bigami, non ſerui, niſi forte eſſent manumiſſi, non corpore vitiati. Patenter autem morbum caducum habentes, ſeu daemoniaci, aut ſimoniaci, vel furioſi, vel homicidae, vel incaeſtuoſi, vel periuri, vel publice adulterium commiſerunt, vel qui ſolennem poenitentiam peregerunt, aut in aliis criminibus facinoroſis enormibus fuerint reperti, aut alias canonicum impedimentum habentes, quos omnes prohibemus ad ordines promoueri, nec ad aliquem titulum eccleſiaſticum admitti: alioquin tam praeſentans, quam praeſentatus a beneficio eccleſiaſtico, et executione ſui beneficii nouerint ſe ſuſpenſos.

X. Ex Synodo Dioeceſ. Prouinc. habita ſub Ferd. I. H. R. et Nicolao Olaho Archi-Epiſcop. Strigon. Tyrnauiae 23 Aprilis A. 1560. Cap. VII. ap. Peterf. P. II. f. 62.

De ordinis Sacramento, huiusque inſtitutione.

§. I. Ordinis Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, eſt veluti via quaedam, per quam ducimus ad Chriſti, et eius Eccleſiae Sacramentorum, et verbi Dei diſpenſationem, et miniſterium. Eſt autem Ordo: ſignaculum Eccleſiae, quo ſin-

ſingularis gratia, et poteſtas ſpiritualis, per impoſitionem manuum Catholici Epiſcopi (quod viſibile eſt ſignum inuiſibilis gratiae) traditur, vt in eccleſiaſticis peragendis functionibus, ac miniſteriis, rite, et cum auctoritate verſari queamus. Gratia autem multiplex in Sacramento confertur: quemadmodum etiam multiplices ſunt gradus, per quos ad perfectam miniſterii rationem gradatim promouemur.

Conferri autem gratiam ordinatis per hoc Sacramentum, D. Pauli verbis 1. Tim. 4. d. docemur, qui ita inquit: Noli negligere gratiam, quae in te eſt, quae data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii. Et alio loco. 2. Tim. 1. 6. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quae in te eſt per impoſitionem manuum mearum.

Qui gradus?

§. II. Sciendum eſt autem, huius Sacramenti gradus eſſe ſeptem, neque omnibus aequalem eſſe poteſtatem attributam. Generatim autem in maiores, et minores diuiduntur. Minores ſunt quatuor; qui, quod minora miniſteria tractent, ſacri non adpellantur. Vocantur autem Oſtiarii, ſiue Ianitores, Lectores, Exorciſtae, Acolythi minores ordines: Tres vero reliqui

maio-

maiores ſunt: Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes.

Eſt autem inter ipſos etiam Sacerdotes quaedam differentia. Nam Epiſcopi, qui ipſis Apoſtolis ſucceſſerunt, maiori ſunt poteſtate, et dignitate praediti, quam alii Sacerdotes, qui ſub Epiſcopis, ſicut ſeptuaginta duo illi diſcipuli ſub Apoſtolis pro ſuae quisque functionis ratione in Eccleſiae miniſterio ſeruiunt, inque Domini vinea laborant.

Oſtiarii, Lectores, Acolythi, Exorciſtae.

§. III. Oſtiariorum, quos D. Ignatius Ep. 8. cuſtodes ſanctorum portarum adpellat, illud erat munus; vt ad templi portas adſtarent, et quos dignos eſſe cognoſcerent, intromitterent: indignos vero ab ingreſſu prohiberent. Hoc officio functus eſt Chriſtus, quanto flagello ementes, et vendentes expulit de templo.

Poſt hunc ad alium ordinem fit progreſſus, nimirum ad Lectoris officium; cui diuinitus datur poteſtas legendi, vt ex Eccleſiae traditione conſtat, Prophetas et lectiones Apoſtolicas. Hoc quoque officio functus videtur Chriſtus, quando in medio ſeniorum librum Eſaiae aperuit, in eoque legit. Tertio loco ordinantur Exorciſtae, qui latine Adiuratores dici poſſunt; quorum

officium eſt, e corporibus obſeſſis eiicere Daemones, et aquam in miniſterio adfundere. Hoc quoque munere, et Chriſtum ipſum, et eius Apoſtolos perfunctos eſſe ex Sacra Scriptura Marc. 7. Matth. 8. et Luc. 8. diſcimus.

Quartus ordo eſt Acolythorum, quos latine Ceroferarios ideo vocant, quod cum vel Euangelium legitur, vel ſacrificium offertur, accenſos cereos tenent in manibus: vt et lux illorum lucere coram hominibus ſignificetur, et fidem noſtram, ac charitatem, ſicut ipſam candelam accenſam, et ardentem, eſſe oportere admoneamur: ac ſimul illius etiam memores ſimus, qui dixit: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Hos omnes ordines ab Eccleſia vetere, et Apoſtolica adprobatos eſſe, ex DD. Dionyſii, Anacleti, Ignatii aliorumque ſcriptis ſatis aperte demonſtrari poteſt.

Subdiaconi, Diaconi.

§. IV. His omnibus rite peractis ad maiores ordines, qui ſacri vocantur, fit quidam veluti gradus, et tranſitus. Ac primo quidem ad Subdiaconatum. Subdiaconi autem munus eſt, aquam ad miniſterium altaris praeparare: oblationes in altari ponere: epiſtolam legere, aut cantare. Hoc

quo-

quoque officium tractauit Christus Ioan. 13. cum linteo praecinctus discipulorum pedes lauit. Habet autem is, qui hunc ordinem suscepit, continentiae legem, et castitatis impositam necessitatem, vt id fiat, quod dictum est a Propheta Esa. 52. d. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Quomodo autem mundus erit, qui turpi se concubitus labe coinquinat? Hi latine dici possunt Subministri, quemadmodum, qui hos ordine sequuntur Diaconi, Ministri. Respondet autem hic Diaconorum ordo, Leuitico ordini in veteri testamento. Quales vero Diaconi se praestare debeant, habent ex D. Pauli disciplina Matth. 16. et 18. et Ioan. 20. Neque vero hoc officium neglexisse videtur Christus. In Coena enim discipulis Sacramenta dispensauit.

Sacerdotes: horum dignitas, officium.

§. V. Vltimus, et maximus, atque omnium praestantissimus est ordo Sacerdotum; ad cuius ministerium reliqui omnes ordines videntur esse comparati. De quo ordine, ita est a B. Ignatio scriptum. Sacerdotium summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt: quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, et Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturae, et solum suapte natura Sacerdo-

tem Dei principem. De quibus quidem, et maxime de Episcopis, eorumque dignitate inferius, vbi de officiis publicorum ministrorum Ecclesiae agetur, nonnulla dicentur.

Illud non est praetereundum: satis nos vel ex illo vnico loco, vbi Christus Apostolis, eorum successoribus sacerdotibus ligandi, et soluendi, remittendi, ac retinendi peccata potestatem tribuit, perspicere posse, quanta sit Sacerdotum dignitas. Certe tanta ea est, vt nemo sit, qui vel cogitatione possit eius rei magnitudinem adsequi. Quid, quod illorum ministerio si careamus, ne ad vitam quidem aeternam nobis adspirare vix liceat? Eorum enim fit ministerio, vt nos Filii perditionis cum essemus, in vitam reuocaremur, atque per sacrum Baptismi lauacrum regeneraremur. Illi nostras vires ad superandos hostes nostros, cum ad Episcopatus dignitatem peruenerunt, sacra Chrismatis vnctione reficiunt. Illi, quod ipsis Angelis purissimis, ac beatissimis creaturis est negatum, venerabilissimum Iesu Christi Domini nostri corpus conficiunt, ac manibus suis tractant, atque illo sanctissimo, ac saluberrimo Christi corporis alimento nos recreant. Illi lapsos, et iam graui peccatorum mole oppressos erigunt, et cum Deo Opt. Max. qui

propter

propter ſcelera noſtra ſe iam a nobis auerterat, in gratiam redire faciunt: et cum praecipites iam in tartara rueremus, e medio nos curſu reuocatos, vitae reſtituunt.

Magna quidem haec ſunt, atque omnino maxima. Sed ſunt infinita prope beneficia, quae Deus mortalibus, non niſi per ipſos ſacerdotes largiri voluit. Quibus de rebus, qui plura cognoſcere volet, is D. Chryſoſtomi, et D. Ambroſii integros ea de re libros legere poterit.

Quapropter omnes Sacerdotes ita de ſua dignitate cogitent, ne ſe tanto honore indignos praebeant: ſed cum ſciant ſe Mediatores inter Deum, atque homines eſſe conſtitutos, dies et noctes de lege Domini cogitent, et quid facere eos conueniat, diligenter attendant, vt lucem, et veluti facem quamdam ad vitam beatam tendentibus praeferre videantur. Sciant autem ſe eſſe illos, de quibus in Euangelio dicitur: Vos eſtis lux mundi: Vos eſtis ſal terrae. Praeclare D. Chryſoſtomus, medium, ſtare dicit, Sacerdotem inter Deum, et humanam naturam, cum illius beneficia ad nos, et noſtras preces ad illum deferat, eumque iratum nobis conciliet.

In hoc igitur ſe ſpeculo intueantur Sacerdotes, et ita vitam, moresque ſuos ad tantam dignitatem componant, vt ſemper

eorum mentibus ſit infixum, onus graue admodum ipſis eſſe impoſitum: quia, vt inquit idem D. Chryſoſtomus, Sacerdos Dei miniſter pro vniuerſo terrarum orbe legatione fungitur, deprecatorque eſt apud Deum, vt hominum omnium, non viventium modo, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.

XI. EX SYNODO Prou. ſub MATHIA II. H. R. et Franciſco Forgach S. R. E. Card. Archi-Epiſcopo Strigon. Tyrnauiae A. 1611. Cap. I. §. V. ap. PETERF. P. II. f. 204.

Duo abuſus inter eos, qui ſacris initiantur, inoleuerunt.

Duo abuſus, contra ſacrorum canonum praeſcriptum, inoleuerunt *inter eos, qui ſacris initiantur.*

Prior eſt: quod poſt ordinationem, libere ad quaeuis loca, pro ſuo arbitratu commigrant, Parochias absque Epiſcopi facultate, et praeuio examine occupant, ac vbi collibitum illis fuerit, mutant ſedes, non conſulto ordinario. Quod quia ſacris canonibus, ac rectae adminiſtrationi, ſalutique animarum aduerſatur, multa ſecum trahit incommoda, ac pericula: idcirco diſtricte inhibemus, ne vllus in poſterum Parochiam vllam obtineat, niſi a loci Ordinario facultatem in ſcripto (gratis per omnia

ab

ab Episcopo dando) obtineat. Et, si quando Parochia mutanda est, simili formula obtineatur licentia. Serueturque canon Synodi Tridentinae Seff. 23. cap. 16. si quis sine licentia Ordinarii locum deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Episcopi vero decretum Synodi Tridentinae Seff. 24. c. 18. de examinandis iis, quibus animarum cura concreditur, obseruabunt. Et antequam cura Parochiae alicui committatur, Professionem fidei, iuxta canones, emittat. Apostatae vero Monachi, ad Parochias non admittantur.

Alter ille est abusus: quod statim ac ad sacrum Presbyteratus ordinem promouentur; absque vlla Episcopi licentia, confessiones excipiant. In posterum igitur obseruetur decretum Concilii Tridentini: *Seff. 23. cap. 15.* nullus ad audiendas confessiones admittatur, nisi aut examine praeuio licentiam obtineat, aut alia ratione idoneus reperiatur. Eo autem tempore, quo licentia conceditur, Vicarius ac alii ad hoc destinati, explicabunt praecipua capita casuum reseruatorum, qui crebriores esse solent.

TITVLVS IX.

De ſcrutinio in ordine faciendo.

I. Ex Synodo Vesprim. Dioeceſ. habita ſub Lvdovico II. H. R. Thoma Bakacs S. R. E. Card. Archi-Epiſcopo Strigon. et Petro Berisloo Epiſcopo Veſprim. A. 1515. ap. Peterf. P. I. f. 235.

Quales ſint promouendi?

Hi, qui ſunt ad ſacros ordines promouendi, infra tres dies ante diem ordinationis ſuae Epiſcopo, vel eius ſuffraganeo, aut examinatoribus deputatis praeſentari, et examinari debent, et tales, qui ſunt legitimae aetatis, honeſtae vitae, de legitimo matrimonio nati, et bene ſciunt legere, et cantare, ac in praemiſſis ſint aliqualiter inſtructi non irregulares, non coniugati, non bigami, non ſerui, niſi forte eſſent manumiſſi, non corpore vitiati, patenter autem morbum caducum patientes, daemoniaci, aut ſimoniaci, aut furioſi, homicidae, inceſtuoſi, periuri, vel qui publice adulterium commiſerint, vel qui ſolennem poenitentiam peregerunt, aut in aliis criminibus, facinoribus enormibus fuerint reperti laborantes, aut alias canonicum impedimentum habentes, qui omnes prohibentur ad ordines

pro-

promoueri, et etiam ad aliquem titulum ecclesiasticum admitti, alioquin tam praesentans, quam praesentatus ab executione sui ordinis se suspensos nouerint.

II. EX SYNODI Dioeces. Prouinc. habita sub Ferd. I. H. R. et Nicolao Oláho Archi-Episcopo Strigon. Tyrnauiae 23. Aprilis A. 1560. cap. 30. ap. PETERF. P. II. f. 116.

Qui promouendi sint?

§. 1. Episcopi etiam atque etiam animaduertere debent, quos ad sacros ordines sint promoturi: ne strictissimam, si indignos ordinauerint, Deo Opt Max. reddant rationem, curandumque est eis summo studio, ne cui iuxta dictum Apostoli, manum cito imponant vitiati, aut corrupti munere, fauore, aut aliis quibuscunque mundanarum rerum adfectibus.

Constituimus itaque: vt hi, qui ad sacros ordines sunt promouendi, ante diem suae ordinationis per Archidiaconos, vel Vice-Archidiaconos, praesentatoresque suos, nobis vel suffraganeo, aut Vicario nostro praesententur, ac ab examinatoribus, per nos ad hoc destinatis, diligenter, et fideliter examinentur; et intelligatur, vtrum sint legitimae aetatis, honestae vitae, legitimo ex matrimonio nati, et an legere sciant, sintque aliqua ratione ad cantandum instructi.

Ab illis vero, qui ad maiores aſcendunt gradus, non ſolum ea, quae diximus, quaeque ad illos praecipue pertinent, qui in minoribus ordinantur, quaerenda ſunt: ſed etiam inueſtigandum eſt diligenter, num ſint idonei, et de iure apti ad ſacros ſuſcipiendos ordines, et vtrum eruditione ſufficienti ſint praediti: an ſint irregulares, bigami, coniugati, corpore vitiati, morbo, quem caducum vocant, infecti, doemoniaci, furioſi, homicidae, incaeſtuoſi, periuri, et an publice in adulterio, aut fornicatione degunt, vel vtrum ſolennem, et publicam poenitentiam egerunt, aut in aliis criminibus, et facinoribus publicis reperti fuerint.

Poena eorum, qui indignos promouent.

§. II. Quod ſi aliquis, vel pluribus ex his vitiis, aut criminibus fuerint polluti, aut alio quopiam impedimento ſunt irretiti, nullo modo absque legitima diſpenſatione, neque ad ordines ſacros promoueri, neque ad aliquem titulum eccleſiaſticum admitti debent. Alioquin tam mediatores, maxime eccleſiaſtici, ſeu examinatores, quam examinati, conſentientes in idem crimen, et etiam Epiſcopus ordinans, muneraque accipiens, ac favore aliquo vitiatus, officio eccleſiaſtico, atque ex conſequenti ab ipſo beneficio, quod eſt propter officium, & exe-

cu-

cutione eiusdem beneficii, ſciant ſe de facto eſſe ſuſpenſos, donec abſolutionem, ac diſpenſationem etiam ab eo, qui habuerit facultatem, obtinuerint; alias enim contrarium facientes mortaliter peccarent, fierentque irregulares. Sciant praeterea tam promoti, quam promovendi, neceſſariam eſſe ſacerdotibus ſobrietatem, iuſtitiam, ſanctitatem, continentiam, et ſcientiam: dentque omnem operam, ne ſint imperiti humanarum, et diuinarum doctrinarum: quia rei coram Deo erunt, ſi coeci coecos duxerint, et in foueam inferi cadent. Nam D. Paulo teſte, ſi quis ignorat, ignorabitur. I. Cor. 14. Et alibi quoque ſcriptum eſt: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Oſeae 4.

III. Ex SYNODO Provinc. ſub MATHIA II. H. R. et Franciſco Forgach S. R. E. Card. Archi-Epiſcopo Strigon. Tyrnaviæ A. 1611. Cap. I. §. 4. ap. PETERF. P. II. f. 204.

De erudienda iuuentute, et vt genus, inſtitutio, doctrina, mores ac fides ordinandi diligenter informetur.

Pleraque Hungaricae Eccleſiae vulnera inflicta ſcimus vel ob *penuriam Sacerdotum*, vel ob eorum, qui ſuppetunt, minus ſufficientem in doctrina, ac pietate progreſſum. Fit enim ſaepe, vt Parochia Catholica multis annis

nis Parocho deſtituatur, eaque de cauſa populus, vel ad vicinum Acatholicum confugiat, Baptiſmi potiſſimum percipiendi, et concionis audiendæ cauſa, vel ne pecudis inſtar viuere videatur, Miniſtros Acatholicos paſſim vbique pullulantes conducat. Saepe item Parochus Catholice ordinatus, vel ob ſupinam ignorantiam, vel ob corruptos, ac deprauatos mores tepeſcere in animo miſerae plebeculae Religionis Catholicae ardorem ſinit, donec ſenſim ſine ſenſu a fide deſciſcat. Quamobrem duo illa cumprimis neceſſaria videntur. Primo: vt nullis ſumtibus, nullis laboribus parcant Epiſcopi in erudienda iuuentute, quae ad ſacros ordines dignoſcitur: et de erigendis, iuxta Tridentinae Synodi decreta, ſcholis prouideant. Secundo: in collatione ſacrorum Ordinum, ſumma diligentia obſeruetur Decretum Concilii Tridentini Seſs. 13. cap. 7. Ne quis videlicet ad ſacros ordines promoueatur, niſi genus, inſtitutio, doctrina, mores, ac fides ipſius diligenter examinetur. Si qui vero ex aliena dioeceſi ad Ordines venerint: nec capitulorum, niſi in caſu a Concilio Tridentino admiſſo Seſs. 7. cap. 10. nec cuiusuis alterius teſtimonio, ac commendatione promoueantur: niſi a proprio Epiſcopo probitatis, ac morum teſtimonium adferant: aut triennio cum Epiſcopo fuerint commorati. Qua

qui-

quidem in re conſcientiam Vicariorum, ac caeterorum, qui ad examinandum deputati ſunt, obligatam volumus. Quia vero ea vel maxime de cauſa Parochis detrectare nonnulli videntur, quod, vbi ſemel in parochiam miſſi ſunt, ſpem nullam videantur habere de promotione; Eo quod ad Canonicatus illi plerumque promoueantur, qui ante oculos, et ad latus Praelati verſantur, habeatur ratio eorum in promotionibus ad canonicatum, qui in parochiis bene, ac fructuoſe, cum aedificatione populi fuerint verſati.

IV. Examen promouendorum ad parochiales Eccleſias, cuius in plerisque Synodis fit mentio ap. PETERF. P. II. f. 436.

Inſtructio, ſiue modus examinandi eos, qui ad ordines ſacros, vel etiam minores admitti volunt.

Quia tam antiqui canones, quam ipſum Concilium Tridentinum nouiſſime antiquorum Patrum veſtigiis inhaerendo decreuit, vt Epiſcopus Sacerdotibus, aliisque prudentibus viris, peritis Diuinae legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi aſcitis, ordinandorum genus, perſonam, aetatem, inſtructionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter inueſtiget, et examinet: etiam haec ſacra Synodus Prouincialis, et

Na-

Nationalis, multis rationibus adducta, hanc, quae ſequitur, inſtructionem, et modum examinandi praeſcribit, obſeruandum ab iis, qui examen ordinandorum ſuſcipiunt, atque inſtituunt. Non tamen prohibentur, Epiſcopi, ſuperiorque aliquis, qui huic curae praeficitur, hoc loco traditae inſtructioni, et inquirendi formulae, alias quoque inſtructiones adprobatas, et laudabiles pro ſua prudentia, et pietate adiungere, aut de his relaxare, ſi in Domino ſalubrius iudicauerint expedire. Tria ante ordinationem praecedunt examina, ſiue ſcrutinia: Primum eſt vno menſe ante ordinationem, quando nomina, et deſideria ordinandorum publice in Eccleſia proponuntur, vt conſtare poſſit de natalibus, aetate, re, promouendi, de quo Concil. Trid. ſeſs. 23. c. 5. Aliud ſcrutinium feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, adhibitis viris doctis, et in ſanctionibus eccleſiaſticis exercitatis, et in eo agitur de adprobandis, vel reprobandis iis, qui ad miniſterium ſacrum accedere voluerint: de quo Conc. Trid. ſeſs. 23. c. 7. Tertium ſcrutinium eſt, quod fit ipſa hora, qua ordines conferuntur, quando Epiſcopus Archi-Diaconum interrogat, an adſiſtant promovendi, et vtrum ſint idonei: de quo in Pontificali. Nos hic loquimur de ſecundo examine, quando ſcilicet

di-

diſcuſſio ſit de cuiuslibet ordinandi qualitatibus, per exercitatas in eccleſiaſticis perſonas ad hunc finem, vt inquiſitione facta cognoſcatur, an aptus, idoneusque ſit miniſterio Eccleſiae. Monet autem, et obteſtatur S. Synodus eos, qui ad hoc munus ſpecialiter deputabuntur, vel eorum iuſſu vocabuntur, vt meminerint rem maximi momenti ſuae fidei, ac diligentiae commiſſam eſſe; et niſi ita ſe geſſerint, vt negotii grauitas requirit, indignum eſt minus idoneum ad ſacros ordines ſuſcipiendos Epiſcopi manibus adplicando, communicare peccatis alienis; et tum ante Chriſti tribunal admiſſi piaculi exactam rationem reddituros, tum arbitrio Epiſcopi poenas daturos. Itaque ſerio, et ſine vllo perſonarum reſpectu, vel adfectu aliquo hoc tam arduum negotium tractent, et quos adhibita adcurata diligentia ad promouendum inuenerint idoneos, Epiſcopo praeſentent. Quos autem facto experimento indignos, atque incapaces eſſe compererint, repellant, ſanctius enim eſt paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros. Quia ſi coecus coecum ducit, ambo in foueam delabuntur. Huic examini praemittitur illud:

Inuocato igitur Diuini Spiritus gratia, rerum bene agendarum magiſtra, primum, et ante omnia diſpiciat diligenter, et fideliter,

ter, cuius ſit ſubditus, qui ad ordines promoueri deſiderat. Pro quo ſciendum, quod communi iure, quatuor modis ſubditus Epiſcopo quis dicitur, habito reſpectu ad ordines. Primo ratione originis. Siquidem hac ratione ſubiectio adquiritur Epiſcopo, ſcilicet ob natiuitatem, quae fuit in ſua Dioeceſi. Secundo, ratione domicilii, ſiue habitationis, licet alibi natus ſit. Tertio, ratione eccleſiaſtici beneficii, quod quis habet in Dioeceſi Epiſcopi. Quarto ratione habitationis triennalis cum Epiſcopo. Quae vt clarius intelligantur, inſpiciendi ſunt canones praeſertim de tempore ordinationis Lib. 6. Conc. Trid. ſeſs. 23. c. 8. 9. 10.

Epiſcopus ſuis tantum, non alterius ſubditis ordines conferat: alioquin ſi ſine ſui ſuperioris licentia ſubditum alterius ad Sacramentum Ordinis, etiamſi ad primam tonſuram admiſerit, ordinans a collatione ordinum per annum; ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, erit ſuſpenſus. Conc. Trid. ſeſs. 23. c. 8. Quod ſi quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei etiam cuiusuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegii praetextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas, et mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur, ibid. Trid. ſynod. Vnde Epiſcopus conferer-

ferre poteſt ordines ſubditis alterius Epiſcopi, vbi ab ipſo licentia dabitur. Quam licentiam dare poteſt etiam ipſemet Romanus Pontifex, qui eſt generalis Epiſcopus totius mundi, vel Epiſcopus proprius, vel delegatus ab altero ex praedictis. Item capitulum ſede vacante in certis caſibus, de quibus Synod. Trid. Seſſ. 7. cap. 10. de Reform. Legatus a latere, Regularium ſuperiores: ſed tamen ad Epiſcopum, in cuius Dioeceſi ſunt Monaſteria, in quibus tunc degunt, et ſunt adſignati; vel ſi Dioeceſanus eſt impeditus, recipiant dimiſſorias ab eo iuxta cap. 8. Seſſ. 23. de reform. Synod. Trid. tum tamen ab Epiſcopo ordinante examinentur de doctrina. Seſſ. ead. cap. 12.

Animaduertant Epiſcopi, ne cum dimiſſoriis literis, ſiue, vt alias vocant, teſtimonialibus decipi ſe permittant. Nam ſaepe ex vicinis Prouinciis in Vngariam diuerſae nationis homines confluere videmus, petentes ad Dominica myſteria tractanda ſe promoueri, quos tamen plerumque multiplici fraude vſos eſſe non ſemel detectum eſt, non ſine graui reipublicae detrimento, et offenſione Chriſti fidelium. Ea propter ordinans alienos, ſingularem, et praecipuam vigilantiam adhibeat, vt obiare poſſit fraudibus, et eorum malitias deprehendere. Nam ignoti, et extranei non ſine cauſa ſunt

impediti ſacros ordines ſuſcipere, et in iam ſuſceptis miniſtrare. Tum quia, vt notant canones, criminoſi, et infames, loca ſuae nationis fugere conſueuerunt, et ad alienos ſe transferre: tum quia multi eorum mentiuntur ſe habere ordines, quos non habent: tum quia non conuenit bono Epiſcopo ſtatim falcem mittere in alienam meſſem, iudicando, vel ordinando ſubditos alienos: tum quia niſi bene probetur de licentia, praeſumitur ſe ſubtraxiſſe a iurisdictione proprii Antiſtitis. Attendant etiam et eis examinatores, quid licentia ſiue delegatio contineat; vtrum in ea concedatur, vt poſſit ordines ſuſcipere ab alio, qui ſacris ordinibus initiari poſtulat? Et vtrum contineat eum, cui licentia conceditur, eſſe idoneum natalibus, aetate, moribus, ac ſcientia, ac demum his praeditum qualitatibus, quas poſtulat ordo ſuſcipiendus? Proderit rigoroſe, et ſubtiliter rimari, cuiusnam authentico ſigillo, et manus ſubſcriptione muniantur literae dimiſſoriae, quas exhibent? An ſcilicet vitioſe ſit adpoſitum ſigillum, et cognoſci facere per alios, qui nouerunt, an manus ſit eius propria, cuius nomine praeſententur, an alterius periti in arte ſcribendi imitatio? Tales enim ſuſpenſionem incurrunt, qui literis ſubreptitiis, ſeu falſum exponentibus ordinantur. Quantum fieri

poteſt,

poteſt, ſeruentur temporum interſtitia, vel impetrentur ab Epiſcopo diſpenſationes. In minoribus conſtituti, non facile promoueantur ad maiores, niſi conſtiterit in minoribus probatos, et per annum in iis pie, fideliterque verſatos, iuxta diſpoſitionem Concilii Trid. Seſſ. 23. cap. 13. Optima quoque cautio eſt illa, qua in nonnullis Eccleſiis vtuntur, vt certum temporis ſpatium praefigatur, pro locorum diſtantia breuius, aut longius, duorum vel trium menſium: intra quod teſtimoniales a ſuperioribus conceſſae ſeculari, vel regulari clerico ſuffragari valeant, ad aliquem gradum eccleſiaſticum commendato, et non vltra, nec ad alios gradus. Fit enim ſaepe, vt qui communi aeſtimatione hominum videbatur eſſe bonus, atque idoneus, mox perſpectus, et exploratus detegatus eſſe improbus, atque indignus, cui ſacrarum rerum curatio, adminiſtratioque mandetur. Teſtimonium habeant ergo bonum, et non tantum, ſed recens, tum de aliis requiſitis, tum de titulo alicuius beneficii eccleſiaſtici, quod ſibi ad victum honeſtum ſufficiat, aut de patrimonio, aut de cenſu, aut ſponſione, cautioneue. Id ſiquidem et antiquo iure cautum eſſe; ſcilicet ne quis ad ſacros ordines admittatur, ſine titulo eccleſiaſtico, vel ſine patrimonio: cap 1. et c. fin. Diſt. 10. et Concil. Trid. anti-

quos canones reuocando Seſſ. 21. c. 2. ſanciuit, ne vllus quantumuis idoneus ſecularis Clericus maioribus ordinetur, niſi prius habeat beneficium ſufficiens ad vitam, quod reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus, vel patrimonium, vel vere ſufficientem titulum menſae.

Neque regularis non profeſſus debet ad ſacros ordines promoueri, niſi ſufficienti titulo: ex Bulla Pii V. Verum ſcire oportet, quod illa conſtitutio non comprehendit religioſos Soc. IESV, quos excepit Gregorius XIII. ab illa dicta conſtitutione ob penuriam Sacerdotum. Ordinarii ſine beneficio, vel patrimonio poteſt quis, dummodo quis fideiuſſor inueniatur, qui ſpondeat ſe neceſſaria ipſi ordinando ſubminiſtraturum. Huius autem prohibitionis germana ratio eſt: Nam ſi pauperes, et non habentes, vnde ſe ſuſtentent, diuini cultus miniſterio adhiberentur, cogerentur ſaepius, aut cum maximo totius militiae clericalis dedecore mendicare, aut ſordidum quaeſtum exercere, aut alia egeſtatis opprobria ſubire. Haec de extraneis praecipue inquirenda eſſe, ipſa experientia magiſtra docuit. Tam vero de extraneis, quam indigenis, poſtquam haec, et alia his plura, quae ad ordinationem manuumque impoſitionem recte adminiſtrandam

dam pertinent, diligenti indagine inueſtigaverint, tum conuertant ſe examinatores toto ſtudio ad eam conſiderationem, quinam a ſuſceptione ordinum, a ſacris canonibus ſubmouentur. Tales autem ſunt omnes, quos hoc loco enumerat ſacra Synodus. Igitur a miniſterio altaris arceat omnes feminas, mente captos, et fanaticos; item qui ex iuſtis nuptiis non ſunt procreati, item non baptizatos. Nam ſine baptiſmo nullus character imprimeretur, cum baptiſmus omnium Sacramentorum ſit ianua. Item qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperunt. Rebaptizatos, illiteratos, excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, haereticos, aut de fide, vel de ſchiſmate ſuſpectos: Apoſtatas, Neophitos proprie vocatos, vt ſunt, qui a Iudaica lege, aut Mahometica, vel Ethnica nuper conuerſi, Chriſti legem ſanctam ſunt amplexi, quaſi nouiter in Chriſtiana lege plantati. Improprie tamen Neophiti, qui a primis incunabulis Chriſti fidem coluerunt, licet a Iudaeis, et Ethnicis originem trahant, nec a ſacris ordinibus, nec ab eccleſiaſticis beneficiis excluduntur. Proprie quoque Neophitus, poſtquam in Chriſtiana religione, et bonis moribus egregios fecerit progreſſus, nullo impedimento tenetur. Item arceant Simoniacos publicos, vſurarios publicos, et

alios criminofos, quos vel facti euidentia, vel iudicis fententia, vel propria ipforum confeffio palam fecit effe reos atrocis alicuius criminis, adulterii, periurii, falfi teftimonii etc. cap. fin. de temp. ordin. Qui tamen non debent in fufceptis, vel fufcipiendis ordinibus impediri poft poenitentiam peractam: at vero homicidii reos, quamuis occultos, etiam poft peractam poenitentiam non permittant ad clericalem Ordinem afcendere. Nam et Dominus poft peractam poenitentiam dixit Dauid Prophetae, quod fanguinarius vir effet, eique templum ne aedificaret. Nec refert, an propria manu ac facto, puta vt miles, an praecepto, vt iudex, an confilio, vt adfeffor, vel vim vi repellendo occiderit, fi poterat citra fanguinem iniuriam propulfare. Hinc confequens eft, vt milites, bellatoresque, qui conflictibus, et praeliis interfuerunt, vbi mors hominum fucceffit, et qui in foro criminalibus officiis funt perfuncti, aut actibus criminalibus fubfcripferunt, aut interfuerunt, ex quibus fententiae fanguinis euenerunt, ad Clerum, et ecclefiafticos honores peruenire nefas fit. Arceant praeterea folenniter poenitentes. Si tamen nulla manifefta fcelera publice confiteantur, fed tantum peccatores fe effe praedicent, nihil eis obftabit. Bigamos quoque repellant, qui

viduae,

viduae, alteriusue corruptae mariti fuerunt. Nec non coniugatos, exceptis iis, quorum coniuges in ſacra monaſteria ſe receperint, ibique profeſſionem emiſerint, vel ſi vxor ita ſenex eſt, vel ſterilis, vt ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſeculo, et continentiam promittat, de conuer. coniug. cap. cum ſis etc. Item qui aliquo morbo laborant, vt ad ſacra miniſteria obeunda non ſint apti, repellantur, vt ſi morbo comitiali corripiantur, ſubito concidant, ex ore ſpumas vomant, vt qui in terra arrepti a daemonibus alliduntur. Hermaphroditas, notabiliter deformes, et defectu aliquo manifeſto corporis notatos ita, vt impediatur exercitium ordinis, vt monoculos, quibus deeſt oculus canonis, vel digitis carentes, qui ad conſecrandum, eleuationem, et frangendam Euchariſtiam ſunt neceſſarii, alios, qui ex defectu corporis horrorem, vel ſcandalum generant. Sectos, item quibusdam caſibus exceptis. Ad ratiocinia obligatos, forenſes Procuratores, et tutores pupillorum, niſi depoſito onere, et reddita adminiſtrationis ratione. Quod tamen intelligendum eſt, niſi compulſi ad rationem fuiſſent, ac ita ſuſcepiſſent, vel pro miſerabilibus perſonis, ſeruos, et mancipia, niſi a propriis Dominis libertatem conſequantur. Peregrinos, et ignotos, niſi habeant authenticas literas.

Officio aliquo infami, et ſordido perfunctos, promotos per ſaltum, relicto ordine minori, maiore ſuſcepto. Ordines ſurripientes; puta ingerendo ſe multitudini ordinandorum ignorante Epiſcopo. Item extra tempus, et ante legitimam aetatem ordinatos. Pro quo notandum eſt, quod prima tonſura quolibet die conferri poteſt. Minores vero ordines, quando Epiſcopo, et vbi ſibi videbitur, dari poſſunt, licet Dominicis, et feſtiuis diebus conferri debeant. Subdiaconatus, et Diaconatus, ac Presbyteratus nonniſi in Sabbathis quatuor temporum, aut Sabbatho ſancto, aut Sabbatho ante Dominicam Paſſionis ſunt miniſtrandi, nec contraria conſuetudo valet, de qua Synod. Trid. Seſſ. 23. cap. 8.

Poteſt tamen Papa ex ſua ſpeciali gratia concedere Epiſcopo, vt ordines etiam extra ſtatuta tempora conferre poſſit. Sunt etiam ſingulis ordinibus praeſcriptae aetates. Et Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. eod. ſapienter huic rei prouidit. Nam Subdiaconatum permittit exiſtenti in vigeſimo ſecundo anno. Diaconatum vigeſimo tertio. Presbyteratum vigeſimo quinto. Et ſufficit, dummodo eam aetatem attigerit, etiamſi non impleuerit. Ad primam tonſuram ordinatus non ſit minor ſeptem annis, ad reliquos vero ordines admiſſos eam aetatem exceſſiſſe

oportet,

oportet, ita vt ſatisfacere poſſint, et valeant nimirum functioni, quam ſuſceptus ordo requirit.

Ex his non magno labore elici, et confici poteſt modus quidam, et forma examinandi, quam prae oculis habeant deputati. Nam vbi in conſpectu ipſorum ſtatuerit ſe examinandus, conſiderent bene habitum corporis, an ſit morbo aliquo graui adfectus, vt caduco, paralyſi, notent inceſſus, et geſtus. Per decentiam enim cognoſcitur honeſtas morum interiorum. Tum incipiant iuxta praemiſſa inquirere, cuius ſit, ex qua Dioeceſi, ex quo Plebaniatu? An habeat a Parocho, et Ludimagiſtro commendationem? An habeat literas de natalibus, de aetate, et ſuae vitae conuerſatione. Et ſi diutius vixit extra Patriam, an habeat bonum teſtimonium ab iis, inter quos morabatur? Habeatne Catholicos parentes, vel haereticos? An libens, et volens ad Sacramentum Ordinis, an inuitus, an coactus? Si ad maiores ordines adſpirant, quam laudabiliter ſe in inferioribus geſſerint, teſtatum faciant? vtrum ad exercendum illum ordinem, quem adpetunt, ſufficientiam habeant? An frequentauerint Communionem? informari ſe curabunt, an ſint conſtantes? et qualiter adfecti, et propenſi erga res, et functiones eccleſiaſticas? An reuereantur ſuperiores, ſint-

que tales, quos ſcientiae ſpes, moribus, gradibus et honoribus dignos oſtendat. Ex Synod Trid. Seſſ. 23. cap. 11. An habeat titulum beneficii eccleſiaſtici? An Patrimonium ſufficiens ad vitae ſuſtendandae vſum? etc. Et ſic de reliquis requiſitis ad ordinationem curabunt ſe edoceri. Item vtrum non ſint innodati aliquibus cenſuris, vel quouis alio impedimento etiam occulto adſtricti? quod miniſterii, beneficiique eccleſiaſtici redderet incapaces, de quo ſupra. His rite perſpectis, et finitis, ex improuiſo proponant eis aliquot themata, et faciant periculum ingenii, et doctrinae, iuxta variam promouendorum conditionem, aetatem et profeſſionem.

TITVLVS X.

De aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum.

I. Ex Conſtitutionibus a Guidone S. R. E. Card. Apoſt. Sedis per Germ. Hung. et Polon. Legato, ſub BELA IV. H. R. et Philippo Archi-Epiſcopo Strigon. pro Hungaria editis Viennae A. 1267. Decreta I. II. III. IV. XVI. ap. PETERF. P. I. f. 89.

Quinam promouendi, et qui non?

I. Nullum niſi Presbyterum, aut Diaconum, et qui vxorem non habeat, in Epiſcopum eligatis.

II.

II. Nullum, qui duas vxores habuerit, aut qui vnam concubinam, aut repudiatam, aut meretricem, seu prostitutam, vel qui aliam, quam virginem est sortitus vxorem, in Episcopum eligatis

III. Nullum, quem sacri canones ad ordines prohibent promoueri, in Episcopum eligatis.

IV. Nullum, qui ad Sacros ordines nisi per interualla promotus est, in Episcopum eligatis.

V. Bigamos viduarum, vel repudiatarum, seu meretricum, vel prostitutarum maritos, ab omni Ecclesiastica dignitate deponimus, et beneficiis Ecclesiasticis in aeternum priuamus.

II. Ex Constitutionibus Vngariae PHILIPPI quondam Legati circa reformationes Praelatorum, et cleri sub LADISLAO IV. Cap. XX. ap. PETERF. P. I. f. 111.

Vt omnes curam animarum habentes in Presbyteros ordinentur.

Statuimus etiam, quod omnes Abbates, Praepositi, Priores, Plebani, et alii Ecclesiarum Praelati, et Rectores curam animarum habentes, promoti ad dignitates, seu curas praedictas ante Concilium Lugdunense nouiter celebratum, si Presbyteri non sunt, in proximis futuris quatuor tempori-

bus

bus ſucceſſiue ſe faciant vsque ad ſacerdotium ordinari, aut omnino dimittant huiusmodi dignitates, et curas; et per ſuos dioeceſanos, ſeu Priores, ſublato cuiuslibet adpellationis obſtaculo, amoueantur a dignitatibus, et curis praedictis, niſi in Sacerdotes fuerint ordinati: inſtitutis autem, ſiue inſtituendis poſt Concilium Lugdunenſe praefatum, per Dioeceſanos, et alios ſuperiores eorum denuncietur ſingulariter ſingulis, et vniuerſaliter vniuerſis, quod niſi infra annum a die ſuae inſtitutionis in dignitatibus, et beneficiis, curam animarum habentibus, in Presbyteros fuerint ordinati, ipſo iure huiusmodi beneficiis ſint priuati, et beneficia illa per illos, ad quos eorum ordinatio ſpectat, extunc de perſonis idoneis libere ordinentur.

III. Bulla FERD. I. C. et H. R. Olaho Archi-Epiſcopo Strigon. data A. 1553. ap. PETERF. P. II. f. 2.

Confertur Archi-Epiſcopo Strigon. ius patronatus ea conditione, vt perſonas idoneas, et bene meritas, Eccleſiaeque functione dignas promoueat.

Nos Ferdinandus Diuina fauente Clementia, Romanorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae etc. Rex, ſemper Auguſtus, Infans Hiſpaniarum

niarum Archi-Dux Auſtriae memoriae commendamus, tenore praeſentium, ſignificantes, quibus expedit vniuerſis. Quod Nos reſpectum habentes ad ſinceram fidem, grataque merita, praeclaras excellentesque animi dotes, ac erga Eccleſias, electionemque miniſtrorum, et ſeruitorum Eccleſiarum Dei, ſingularem curam Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Olahi, Archi-Epiſcopi Strigonienſis Eccleſiae, Primatis Hungariae, Legati nati, Summi, et Secretarii Cancellarii, ac Compatris Noſtri fidelis, et ſincere dilecti: quibus illum Diuino munere, propria Noſtra plurium annorum experientia ornatum, praeditumque eſſe cognouimus, ius patronatus Noſtrum Regium, quod ſcilicet in eadem Eccleſia Strigonienſi, ſicut etiam aliis quibusuis Regni Noſtri Hungariae Eccleſiis, more Praedeceſſorum noſtrorum, Hungariae Diuorum Regum, habere dignoſcimur animo deliberato, et ex certa Noſtra ſcientia, eidem Domino, dandum, et conferendum; damusque, et conferimus, per praeſentes, et illud in eundem transferimus, adnuentes: vt ipſe ad omnia beneficia, Praepoſituras, maiores, et minores, Lectoratus, Cantoratus, Cuſtodias, Canonicatus, et Praebendas, ac Parochias, quae poſthac in praedicta Strigonienſi, aliisque collegiatis

Eccle-

Ecclesiis, et Praepositurís ad eandem Ecclesiam Strigoniensem pertinentibus, et quorum collatione antecessores quoque Archi-Episcopi alias vsi fuerunt, quocunque nomine, et titulo, posthac de iure, et de facto vacare contigerint, dicti iuris patronatus Nostri Regii auctoritate, personas idoneas, et bene meritas, Ecclesiaeque functione dignas, fide, vita, moribus, honesta conuersatione, et eruditione praestantes, eligere, nominare, et acceptare, ipsisque de iisdem more antecessorum suorum Archi-Episcoporum disponere, ordinare, et prouidere valeat, atque possit. Imo damus, et transferimus harum Nostrarum vigore, et testimonio literarum. Datum in ciuitate Nostra Sopronienfi decima mensis May, anno Domini millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio, aliorum vero vigesimo septimo.

IV. EX SYNODO Dioecesano-Prouinciali habita sub FERD. I. C. H. R. et Nicolao Olaho Archi-Episcopo Strigon. Tyrnauiae 23. April. A. 1560. Cap. VII. §. 6. ap. PETERF. P. II. f. 64.

Sacerdos accipit ab Episcopo potestatem ordinis, et iurisdictionis super plebem.

Hanc vero talem, tantamque Sacrosancti Sacerdotii dignitatem nemo, nisi Episcopus Catholicus, confirmatus, et auctorita-

te

te Summi Pontificis Romani consecratus, ordinare, et conferre potest. Qui autem rite ab Episcopo ordinatus Sacerdos est, is sicut potestatem ordinis accipit super verum Christi corpus: ita etiam si rite missus fuerit ad officium pastorale, hoc ipso potestatem accipit iurisdictionis super aliquam plebem, quae sit veluti pars quaedam corporis mystici Christi Iesu: ac tunc primum poterit non solum Sacramentum veri Corporis Christi conficere: sed omnia etiam Sacramenta necessaria illi populo, cui praeest administrare: eique vt legitimus Pastor Verbum Dei secundum Catholicae Ecclesiae Romanae intellectum praedicare.

V. Statutorum et Decretorum Synodi Dioecesf. habitae sub FERD. II. C. H. R. et Petro Pazmany Archi-Episcopo Strigon. Tyrnauiae 4. Oct. A. 1629. Cap. II. ap. PETERF. P. II. f. 249.

Quid in Parochiarum, et aliorum beneficiorum adeptione, vel resignatione obseruandum?

Sacri Canones, et nouissime Sacra Tridentina Synodus, duo illa in Parochiarum ademptione, et resignatione obseruanda, serio, ac diligenter praecipiunt.

Primum est: *vt nemo Parochiam suscipere audeat, nisi prius ab Episcopo, vel eius Vicario, atque aliis examinatoribus, non paucioribus, quam tribus, examinati fuerint:*

fuerint: et poſt examen Epiſcopus eligat, cui collalio fieri debeat, ab eo, ad quem ſpectat ius collationis. Secundum eſt, vt clericus certae Eccleſiae adſcriptus, locum inconſulto Epiſcopo non deſerat. *Quod ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur.*

Quocirca vt pernicioſi, et a Catholicae conſuetudinis tramite deuiantes abuſus euellantur: ſtatuimus, vt nemo deinceps Parochiam vllam ſuſcipere, vel ſuſceptam dimittere, et quacunque occaſione alio migrare audeat, ſine adprobatione, et conſenſu Ordinarii, vel Vicarii generalis; qui tamen ipſe, nihil in hac parte ſine praeſcitu ordinarii faciet. Quod ſi quis contrarium feciſſe deprehendatur: ei non ſolum omni Sacrorum exercitio, ipſo facto ſit interdictum, verum etiam poenis arbitrariis in perſona puniatur ab ordinario, vel eius Vicario. Iniungit igitur ſacra Synodus omnibus Archidiaconis, vt, ſi quos in his delinquere compererint, absque vlla mora deferant ad Ordinarium, vel eius Vicarium generalem.

VI. Statuta, et Decreta SYNODI TYRNAV. celebratae ſub FERD. II. et Petro Pazmany S. R. E. Card. Archi-Ep. Strigon. Primate Hung. Legato Nato etc. A. 1630. die 14. April. Statut. IV. ap. PETERF. P. II. f. 309.

Qui

Qui formam examinandi Sacerdotes ad Parochias mittendos conficiant?

Inhaerens eadem S. Synodus generalis Concilii decretis, elegit, qui formam examinandi Sacerdotes ad Parochias mittendos conficiant, Reuerendissimos Dominos Tininiensem, et Sirmiensem electos Episcopos.

VII. EX SYNODO Nation. habitae sub FERD. II. C. H. R. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. April. A. 1633. ap. PETERF. P. II. f. 331.

Formula iuramenti a Parochi voce, et scripto faciendi.

Ego N. N. Parochus Ecclesiae N. N. iuro per Deum viuum, Beatissimam Virginem Mariam, et omnes Sanctos, et Electos Dei, quod Reuerendissimo Domino Ordinario meo, eiusque successoribus legitimis, nec non Vicario Generali pro tempore constituto, fideliter obediens ero, et sanctae Matris Ecclesiae praedicti Ordinarii mei N. N. ac successorum, Vicariique pro tempore constituti, mandatis parebo, praedictaeque Parochialis Ecclesiae in spiritualibus, et temporalibus, ac in Diuinis bene, et laudabiliter deseruiam, oneraque ipsius Ecclesiae debite supportabo, iuraque Ca-

thedralia, ac Archidiaconalia persoluens, terras, domos, et alias possessiones, iuraque praeannotatae Ecclesiae Parochialis manutenebo, et defendam pro posse, nihilque quod ad Ecclesiam dictam pertineat, alienabo, vendam, seu distraham; sed alienata, distracta, vel vendita, ad ius, et proprietatem dictae Parochialis Ecclesiae reducam pro posse, et reduci procurabo. Item quod Ecclesiam praefatam Parochialem, sine licentia praefati Ordinarii mei, successorumque eiusdem, vel Vicarii generalis pro tempore constituti, non permutabo, nec deseram. Sic me Deus adiuuet, et haec sancta Euangelia, quae corporaliter, ac manibus tango.

VIII. Statutorum, et Constitutionum Synodi Prouin. sub FERD. III. et Emerico Losi Archi-Episcopo Strigon. etc. Tyrnauiae A. 1638. 13. Iunii celebratae cap. VII. ap. PETERF. P. II. f. 366.

De examine eorum, qui in Parochiis curae animarum admouentur.

§. I. Sacrum Concilium Tridentinum de examine curatorum in hunc sensum edidit decretum: „Si Episcopo, aut Synodo „Prouinciali pro Regionis more videbitur „magis expedire, per edictum etiam publi„cum vocentur, qui vellent examinari; ca„ueant examinatores, ne quidquam prorsus

„occa-

„occasione huius examinis, nec ante, nec „post accipiant, alioquin Simoniae vitium, „tam ipsi, quam alii dantes incurrant. Et „de his omnibus non solum coram Deo, sed „etiam in Synodo Prouinciali rationem red„dere teneantur. Licebit etiam Synodo „Prouinciali, si qua in supradictis circa exa„minationis formam, addenda, remittenda„ue esse censuerit, prouidere.„ Haec in decreto praedicti Concilii habentur. Atque vtinam is esset status rerum in Hungarica hac Ecclesia, vt per edictum publicum euocatio examinandorum, ac sic examen per concursum fieri posset, et cum ob Ecclesiasticarum personarum paucitatem, ac raritatem, examen hoc per concursum pro praesentis temporis statu practicari haud possit, id nullo modo praetermitti debet: quin in Synodis Dioecesanis examinatores deputentur, iique promouendos, ad curam animarum, diligenter, ac conscientiose examinent. Breuis autem examinis forma consistit in examine natalium: nam illegitimi ad curam animarum sine dispensatione Papali admitti nequeunt. De aetate, ac ordine; nam absque legitima aetate, ac sacris ordinibus cura animarum committi non debet. De professione: Religiosi enim ordinis homines, nisi indubitatam suorum superiorum habeant licentiam, qua ipsis con-

cedatur facultas ad ſuſcipiendam curam animarum, nequaquam admitti debent, et ſolicite circa hos indagandum eſt, an non ob crimen aliquod e Religioſo ordine eiecti ſint? vel ob morbum aliquem contagioſum? vel deſertores ſint habitus, ac Religionis ſuae; nam hi puniendi ſunt, ab Ordinariis iuxta Concilii Tridentini decreta, non ad curam animarum admittendi. Haec et ſimilia in examine talium diligenter animaduertenda ſunt. De ſecularibus Sacerdotibus: An bona venia ſuperiorum diſceſſerint? Clericus enim certae Eccleſiae adſcriptus, a nullo Epiſcopo eſt recipiendus, ſine ſui Ordinarii licentia: et qui locum ſuum inconſulto Epiſcopo deſeruerint, eis ſacrorum exercitium interdicetur, iuxta dictum concilium Tridentinum.

An tales obtinendi beneficii cauſa, vel pro praeſentatione aliquid promiſerint, vel dederint, praeſertim partem prouentuum beneficii, petierintque necdum vacans beneficium? quicunque enim huiuſmodi beneficium acceperint, poenas a Concilio Tridentino ſtatutas incurret. An habeat alibi beneficia curata, vel incompatibilia? vel onera, ac obligationes, per quae retrahatur a reſidentia, ac debitis ſeruitiis Parochiae? nam qui ad vtrumque feſtinat, neutrum bene peragit. An habeat familiam

pro-

probatam, et non ſuſpectam, cum qua honeſte, ac modeſte viuat, nec ſit periculum, quod famae, ac honoris ſacerdotalis detrimentum apud populum ſit incurſurus? an libros habeat ad ſuum ſtatum, ac officium neceſſarios? qui quidem, quales debeant eſſe, ſcient Domini examinatores, ſicut et eos, quos viſitare debent, et ex quorum lectione excommunicatio poſſit contrahi. Interrogationibus, et reſponſionibus in praedictis, praemiſſis, veniendum eſt ad examen doctrinae, et ſcientiae potiſſimum quoad eam, quae adminiſtrationem Sacramentorum, ac directionem conſcientiarum concernit: ignorans enim in his ignorabitur, et qui ſcientiam repellit, repelletur a Deo, ne ſacerdotio fungatur. Labia Sacerdotis dicuntur cuſtodire ſapientiam, et quod ex eius ore requiratur lex: quomodo autem hoc in ſacerdote, Parocho, adimplebitur, ſi ei ſufficiens doctrina ac ſcientia defuerit? expediret ſane, ſi omnia diuinae legis myſteria noſſet, ac difficiles quasque legis quaeſtiones explicare poſſet promouendus. Tolerari tamen poterit, ſi eius ſit ſcientiae, vt in quotidianis norit, quid agere iuxta officii ſui partes debeat, ac in difficilioribus ſciat ad ſuperiores recurrere, vel ad eos, qui in tota lege diuina, verſatiores ſunt. Sacramentorum numerum, naturam, virtu-

tes, et effectus nosse debet parochus, et iuxta Concilii Tridentini Praeceptum, vt pie, prudenterque etiam lingua vernacula, haec populo explanare valeat. Quemadmodum et articulos Symboli, orationem Dominicam, decem praecepta legis, peccatorum capitalium numerum, distinctionem peccatorum mortalium a veniali. Primaria Praecepta Ecclesiae, quin et controuersiarum fidei Catholicam expositionem, ac defensionem, hoc exulcerato, ob haereses tempore, vt dextre suscipere possit Parochus, ad conseruationem suorum Parochianorum ab erroribus in fide, valde est necessarium. Atque in hunc finem, vt ante alios libros Catechismum Romanum habeat promouendus, iniungi ipsi per examinatores seuere debet.

§. 2. Postquam praeuio examine admittitur, promouendus, literae prouisionis, vel per Ordinarium, vel per ipsius Vicarium dari illi debebunt. Priusquam autem ad possessionem Ecclesiae Parochialis aditus ipsi pateat, vel coram Ordinario, vel eius Vicario professionem fidei iuxta formam a Pio IV. editam, ac iuramentum quoque Parochiae facere debet: sine his autem possessio, ac fructus adipisci non possunt. Executor autem esse debebit, vtpote Archidiaconus, vel aliquis loco eius idoneus Eccle-

siasticus,

ſiaſticus, qui ad Parochiam cum prouiſo accedens, eum in realem, corporalem, et actualem poſſeſſionem Parochiae immittat. Huiusmodi autem poſſeſſio capitur, per ingreſſum Eccleſiae, aſperſionem aquae benedictae, oſculum altaris maioris, tactum fontis baptiſmalis, pulſum campanae. Quod ſi autem Parochia in partibus Turcicis haberetur, ac quoad admiſſionem in poſſeſſionem praedicto modo tutus admiſſus minime haberi poſſet, tradi poterit poſſeſſio, adquireturque Eccleſiae, ac omnium ad eam pertinentium poſſeſſio, ac ius per traditionem alicuius inſtrumenti, vtpote annuli, pilei, vel alterius ſimilis.

§. 3. Non ſine graui diſplicentia intelligit ſacra Synodus, quod miſſionarii quidam importune, et absque neceſſitate ingerant ſe in iurisdictionem Ordinariorum, praetextu facultatum, et indultorum ſibi a ſacra de propaganda fide, congregatione conceſſorum. Quare cum tales peruertere potius bonum ordinem Eccleſiae, quam promouere dignoſcantur, ita vt rudis plebecula non parum ſcandalizetur; roganda erit ſacra Congregatio de propaganda fide, vt cum ſimilibus facultates, ac indulta conceſſerit, conditionem adponat, ne absque Ordinariorum ſcitu, et requiſitione, praedi-

ctis facultatibus vti, ac curam animarum suscipere praesumant.

IX. Examen promouendorum ad parochiales Ecclesias, cuius in plerisque Synodis fit mentio ap. PETERF. P. II. f. 436.

Modus, et puncta examinis.

Cum in omnibus ordinibus, ac ministeriis Ecclesiasticis conferendis magna debet adhiberi diligentia, et solicitudo, tum praecipue in Parochialibus, in quibus cura animarum exercetur, et Sacramenta dispensantur. Parochi enim dantur Episcopis in Coadiutores, et in messe commissa cooperarii, cum soli onera omnium suae Dioecesis ferre nequeant. Vnde Episcopi in cura animarum habent se, sicut agentia principalia, et perficientia; curati sunt agentia secundaria, et adiuuantia ad hunc finem, vt populi congregati, intra definitos terminos alicuius Dioecesis, Spiritualia ab iis recipiendo, vitam aeternam consequantur. Sicut enim in exercitu tam Dux, quam miles efficiunt victoriam, sed Dux, vt agens principale, milites vero adiuuantes; ita Episcopis, et Parochis incumbit solicitudo ad finem aeternae beatitudinis perducendi animas, sed Episcopis principaliter, aliis autem curatis Presbyteris, et Archidiaconis,

tanquam Epiſcoporum ad hunc finem conſequendum adiutoribus. Ecce quantum Reipublicae interſit optimos Parochos, dignos Dei miniſtros, et cooperatores deligere! Et niſi huic rei bene proſpiciant Epiſcopi, magnum eo nomine apud Deum, et homines odium ſibi conflabunt, multaque inde tanquam e male iacto fundamento, animarum, ſacrarumque rerum pernicies orietur. Tridentina quidem Synodus, in inſtitutione Parochorum, et prouiſione Parochialium, quaenam ſint ad amuſſim ſeruanda, grauiter, et circumſpecte ad ea prouidit; ſi examinatores tanquam ideas reſpexerint, adimplebunt ſuum officium, neque vnquam a vero, et recto aberrabunt. Statuit autem de hoc Seſſ. 24. Cap. 18. de refor. vt occurrente vacatione Eccleſiae, Epiſcopus debeat ſtatim habita notitia vacationis, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis adſignatione conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiae ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur; et deinde praeuio examine, ex adprobatis Epiſcopus eum deligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit, atque illi, et non alteri collatio ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre, vt ibidem videre eſt. Sed quoniam in forma examinis a Concilio tradita, fit mentio edicti proponendi,

per quod vocentur ad concurſum, qui ſe examini ſubiicere quaerunt, in Patria autem noſtra tam ſunt exigui redditus Parochialium, et tanta penuria Sacerdotum, vt vix vnquam aliquis compareret locorum Ordinarii, ſi pro eorum conſcientia, cum deputatorum conſilio videbitur ita expedire, forma concurſus omiſſa per priuatum examen ſupplere poterunt. Ceterum antequam de eruditione eorum periculum fiat, ſciſcitentur ab eis, qui Parochialis officij onus ſuſcepturi acceſſerint, quo nomine vocentur. Nam ex bono nomine ſaepe oritur bona praeſumtio, ſicut vice verſa ex prauo nonnunquam ſiniſtra. Quamuis ex hoc non ſemper ſumatur argumentum concludens. Item interrogent, cuius nationis ſint, et an loqui valeant ſuorum idiomate Parochianorum? An Patria, vnde eſt oriundus, ſit haereticae prauitatis contagio infecta, vel eius nomine ſuſpecta, ne quid ex illa contagioſa, et abominabili peſte contraxerit, et poſtea ſenſim errores diſſeminet?

Quibus parentibus genitus, quoniam ab illis corporis complexionem deducit, quae non parum inclinat, atque incitat ad euitandum malum, vel bonum proſequendum: eſtque filius non corporis tantum paterni, ſed etiam animi quaedam imago. Qualis eſt arbor, talis ſurculus. Vnde et Paulus ad

Rom.

Rom. 11. Si radix ſancta, et rami; ſi vero illegitimis eſt natalibus, ſine ſpeciali Papae diſpenſatione curatum beneficium obtinere non poteſt. Neque etiam ad dignitates, et perſonatus diſpenſat Epiſcopus, ſed ſolus Papa: tum de his, tum de anteacta vita; et ad illud vſque tempus de conditione, et profeſſione curabunt examinatores ſe plane informari, ſiue ſit ſaecularis Clericus, ſiue Monachus. Item an publico Academiae alicuius, vel alterius fide digno teſtimonio ſit commendatus, vel probatus? Qui autem dant teſtimonium, ſint fide Catholici, vita probati. An in Eccleſiaſticis functionibus, aliisque honeſtis, et vtilibus ſtudiis, vbi, quamdiu, et cum quibus ſint verſati? An ſit in Presbyteratus ordine conſtitutus, qui ordo neceſſarius eſt ad regimen animarum? An habeat literas ordinationis ſuae? Si habeat, exhibeat, vel doceat ſaltem per teſtes idoneos ſe Sacerdotio canonice fuiſſe inſignitum. An aliquando curam animarum geſſerint, qua fide, cum quanta aedificatione, et profectu, tam reſpectu ſui, quam Eccleſiae oſtendant? An cum bona venia Superiorum diſceſſerit? Nam Clericus certae Eccleſiae adſcriptus, a nullo Epiſcopo recipiendus ſine Ordinarii licentia. Et qui locum ſuum inconſulto Epiſcopo deſeruerint, eis Sacrorum exercitium inter-

interdicetur Synodo Tridentina Seſſ. 23. cap. 16. de Reformat. Si eſt Religioſus, adtentiores ſint examinatores oportet, et rimentur omnia diligentiori indagine; an ſcilicet conſenſu ſuperiorum, et obtenta licentia receſſerit a clauſtro, et ob quam cauſam vult deſeruire beneficio curato, et ſaeculari? An retento habitu, vel dimiſſo, et ſine obedientia regulari? Neque tenentur credere Superioribus affirmantibus ſubeſſe cauſam neceſſitatis iuſtam, vel vtilitatis, niſi conſtet de illa, dum verſentur in eo caſu, in quo legitima ſine cauſa concedere aliquid non poſſunt. An ſit Sacerdos, et Profeſſus? An habeat animum reuertendi ad monaſterium, in eo perſeuerandi, cui ſe addixit profitendo: vel tenetur ab obligatione ſui ordinis ſe eximere? An non ſit relegatus a Prouincia ſuae originis? et pro loco exilii huc deſtinatus? An ob celatum morbum aliquem contagioſum e religione dimiſſus? An ob demerita eiectus, et priuatus legitime habitu, et ordine? Obſeruetur Concil. Trident. cap. 4. Seſſ. 25. de Regul. Deſertores inſtituti ſui ab Ordinariis locorum puniantur. Et cap. 19. Non detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum ſuae Religionis. Item inquirant praeſertim ſi a laicis praeſententur, an obtinendi beneficii cauſa: aut vt ad id praeſentaretur vel nominaretur,

col-

collatori Patrono, ſeu alicui quidpiam ea de cauſa promiſerit, vel dederit aliquid, vel donauerit partem fructuum beneficii, vel nondum vacans petierit? Quicunque enim beneficium cum eiusmodi conditionibus acceperit, ſciat ſe poenas incurſurum. Seſſ. 24. cap. 14.

Et Patroni vſurpantes fructus beneficii ſui iuris patronatus excommunicationis, et interdicti poenis ſubiiciuntur, et dicto iure patronatus, ipſo iure priuati exiſtunt. Seſſ. 24. cap. 9. de Refor. Concil. Trident. An alibi habeat beneficia praeſertim incompatibilia, et litigioſa, vel aliquas alias obligationes, et onera, ob quae probabile ſit retractum iri a reſidentia, et debito ſeruitio Parochiae? nam qui ad vtrumque feſtinat, neutrum bene peragit. An familiam habeat Deum timentem, et non ſuſpectam? an cum illis honeſte viuat, et modeſte, ne aliquid in magnum famae, et honoris Sacerdotalis detrimentum apud populum redundet?

An libros habeat ad ſuum ſtatum, et officium neceſſarios: Miſſale Breuiarium, Biblia ſacra adprobata, Catechiſmum Romanum, vel Petri Caniſii, Conſtitutiones Synodales, Prouinciales, Dioeceſanas, Rituale Strigonienſe, Concilium Tridentinum, caſus conſcientiae quotidiano vſu adcurate ſolutos, Toleti inſtructionem, vel Manuale

Na-

Nauarri, Concionatores item aliquos, et verbi Diuini Oratores, aliosque Parochiales ad ſuum munus exequendum pertinentes. An illos legerit, et profecerit, et inpoſterum diligentiam polliceatur in iis perdiſcendis, ad quae tenetur? Verum ſicut bonos libros domi ſuae habere tenetur, atque illos nocturna verſare manu, verſare diurna, ita ſacrilega ſcriptorum monumenta a ſua domo proſcribat neceſſe eſt. Ne igitur apud ſe tenere praeſumat, vel legat libros prohibitos, et damnatos, Mahometarum, haereticorum, aut aliquos ſuperſtitioſos apocryphos, maxime in diuinis officiis. Et ſi apud eos huiusmodi libri reperti fuerint, vſum eorum, et lectionem interdicant. Iubeant obſeruari decretum Synodi Trident. Seſſ. 4. de editione, et vſu ſacrorum librorum. Admoneant in Bulla coenae Domini excommunicari, atque anathemati ſubiici, quicunque libros haereſin continentes, vel de religione tractantes ſine auctoritate Summi Pontificis, et Sedis Apoſtolicae ſcienter legunt, et tenent. Tales ipſo iure excommunicationem incurrere Romano Pontifici reſeruatam. Quae procedunt, quamuis libri haereticorum multa bona contineant; quoniam periculum eſt non leue, ne inter vtilia haereſes latitent; cum haereticorum ſit mos multa bona docere, vt falſa facilius perſuadeant.

His

His interrogationibus, et ad eas reſponſionibus vltro, citroque peractis ad Parochi doctrinam explorandam ſe conferant examinatores, pro qua notari debet: Sacerdotem ſui ordinis duplicem actum, ſiue duplicem poteſtatem habere: Vnam ſupra corpus Chriſti verum, vt puta poteſtatem conſecrandi Corpus, et Sanguinem Domini, in qua vniuerſi Sacerdotes pares ſunt; aliam ſupra Corpus Chriſti myſticum, videlicet ſupra Eccleſiam, et plebem ſibi commiſſam. Quibusdam committitur ſaltem prima poteſtas, et actus, et ſufficit eis, ſi calleant ea, quae ad ſacrificium rite conficiendum pertinent. Sed Parochis praeter haec conceditur etiam alia poteſtas, quae eſt ſupra corpus Myſticum, Eccleſiam videlicet, vt legitima Epiſcopi auctoritate praefecti plebibus, ſiue populi ſacrum diuini Verbi, et Sacramentorum pabulum ad paſcendos animos rite ſubminiſtrare valeant. Et quamuis in dubium vocari poſſit, qualem, et quantam ſcientiam non tantum in his, ſed in negotiorum etiam diſpenſatione, illorum ſtatus requirat; illud tamen certiſſimum videtur, excellentioribus animi dotibus et coeleſtis gratiae donis illos abundare oportere, et pleniorem notitiam habere de diuinis, quam inferiores, quia per illos peruenire

debet

debet credibilium notitia ad inferiores. 22. quaeſt. 2. art. 6. S. Thomas.

Bonum quidem eſſet, ſi omnia diuinae legis myſteria noſſent, et Scripturarum difficiliores quaeſtiones explicare; verumtamen in iis toleranda eſt vel mediocris aliqua ſcientia, qua digne nouerint ſuo munere, et officio per ſe fungi, habito tamen reſpectu locorum magis, vel minus inſignium. Imperfectionem ſupplere debebit charitas, et in occurrentibus arduis, recurrendum erit ad ſuperiores: alias haec ignorans ignorabitur, ad Corinth. cap. 14. Et vocem Dei comminantis extimeſcant; quia tu (inquit per Oſeam) ſcientiam repuliſti, repellam et ego te, ne Sacerdotio fungaris. Et Malach. 2. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, et legem exquirunt de ore eius. Quibus locis admonentur Sacerdotes, praeſertim qui cum Epiſcopis gregis cura praegrauantur, vt ignorantiam veluti peſtem quandam, matrem omnium errorum a ſe abiiciant. c. ideo. 37. diſt. c. 1. diſt. 38.

Itaque perquirendum erit, an latine, facile, et expedite legere ſciant, et intelligant, quae in lectionibus, Homiliis, et ceteris officiis Eccleſiaſticis occurrunt quotidie? an verba bene pronuncient, et in loquendo ſollaeciſmos interdum, et barbariſmos non committant? An in recitatione

Bre-

Breuiarii probe ſint exercitati? An quae in Eccleſia ſint canenda, canere nouerint, ſicut oportet? An in Miſſa caeremonias et rubricas obſeruare didicerint? An regulas pro inueniendis feſtis, et populo nunciandis mobilibus intelligant? Et quia ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſae decretum Conc. Trid. exſtat de obſeruandis, et euitandis in celebratione Miſſae, inquiratur, et inueſtigetur, ac conforment ſe cum illo decreto. Item examinent de rubrica Miſſae, et defectibus in ea occurrentibus, ac eorum remediis. Quid item Miſſa ſit, quae partes, quae forma conſecrationis? Et quia diebus feſtis, et ſolemnibus Parochus concionem ad populum habere debet, adcommodando ſe ad captum auditorum, facilitate, et breuitate adhibita. Trid. Conc. ſeſs. 24. c. 4. et 7. interrogabunt, quos auctores ſequatur in explicandis ſacrae Scripturae locis: ex Euangeliis, quos ſenſus eliciant, quomodo interpretetur, et ſententiis illuſtret parabolas? Deinde propoſito aliquo ſacri eloquii textu, faciant periculum, quantum profecerint in his ſtudiis ſua ingenia exercendo. Moneant, ne fabellis anilibus, et verborum inani ſonitu auditorum aures impleant, ſed rebus ſolidis.

Tum de Sacramentis proponant quaeſtiones, quomodo vim, et vſum Sacramen-

torum intelligant? Quae, et quot numero ſint? Quae, et quod characterem imprimant, atque iterari non poſſint? Quis eorum miniſter, quae vniuscuiuſque materia, forma? quae caeremoniarum ſignificationes? An iuxta praeceptum Trid. Synodi Seſs. 24 Cap. 7. pie prudenterque lingua etiam vernacula, haec, et eorum myſteria docere, declarare, et fidelibus praedicare ſciant, vt oportet? Hinc deſcendant ad ſingula Sacramenta, et explorent, qualem peritiam, et praxim teneant? Sacramentorum eorum, maxime, quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Poenitentia, Euchariſtia, Extrema Vnctio et Matrimonium. Vbi ampla materia, et late patens campus aperietur, ſi tamen voluerint ingredi, poteruntque facere interrogationes, et audire reſponſiones, tum ex Rituali Strigonienſi, tum ex Catechiſmo Romano hauſtas. Nam haec ter maxima dona coeleſtia, atque inſtrumenta diuinae gratiae, quo ordine, quo modo, et in quos eorum ſalutares fructus Parochiali miniſterio transfundantur, hic exacte tractare non eſt huius inſtituti, quod ſane longo volumine indigeret; ſed nec quae obſeruanda, quaeque vitanda ſint: cum diſtincte, copioſeque habeantur in Rituali Strigonienſi, quod iuſſu, et auctoritate Eminentiſſimi, ac Reueren-

rendiſſimi Domini Cardinalis, et Archi-Epiſcopi Strigonienſis inſigni commodo multorum nuper in lucem prodiit.

Poſt haec, quia doctrinam quoque Chriſtianam docere tenetur ſuos Parochianos, interrogandus erit, qualiter articulos fidei, vel ſymbolum Apoſtolorum, decem praecepta Decalogi, primaria Eccleſiae praecepta, Orationem Dominicam elucidare didicerit? Quod ſit diſcrimen praeceptorum, et conſiliorum? An ſciat, quot numero ſint peccata mortalia? quae differentia inter mortale, et veniale? Quae eorum circumſtantiae in Sacramento Poenitentiae neceſſario ſint exprimendae? Item an, et quomodo inuocandi ſint Sancti, qualis cultus, et honor adhibendus ſit cum ſacris imaginibus, tum reliquiis Sanctorum? Trid. Syn. ſeſs. 25. de inuocatione, et veneratione, et reliquiis Sanctorum, et ſacris imaginibus.

Item de Purgatorio quantum ſapiat, quantum capiat? An Purgatorium ſit, animaeque ibi detentae fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili altaris Sacrificio poſſint iuuari? An non tantum confiteatur, ſed alios etiam, quibus praeficietur, docere paratus veniat, vt docet catholica Eccleſia Conc. Trid. ſeſs. 25. de Purgatorio. Sed quoniam eadem S. Synodus Trid. Parochis

methodum, et inſtructionem dedit in Catechiſmo Romano, quaenam rerum capita, et quomodo Chriſti fideles edoceri debeant ea, quibus aeterna ſalus comparatur, ad eum librum eos remittimus, admonentes cum eadem catecheſi, vt cum alii quaſi modo geniti infantes ſint, alii in Chriſto adoleſcere incipiant, non nulli quodammodo confirmati ſint aetate, diligenter conſiderent, quibus lacte, quibus ſolidiore cibo opus ſit.

Nec putent Reuerendi Parochi ſuo officio Paſtorali, et conſcientiae ſe ſatisfacturos, ſi dominicis, et feſtiuis Euangelium tantummodo diebus explicent, et parentes carnales exhortentur, vt liberos in Chriſtiana religione educare pie, et ſedulo curent; amplius eis iniungitur, vt pueros adhuc rudes, atque alios ignorantes etiam aetatis profectae doceant pietatem, et neceſſaria ſalutis. Quod ſi quis illorum ex ignauia, vel ignorantia hoc omiſerit, reus erit animarum illarum apud Deum, quae ſub ipſis peribunt in defectu Doctrinae Chriſtianae. Nam Concilium Trid. eo fine Catechiſmum componi iuſſit ſeſs. 24. cap. 2. et praecepit, vt hoc faciant, et ſi opus ſit, per cenſuras Eccleſiaſticas etiam Epiſcopi compellant. Qui locus manifeſte oſtendit ſub lethali culpa Parochos ad hoc munus obligari: alias per eiusmodi remedia non

poſ-

possent ad id praestandum cogi maxime per excommunicationem; siquidem propter veniale peccatum non solet fulminari excommunicatio, vt omnino omnibus palam est. Verum enim vero meminerint Reuerendi Parochi spectatam vitam, innocentiam, concionem assiduam esse, et instructionem populi. Vnde vt maior in omnibus fides adstruatur, grauiter se gerant, et sancte viuant, cum ceteri in eos, tanquam e rebus saeculi in altiorem locum sublatos, oculos coniiciant, ex ipsisque sumant, quod imitentur. Synod. Trid. 22. cap. 1. Sane praedicatio non tam in persuasibilibus humanae sapientiae, quam in ostensione spiritus, et virtutis, teste Apostolo consistit 1. ad Corinth. 2. Praeclare S. Hieronymus ad Fabiolam: Prius faciamus, et sic doceamus, ne doctrinae auctoritas cassis operibus destruatur. Praeeat ergo forma viuendi exemplo Christi, qui coepit prius facere, deinde docere. Et cum sint Patres spirituales, instruant in spiritu lenitatis, laborent, patiantur, et perpetua successione seruientes propter Deum immobiles perseuerent, et fortes.

Iam vero postquam facto experimento doctrinae, et vitae conuersatione perspecta, omnibus qualitatibus, et conditionibus ad Ecclesiam bene regendam necessariis prae-

ditum, atque idoneum inuenerint, et adprobauerint, ponentes ob oculos ſolum Deum, curent examinatores, vt literae collationis ſtatim conficiantur. Antequam enim fiant, poſſeſſio occupari non poteſt, nec fructus percipi. Detur etiam aliquis executor, vel aliqui certi, et expreſſe nominati eiusdem Dioeceſis Archi - Diaconi, vel alia perſona Eccleſiaſtica, Officialis, aut Tabellio, vel Notarius. Quis, vel qui ad Parochiam accedentes, ipſum prouiſum, vel Procuratorem ipſius, in corporalem, realem, et actualem poſſeſſionem introducant. Capitur autem poſſeſſio per ingreſſum Eccleſiae, aſperſionem aquae benedictae, oſculum maioris altaris, tactum fontis baptiſmalis, pulſum campanae. Quod ſi propter hoſtiles incurſus, aliamue iuſtam cauſam non eſt tutus acceſſus ad beneficium ipſum, nec ad Eccleſiam, neque ad eius aſpectum, poſſeſſio adquiritur per traditionem inſtrumenti, in quo ius continetur, annuli vel pilei, alioue ſigno corporali, et ſic conſequenter etiam poſſeſſio omnium rerum ad ipſam Eccleſiam pertinentium, canonice recipitur. Ante adeptionem autem poſſeſſionum in manibus Epiſcopi, vel eo impedito coram generali eius Vicario, ſeu Officiali Orthodoxae fidei publicam facere profeſſionem, et in Romanae Eccleſiae

obe-

obedientia se permansurum spondere, et iurare tenetur iuxta formam traditam a Pio IV. Videatur Concilium Tridentinum sessione 24. de reform. cap. 12. Iuramentum autem pro Parochia, seu beneficio iuxta infra praescriptam formam facere tenebitur.

TITVLVS XI.

De sacra Vnctione.

I. Ex Prologo ad SYNOD. STRIGON. Dioeces. sub MATHIA I. C. H. R. et Dionysio S. R. E. Card. Archi-Episcopo Strigon. et Ioanne Stock Praeposito Ecclesiae, et Capituli S. Martini Scepusiensis celebratam Leuchouiae A. 1460. can. III. ap. PETERF. P. I. f. 189.

Ne sacerdos ex veteri Chrismate chrismare praesumat.

Item, nullus Sacerdos cum veteri chrismate aliquem chrismare praesumat. Transgressor secundum iuris Canonici sanctiones venit deponendus. Et nihilominus poenam trium marcarum argenti nobis soluendarum ipso facto nouerit se incursurum, rationabili tamen casu, et periculo mortis non imminente.

II. Ex Synodo Strigon. Prouinc. habita ſub VLADISLAO II. H. R. et Hippolyto Eſtenſi Principe S. R. E. Card. et Archi-Epiſcopo Strigon. circa annum 1493. ap. PETERF. P. I. f. 206.

Quintum Sacramentum. . . Vnctionem extremam, per quam maxime. . . .

. Id eſt quintum Sacramentum: ait B. Ia. . . . infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiae, et orent. . in nomine Domini, et oratio fidei ſaluabit. tate, et oleo infirmorum vngite. . . . Vnctionem extremam per quam maxime. . . . doli capaces, diligenter amouete, et. vnctionem extremam quis recipiat, et. coniugale redire. Haec vnctio per ſolum ſacerdotem. nullum inungite, niſi compos mentis exiſt. . . . illud duxerit poſtulandum, manus ſacerdotis e. . . . quia in ſui ordinatione per Epiſcopum inter. . . . celeriter ad aegrotum inungendum per. pigritiam aut negligentiam inunctus decedat: item inuncto conualeſcente, loca inuncta lauentur, et aqua lotionis in ignem mittatur; ſi autem decedit, tunc ſecus.

III. SYNODI Prouinc. Decreta A. 1611. Tyrnauiae celebratae cap. 3. §. 6. ap. PETERF. P. II. f. 211.

Ole-

Oleum et chryſma in loco puro conſeruetur.

Oleum Cathecumenorum; Chryſmatis, et Extremae Vnctionis puro, et nitido loco conſeruatum ſemper habeatur, anniſque ſingulis, circa Paſcha ab Epiſcopo nouum accipiatur.

IV. Statuta SYNODI Dioeces. celebratae a Petro Pazmany Tyrnauiae A. 1630. die 4. et 5. Octobr. Statut. 4. ap. PETERF. P. II. f. 314.

Parochi in renouandis ſacris liquoribus quot annis ſeduli ſint.

In renouandis ſacris liquoribus, ſeduli ſint quot annis Parochi, ac diligentes, a quibus nihil in huiuſmodi liquorum acceptione a capitulo exigatur; ſi qui tamen ſponte ſua cerae aliquid pro candelis, aliudue pium munus Eccleſiae offerre voluerit, non arceatur.

TITVLVS XII.

De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

I. Ex SYNODO STRIGON. Nation. ſub COLOMANNO R. et Laurentio Archi-Epiſcopo Strigon. circa A. 1114. cap. XXIX. ap. PETERF. P. I. f. 57.

De libertate Canonicorum, et filiis eorum.

Si quis Clericus ſeruus Eccleſiae fuerit, filii eius ad priſtinam (*ſeruitutem*) non redeant, ſed inter liberos Eccleſiae habeantur.

II. Ex Conſtitutionibus Guidonis S. R. E. Card. Apoſt. Sedis per Germ. Hung. et Polon. legati ſub BELA IV. H. R. et Philippo Archi-Epiſcopo Strigon. pro Hungaria editis Viennae A. 1267. Decret. XII. ap. PETERF. P. I. f. 88.

Presbyterorum filii ad ſacros ordines non admittantur.

Presbyterorum filios ad ſacros ordines accedere nullatenus permittatis, niſi aut in coenobiis, aut in monaſteriis.

III. Ex Conſtitutionibus Vngariae PHILIPPI quondam legati circa reformationes Praelatorum, et cleri. Cap. XXVI. ap. PETERF. P. I. f. 105.

Ne

Ne habeant in domibus ſuis prolem in ſacro ordine ſuſceptam; nec alias: ſint illorum liberi, famuli maioris Eccleſiae.

Prohibemus ſacerdotibus, et aliis Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis diſtricte, ne ſecum prolem habeant, quam in ſacro ordine genuerunt, propter ſcandalum: et ne huiusmodi parochiales ſacerdotes in domibus ſuis habeant aleas, vel taxillos, diſtrictius inhibemus; filii autem ſiue filiae praedictorum in familia ſiue famulatu, ſeu pro famulis maioris Eccleſiae, cui ſunt immediate ſubiecti, redigantur, ac etiam teneantur.

IV. CAROLI VI. Decret. II. A. 1723. Art. 69. in in Corp. I. H. Tom. II. f. 160.

De Presbyterorum Graeci ritus filiis.

Vt *vnitorum* Graeci ritus *Sacerdotum filii* in Praesbyteratu nati, in ſtatum, et conditionem *Colonicalem* non reducantur; talesque praeuie capacitati, et eruditi, in Presbyteratum adſumi, et *ordinari* poſſint.

§. 1. Qui vero *Presbyterorum filii* in fundis colonicalibus reſiderent; a talibus fundis, *iuxta initam*, vel ineundam cum Dominis terreſtribus *conuentionem*, in, et ab iisdem contribuere, ac ad communia onera concurrere debeant.

TITVLVS XIII.

De ſeruis non ordinandis, et eorum manumiſſione.

I. Ex Synod. Strigon. Nation. ſub Colomanno Rege, et Laurentio Archi-Epiſc. circa A. 1114. cap. XXX. ap. Peterf. P. I. f. 57.

De ſeruis non ordinandis.

Nullus ſeruus Clericus ordinetur, niſi antea Dominus eius plenam ſibi dederit libertatem.

II. Eiusdem Synodi Cap. LXI. ibid. f. 61.

De Iudaeis, qui Chriſtianos habent famulos.

Iudaei ſeruos, vel ancillas, neque proprios, vel venales, neque mercenarios, Chriſtianos habere audeant.

III. Ex conſtitutionibus a Guidone S. R. E. Card. Apoſt. Sedis Legati per Germ. Hung. et Polon. ſub Bela IV. H. R. et Philippo Archi-Epiſcopo Strigon. pro Hungaria editis Viennae. A. 1267. Decret. XV. ap. Peterf. P. I. f. 89.

Nullus ſeruus ordinetur, niſi manumiſſus.

Nullum ſeruum in Clericum ordinetis, niſi Dominus eius manumittat, vt de cetero ex toto nihil in eo iuris habeat.

TI-

TITVLVS XIV.

De bigamis non ordinandis.

I. Ex Constitutionibus Ecclesiasticis COLOMANNI Regis Hung. Cap. IV. alias IX. ap. PETERF. P. I. f. 49.

De priuatione bigamorum Presbyterorum, et eorum beneficiis.

Vt Clerici bigami, et viduarum, aut repudiatarum mariti, temporalibus Ecclesiae beneficiis, et cunctis dignitatibus ecclesiasticis priuentur. Nullus Episcopus aliquem promoueat clericorum ad Diaconatum, et vltra, nisi prius continentiam vouerit, et si vxorem habuerit, ex eius fiat consensu, idem promittentis.

II. Ex Constitutionibus a Guidone S. R. E. Card. Apost. Sedis per Germ. Hung. et Poloniam Legato sub BELA IV. H. R. et Philippo Archi-Episcopo Strigon. pro Hungaria editis Viennae A. 1267. Decret. XVI. ap. PETERF. P. I. f. 89.

Bigami ab omni ecclesiastica dignitate deponuntur, et beneficiis priuantur.

Bigamos viduarum, et repudiatarum, seu meretricum, vel prostitutarum maritos ab omni ecclesiastica dignitate deponimus, et beneficiis ecclesiasticis in aeternum priuamus.

TI-

TITVLVS XV.

De Clericis peregrinis.

I. EX SYNODO SZABOLCHENSI Nation. habita ſub LADISLAO R. et Seraphino Archi-Epiſcopo Strigon. A. 1092. die 20. Maii Cap. XVII. ap. PETERF. P. I. f. 26. et in Corp. I. H. Tom. I. f. 136.

De hoſpitibus aduenientibus Clericis.

Si quis hoſpes Clericus in hanc patriam ſine commendatitiis literis Epiſcopi ſui venerit, ne forte monachus, ac homicida fuerit, vixque alicuius ordinis ſe confeſſus fuerit, iudicio, et teſtimonio diſcutiatur.

II. COLOMANNI Regis Decret. Lib. I. cap. 3. in Corp. I. H. Tom. I. f. 145.

De alienigenis Presbyteris, ſine literis commendatitiis, aduenientibus.

Alienigena Presbyter, vel Diaconus, cum commendatitiis literis recipiatur.

§. I. Qui vero hactenus recepti ſunt, ſi iure venerint, examinentur, quatenus de quibus aliqua aures noſtras pulſat infamia, hi ab officio ceſſent, donec in iudicio purgentur, vel de terra eliminentur.

III. Ex SYNOD. STRIGON. Nation. habita ſub COLOMANNO R. et Laurentio Archi-Epiſcopo Strigon. Praeſide Cunone S. R. E. Card. Legato Apoſt. A. IIII. cap. XXI. ap. PETERF. P. I. f. 57.

De aduenis clericis, et infamatis.

Hoſpites Clerici, qui de alienis partibus venerint, aut legitimos teſtes producant, aut vadant, aut redeant, niſi cum formata.

IV. Ex Conſtitutionibus a Guidone S. R. E. Card. etc. ſub BELA IV. H. R. et Philippo Archi-Epiſcopo Strigon. pro Hung. editis Viennae A. 1267. Decret. XIII. ap. PETERF. P. I. f. 90.

Alieni Clerici ſine commendatitiis vel formatis literis non admittantur, vel tolerentur.

Alienos clericos, quos ſine commendatitiis literis ſuſcepiſtis, in Epiſcopatibus veſtris nullatenus toleretis, et cetero nec eos, nec alios ſine formatis literis admittatis; et quos de his apoſtatas eſſe conſtiterit, excommunicatos habeatis, et Praepoſitis ſuis eos requirentibus reddatis.

V. Ex SYNODO AGRIENSI ſub LUDOV. II. Thoma Backacs S. R. E. Card. A. E. Strigon. et Petro Perisloo Epiſc. Veſprim. A. 1515. Additio de officio Archi-Diacon. ap. PETERF. P. I. f. 236.

Archi-

Archidiaconi, vel Vice-Archidiaconi examinent Sacerdotes ignorantes, et vagabundos ſuper adminiſtratione Sacramentorum ſecundum tenorem conſtitutionum ſynodalium.

Ne Sacerdotes ignorantes, et vagabundi, ac alterius Dioeceſis ſuſcipiant curam animarum, ſtatuitur, quod priusquam dictam curam exerceant, debeant examinari per Archidiaconum, aut Vice-Archidiaconum, in cuius Vicaria illa Eccleſia parochialis conſtituta fuerit, ſuper adminiſtratione Sacramentorum eccleſiaſticorum ſecundum tenorem conſtitutionum ſynodalium. Et ſi quis plebanorum recuſauerit ſubire huiuſmodi examinationem, Archidiaconus, ſeu Vice-Archidiaconus debeat petere mandatum a ſuperiore, cuius tenore excuſantes compellantur pati examinationem, et ſubire examen.

VI. Ex SYNOD. Nat. habita ſub FERD. II. C. H. R. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. Aprilis A. 1633. ap. PETERF. P. II. f. 332.

Forma literarum, quae a Domino Vicario Licentiatis dari conſueuerunt.

Petrus etc. vniuerſis, et ſingulis praeſentes literas noſtras viſuris, lecturis, aut legi audituris: damus pro memoria, quod nos

nos inducti necessitate, et graui Sacerdotum penuria, nec non commendatione piorum hominum dilectum nobis in Christo N. Dioecesis Strigoniensis in piis, ac sacris libris, et orationibus, populo in possessione N. et Comitatu N. existente praelegendis, per vnius integri anni spatium licentiauerimus, hac tamen adiecta obligatione, sub fide Deo debita, ne idem N. vllo vsquam sub praetextu eiusmodi, Sacramentorum administrationi se immisceat, quae pro legitimo ministro Sacerdotii ordinem requirunt, vt sunt sacra Missae celebratio, confessionum audiendarum, et absolutionis ministerium, extremae vnctionis administratio; ac ne fines licentiae suae vlla ratione excedat, sed suorum superiorum ordinationi se conformet. Quod attinet ad Baptismi administrationem, si necessitate postulante eam exercere oporteat, id vt in absentia, vel longiori Sacerdotis distantia facere possit, volumus: obseruatis iis, quae in casu necessitatis obseruari ab eo debebunt, omissis exorcismis, et inunctionibus. Quae licentia ita conceditur, vt si vitam, moresque suos Licentiatus non ita componeret, prout decet, nec licentiam debito modo perageret, admonitusque non se emendaret, ipso facto licentia concessa cessare intelligatur harum nostrarum vigore, et testimonio literarum mediante. Datum etc.

VII. EX SYNOD. Prou. habita ſub Ferd. III. et Emerico Losy A. E. Strigon. Tyrnau. A. 1638. Cap. 2. Statut. VII. ap. PETERF. P. II. f. 360.

Ignoti et peregrini ſine commendatitiis literis ad ſacra non admittantur.

Ignoti, peregrini, vagique ſacerdotes, ſine teſtimonialibus, ac commendatitiis literis ad ſacra facienda non admittantur.

TITVLVS XVI.

De officio Archidiaconi.

I. EX SYNOD. STRIG. Nat. ſub COLOMANNO Rege, et Laurentio Archi-Ep. Praeſide Cunone S. R. E. Card. Leg. Apoſt. A. 1111. cap. LXIII. ap. PETERF. P. I. f. 62.

De Archi-Diaconis.

Omnes Archi-Diaconi Breuiturium canonum habeant.

II. EX SYNODO Bud. ſub LADISL. IV. H. R. Conſtitutionum Vngariae Philippi quondam Legati circa reformationes Praelatorum, et Cleri A. 1279. Conſtit. XXXVIII. ap. PETERF. P. I. f. 115.

Vt Archi-Diaconi Iuri Canonico per triennium ſtuduerint, vel ſtudeant.

Cum tam de jure, quam de generali conſuetudine multarum Eccleſiarum, Archi-

chi-Diaconi iurisdictionem habeant causas matrimoniales, et plerumque alias audiendi, examinandi, atque decidendi: statuimus, atque praecipimus, quod nulli de cetero in Regno Hungariae, et Prouincia Poloniae in Archi-Diaconos adsumantur, nisi in iure canonico, taliter sint instructi, atque periti, quod causas huiusmodi secundum iura, et rationabiles consuetudines locorum, in quibus huiusmodi iurisdictionem obtinent, audire, examinare, atque decidere possint, vel alias in artibus sint, aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus adnuente Deo, verisimiliter proficere possint, et si tales in Archi-Diaconos adsumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico iure studere, dimissis in ipsis Archi-Diaconatibus talibus Vicariis, qui honeste possint supplere vices eorum. Hanc autem ad studium, quantum ad constitutionem triennii ad iam institutos Archi-Diaconos extendi volumus, et mandamus, nisi et instituti iam facti sint, et instituendi, post suas institutiones fiant absque vitio, et culpa ipsorum adeo pauperes, debiles, vel infirmi, aut alias inhabiles ad studendum, quod studium incipere nequeant, vel perficere, aut terminare inceptum: quibus impedimentis cessantibus teneantur incipere, et inceptum perficere studium: vt superius est expressum. Ad praedicta quoque

implenda Archi-Diaconi ſupradicti a ſuis dioeceſanis per amotionem, et priuationem perpetuam a ſuis Archi-Diaconatibus compellantur. Indulgemus autem Archi-Diaconis ſupradictis, quod infra triennium, quo ſtudio praefato vacabunt, Archi-Diaconatuum, et aliorum beneficiorum ſuorum fructus, et prouentus cum ea integritate percipiant, cum qua ipſos perciperent, ſi in dictis Archi-Diaconatibus, vel beneficiis perſonaliter morarentur: quotidianis diſtributionibus, quae in pane, et vino ſingulis, vel certis diebus exhibentur, duntaxat exceptis: niſi in fraudem praeſentis conſtitutionis, redditus, qui conſueuerunt in pecunia percipi, ordinarentur pro diſtributionibus panis, et vini.

III. EX SYNODO VESPRIM. Diocc. ſub LVDOV. II. H. R. et Thoma Backacs S. R. E. Card. A. E. Strig. et Petro Berisloo Epiſcopo Veſprim. A. 1515. vbi incipit: *item quod omnes*: ap. PETERF. P. I. Edit. Vien. f. 223. Edit. Poſon. f. 237.

Vice-Archi-Diaconi ter in anno faciant congregationem in ſuis Vicariis pro publicandis praeſentibus conſtitutionibus ſynodalibus.

Mandantes omnibus, et ſingulis Vice-Archi-Diaconis, ter in anno debeant facere congregationem in ſuis Vicariis ſpecialiter, pro publicandis praeſentibus conſtitutionibus ſyno-

ſynodalibus; quibus publicatis debeant inquirere de moribus, et vita Plebanorum ſibi ſubiectorum, et de occupatione rerum Eccleſiarum, ac de ordinatis in curia Romana, vel legati, aut alias extra Eccleſiam Weſprimienſem, deinde omnia in ſcriptis ſub ſigillo mittere eorum Archi-Diaconis, vel Vicario Weſprimienſi. Et ſi ipſi Archi-Diaconi inuenerint aliquos incorrigibiles, vel manifeſtos concubinarios, aut aliquo notorio crimine cum ſcandalo populi conſtitutos, habeant auctoritatem, imo ſub poena excommunicationis teneantur, tales manifeſtos malos captiuare, et captos Weſprimium ad Reuerendiſſimum Dominum Epiſcopum, vel eius Vicarium transmittere, facto prius proceſſu delictorum ſuorum, et ſub ſigillo, vna cum ipſis delinquentibus eidem Domino Praelato miſſo.

IV. Ex Ead. Synod. eod. loc. et f.

Eos Archi-Diaconi ſub poena excommunicationis latae ſententiae, et priuatione beneficiorum ſolicitent.

Item quod ſub poena excommunicationis latae ſententiae, et priuatione beneficiorum, eos Archi-Diaconi praeſentes per ſe, abſentes autem per ſubſtitutos ſuos teneantur, et debeant ſolicitare Vice-Archi-Dia-

conos ipſorum, vt tribus vicibus in anno faciant conuocationem in vicariis eorum, iuxta ordinem ſuperius conſtitutum.

V. Ex ead. Synod. eod. loc. ſub rubrica. *De clericis concubinariis, et viſitatione* ap. Peterf. P. I. in Edit. Vien. f. 224. et Edit. Poſon. f. 248.

Archi-Diaconus in viſitatione numerum octo equorum non excedat.

Et hac ſacra Synodo adprobante ſtatuitur, et decernitur, quod quilibet Praepoſitus, Archi-Diaconus, aut alia perſona Eccleſiaſtica, quibus de iure aut conſuetudine adprobata competit ius viſitandi, ſibi ſubiectas Eccleſias viſitare teneatur, in qua, niſi ratione, numerum octo equorum, non excedat, niſi forte libertas Eccleſiae viſitandae, aliud perſuaderet, vel niſi Vice-Archi-Diaconum illius diſtrictus ſecum habere velit pro informatione, qui vltra duos equos habere non debet, nec tamen per hoc Archi-Diaconus, vel viſitatores, qui hactenus paucioribus equis vti ſolebant, plurium equorum numerum excedant

.

. . in qua viſitatione inter alia de ſtatu Eccleſiarum, Plebanorum, et Parochianorum ſe diligenter informent; concubinarios, et alios facinoroſos, ac ceteros defectus Eccleſia-

clesiarum fideliter registrando, et demum per se, et non per testes synodales, quando Synodus celebratur, Episcopo; quan. do vero non celebratur Synodus, Vicario eiusdem fideliter, conscientiose adsignare debeant, et teneantur, et si exemplum sequi debeat, iusta, ac debita correctio, ac emendatio, et de medietate poena visitatori respondebitur, si constitutionem praedictam curauerit fideliter obseruari. Si quis vero contrarium attentare praesumserit, et a publicis concubinariis, vel aliis manifestis, et notoriis, et facinorosis ob non accusandum, vel deferendum, aliquid exegerit, vel promissionem accipit aliquam, vel per alium visitare praesumserit, vel numerum equorum transcenderit, praetaxatum ipso facto, sententia suspensionis ab officio, et beneficio incurrat, a qua absolui non possit, nisi duplum eius, quod acceperit, restituat, et satisfaciat Camerae, et fabricae, cuius dupli medietas denuncianti adplicetur. Scituri, quod, si durante dicta suspensione se diuinis miscuerint, erunt ipso facto irregulares, et merito ad prouisionem beneficiorum aliis fiendis, suorum, procedere Episcopus poterit. Sciant denique, quod durante suspensione fructus beneficiorum suorum non faciant suos, sed eos ad fabricam Ecclesiae conuerti congruit, cui et reseruantur.

VI. Ex ead. Synod. eod. loc. in Edit. Vien. f. 236. et in Edit. Poſon. f. 250.

De officio Archi-Diaconorum.

Saepe contingit, quod nonnulli Clerici vinculo excommunicationis adſtricti, aut Apoſtatae, ſeu irregulares, aut illegitime nati, et alias ſacrorum Canonum ſuſceptione indigni, ad huiusmodi ordines ſacros ſubreptitio, et falſo ſe faciunt promoueri: ſtatuitur, et ordinatur, vt quotieſcunque Archi-Diaconi ſuos viſitauerint Archi-Diaconatus, nomina illorum, qui in ſuo Archi-Diaconatu ad ordines promoueri voluerint, rite, et legitime, de vita, et moribus, et conditione ipſorum, facto ſcrutinio in ſcriptis reducant, et regiſtrent, aduenientes quoque ipſius ordinationis vel ipſas abſentibus, Vice-Archi-Diaconi, ipſorum Epiſcopo, vel ſuffraganeo repraeſentent ordinandos, vel examinatoribus deputatis per literas ſigillis ipſorum immunitas; ſi quis autem ordinandorum in hoc transgreſſor fuerit, dato, quod alias ad ſuſcipiendos ordines legitime idoneus exiſtat, a promotione per annum ſuſpenditur.

VII. Ferd. I. Decret. XI. A. 1548. Art. 10. in Corp. I. H. Tom. I. f. 420.

Ar-

Archi-Diaconi, idiotas, et non Sacerdotes, concionari inhibeant.

Praeterea, cum hactenus multis in locis ex licentia multorum Dominorum, et Nobilium, homines idiotae, et plerumque Moechanici, ac alii Praedicatorum fungi officio veriti non ſint.

§. 1. Videtur Ordinibus, et ſtatibus Regni; vt Praedicatores, Archi-Diaconi, Vice-Archi-Diaconi, et alii, qui modo ſupradicto, ad reformationem Religionis per Praelatos emittentur, diligenter tales prohibere, et ad priſtinam, veramque religionem redigere curent.

§. 2. Qui ſi reſipiſcere nollent, tum de bonis illis eiiciantur, et ex merito puniantur.

§. 3. Domini autem terreſtres, non ſolum id non impediant, ſed ipſos Praedicatores, et alios Miniſtros verbi Dei per Praelatos emiſſos, iuuent omnibus modis ad exercendum officium ipſorum.

§. 4. Si quis ex eis aliter facere intelligatur; ad primam requiſitionem ſuae Maieſtatis, vel in eius abſentia Domini locumtenentis; perſonaliter vel per Procuratorem comparere teneatur, et iure conuictus ex merito puniatur.

VIII. EX SYNOD. NITRIENS. Dioeces. habita ſub Vladislao II. H. R. Hipolyto Eſtenſi S. R. E. Card. Archi-Eipſcopo Strigon. Antonio electo Ep. Nitr. edita, et aucta a Paulo Abſtemio Epiſcopo Nitrienſi A. 1560. ap. PETERF. P. I. Ed. Vien. f. 279. Poſon. 293.

De Officio Archi-Diaconorum.

Cum nos ex eo, quod omnium Dioeceſanorum, et ſubditorum noſtrorum notitiam habere nequeamus, et ipſorum ſtatus, et conditiones plurimum ignoremus, ſaepeque contingat, quod non nulli Clerici vinculo excommunicationis adſtricti, aut apoſtatae, aut irregulares, vel illegitime nati, et alias a ſacrorum ordinum ſuſceptione indigni ad huiusmodi ſacros ordines ſubreptitie, et falſo ſe faciant promoueri: nos volentes animarum ipſorum periculis obuiare, praeſenti conſtitutione ſtatuimus, et ordinamus, vt quotieſcunque Archi-Diaconus Archi-Diaconatus ſui parochias viſitauerit, nomina quorumcunque Archi-Diaconatus ipſorum, qui ad ordines promoueri voluerint, rite, et legitime de vita, moribus, et conditionibus ipſorum, facto ſcrutinio in ſcriptis reducant, et regiſtrent: aduenientе quoque tempore ordinationis, ipſi Archi-Diaconi, vel Vice-Archi-Diaconi ipſorum, abſentibus ipſis Archi-Diaconis, nobis, ſeu Vicario noſtro repraeſentent ordinandos perſonali-

naliter, ſeu per ipſorum Archi-Diaconorum, vel Vice-Archi-Diaconorum literas ſigillorum ipſorum robore munitas. Si quis autem ordinandorum in hoc transgreſſor fuerit, dato, quod alias legitime ad ſuſceptum ordinem potuerit promoueri, ipſum ab executione dicti ordinis vſque ad annum ſuſpendimus. Et in tribus florenis auri mulctetur, quorum medietas camerae noſtrae adplicetur, et alia medietas Archi-Diacono, in cuius Archi-Diaconatu reſidentiam fecerit, ſeu domicilium habuerit, ſi nobis, aut Vicario noſtro denunciauerit.

IX. EX SYNODO Prou. habita ſub MATHIA II. H. R. et Franc. Forgach. S. R. E. Card. A. E. Strig. Tyrnauiae A. 1611. Cap. V. ap. PETERF. P. II. f. 215.

De viſitatione ab Archi-Diaconis inſtituenda.

Archi-Diaconus non ſolum probitate, ac ſcientia inſignis eſſe debet, et omnino talis, qualem Tridentina Synodus ſeſs. 24. cap. *12.* de Reform. exigit: Sed etiam inuigilare debet tanquam rationem Deo redditurus de Parochiis ſibi commiſſis. Eas igitur imprimis iuxta ſtatuta Tridentini Concilii, annis ſingulis viſitare tenetur: ſicut, et Dominus Archi-Abbas, ac ceteri Praepoſiti, quibus munus viſitandi incumbit.

II. Vt

II. Vt autem ſciant, tam ipſe Archi-Diaconus, quam Parochi, *quaenam tempore viſitationis in examen venire debeant*; primo ea, quae ad Dei cultum: deinde, quae ad ipſam Parochi perſonam: demum, quae ad ſubditos ſpectant, luſtrabit Archi-Diaconus.

Igitur *primo omnium viſitabit templum*: An ſarta, tecta conſeruetur ſacra Aedes? An munda? An Euchariſtia munde adſeruetur, et ſuis temporibus renouetur? An quae ſacrificio ſeruiunt: purificatoria, corporalia, pallae, calices, patenae &c. nitida? An Altare tot mappas habeat, quot ex praeſcripto requiruntur, reliquiisque ſit inſtructum? An oleum ſanctum, aqua Baptiſterii recte adſeruentur? An locus in templo (et non in ſacriſtia) Confeſſionibus audiendis ſit aptatus? An libri extent, in quo Baptizatorum, Compatrum, Confirmatorum ab Epiſcopo, Matrimonia contrahentium nomina adſcripta ſint? Inquirat etiam, an Sacrum diebus feſtis, Concio, Doctrinaque Chriſtiana habeatur? Et audito aliquoties Parocho ſacrum celebrante, aduertat, an in ceremoniis, &c. errorem aliquem committat? Eumque correctum inſtruat. Similiter concionem, et doctrinam Chriſtianam tradentem audire, ac corrigere debebit in ſpiritu lenitatis. Inuentarium

ſup-

ſuppellectilis templi conficiet, in quod redditus, ac bona templi vna cum Legatis piis referet: et copiam Aedituo, ac iudici tradat, vt, ſi quando Parochus ſedem mutet, iuxta inuentarium res templi conſignet integras.

Circa ipſum Parochum, intelliget inprimis: An Breuiarium ſciat? An ſoleat recitare? An libros prohibitos habeat? An libris, quorum ſupra mentio facta eſt, inſtructus ſit? An ritus ab agenda Strigonienſi praeſcriptos, in Sacramentorum adminiſtratione obſeruet, et formas Sacramentorum, praeſertim Baptiſmi, et Poenitentiae rite teneat? Quaedam item ex caſibus conſcientiae, de iis, quae in illa Parochia accidere poſſent, a Parochis inquiret. Et quonam modo in rebus ſimilibus ſe gerere ſoleat cum poenitente? Quem item modum in audiendis confeſſionibus habeat, indagabit: hortabiturque, vt aliquid temporis, ſtudio caſuum adtribuat. Viſitabit item: An ſuppellectilem templi re aliqua auxerit, ab vltima viſitatione? An fundos Parochiae obpignorauerit? vel elocauerit? vel conſanguineos bonis Eccleſiae auxerit? Quod in Tridentino prohibetur. Inquirat praeterea a viris grauioribus, an bene audiat Parochus? Num ebrietati, liberaeque vitae ſit deditus? An cohabitet cum foeminis?

An

An rogatus Sacramenta prompte admini- ſtret? Et num aliquis ob eius negligentiam ſine Sacramento obierit? Et ſi quid in ſupradictis eum deliquiſſe aduertat, communicato in rebus grauioribus cum Epiſcopo conſilio, ipſum puniat.

Ad ſubditos Parochiae quod attinet, inquiret Archi-Diaconus: An ſubditi templa adeant? An liberos ad Chriſtianam doctrinam ire compellant? An omnes Catholicam concionem audiant? An ad Paſcha, ex praeſcripto Eccleſiae omnes ſint confeſſi; Et ſi quos id neglexiſſe aduertet, primo moneat: aliis deinceps annis, etiam puniat. An Ludimagiſtri tales ſint, quales ſupra eſſe debere diximus?

Exhortationes ad populos Archi-Diaconus habeat, eosque ad omnem pietatem inflammet: ac vt Sacris interſint crebro, Eccleſiaeque Sacramenta non negligant, diligenter moneat, et ſuauiter eis perſuadeat, vt ſinguli pro templi fabrica, ac ſupellectili legare pro ſua tenuitate velint: idque ſi fieri poſſit, communi conſenſu in leges referri deberet.

In locis vero deſtitutis Parocho, conuocandus Iudex, Iurati, cum Aedituo, examinenturque his de rebus, an ſint Catholici? Sacramenta vbi percipiant? Miſſas, Conciones vbi audiant? Eccleſia, vel Parochus

rochus habeatne redditus? Quos? Quis administret? Quo reponantur? Poſtea videndum, an debeant, et poſſint adgregari vicinae Parochiae, vel alendus proprius Parochus, vel ex Capitulo excurrendum alicui? Abſoluta Viſitatione iuxta Decretum Conc. Trident. Seſſio. 24. Cap. 2. et 3. *Omnia acta Viſitationis in ſcripto tradet Archi-Diaconus Epiſcopo;* vt is, ſuarum ouium ſtatum cognoſcens, proſpicere in tempore poſſit ſpirituali eorum neceſſitati; et quod ibi rigide cauet Tridentinum, caueat Archi-Diaconus, ne oneroſus ſit Parochis.

Quia *Viſitationes in diſtrictu Gyöngyöſienſi* peragi ab Archi-Diaconis commode non poſſunt, Sacra Synodus Parocho Gyöngyöſienſi moderno plenariam auctoritatem largitur, vt Parochias adiacentes viſitet, atque vt decreta huius Sacrae Synodi exacte obſeruentur, curet: Deque viſitatione ſua, ad Illuſtriſſimum Cardinalem primo quoque tempore referat. In poſterum vero Archi-Diaconus Heueſienſis ſede Agrienſi vacante, cum conſenſu Illuſtriſſimi Archi-Epiſcopi, vel illo non exiſtente ſenioris ſuffraganei idoneum Vice-Archi-Diaconum conſtituat.

X. EX Actis Conuentus Reuerendiſſimorum Dominorum Archi-Epiſcopatui Strigonienſi ſubiectorum ſub FERD. II. Poſonii An. 1628. die 2. Aprilis

Edicti Illustrissimi Archi-Episcopi §. 5. ap. PETERF. P. II. f. 231.

Visitator abalienata Ecclesiarum bona recuperet.

Ad visitatorem pertinet et id, vt abalienata Ecclesiarum bona pro virili inuestiget, ac recuperet Archi-Diaconus, etiam implorata Praelati auctoritate.

XI. Ex Actis et Statutis SYNODI Prou. sub. FERD. II. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. Aprilis A. 1633. Statut. IV. ap. PETERF. P. II. f. 328.

Archi-Diaconi quot annis per se ipsos, et non per substitutos sacerdotes visitationem peragant.

Archi-Diaconi licet pluribus Decretis obstricti sint ad visitandas quot annis Parochias suas, et tam Parochos, quam populum in spiritualibus, et temporalibus iuuandos, faciendamque Praelato relationem de modis, ac mediis corrigendi mores, ac promouendi religionem; in eo tamen munere non nulli adparent defectus. Itaque haec Sancta Synodus remedio efficaci hac in parte vtendum censet. Omnibus itaque, et singulis Archi-Diaconis, et Praepositis, quibus officium visitandi Parochos incumbit, iniungit haec Sancta Synodus in virtute san-

ctae

ctae obedientiae, et ſub poena amiſſionis beneficiorum, vt quot annis per ſe ipſos, et non per ſubſtitutos Sacerdotes viſitationem omnium Parochiarum ſuae iurisdictionis peragant, et ſcripto exhibeant Praelatis ſeriem viſitationis ſuae. Quod ſi vel morbo, vel ineuitabili aliquo caſu impediantur, Ordinarii ſui teſtimonium de hoc impedimento ſcripto obtineant: alias excuſationes omnes inefficaces habeantur. Monentur autem ſerio hoc loci Domini Viſitatores, vt diligenter adtendant, ne quouis modo grauentur ii, qui viſitantur, et in prima ſerie viſitationis conſignent conſuetudinem locorum, tam in hoſpitalitate, ſeu procuratione, quam in ſoluendo Cathedratico vigentem. Atque inter cetera ſibi incumbentia negotia nouerint Domini Viſitatores ipſorum muneris eſſe, vt ſerio moneant Parochianos, ne ea, quae pie legata ſunt, vel aliter obuenerunt Eccleſiis, in profanos vſus conuertere praeſumant.

XII. EX SYNODO AGRIENSI ſub FERD. II. C. H. R. Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. et Emerico Loſy Epiſc Agrienſi Iaſzouiae A. 1635. cap. 7. ap. PETERF. P. II. fol. 341.

De Viſitatione.

§. 1. Sub obteſtatione diuini iudicii monemus Archi-Diaconos Eccleſiae huius no-

ſtráe Agrienſis, vt Parochiis, ac Parochis, nec non aliis ſub Archi-Diaconatuum ipſorum diſtrictibus conſtitutis, ſedulo, ac diligenter ſuper-inuigilent: Archi-Diaconi oculi Epiſcoporum eſſe dicuntur; vt igitur oculi noſtri vigilent, merito monemus, quin ſub ſeuera etiam animaduerſionis poena praecipimus, vt vigilando, quae correctione indigent, vel corrigant ipſi, vel corrigendum ad nos referant.

§. 2. Concilium Prouinciale Anni 1611. ac Dioeceſana An. 1629. abundanter continent, ſicut et reliquae poſtea Synodi Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis, quae ad viſitationem pertinent, ea itaque diligenter a noſtrae Eccleſiae Dominis Archi-Diaconis obſeruari mandamus, hoc addito: quod ſicubi in partibus Turcicae ditioni ſubiectis, per ſe viſitationem ob Turcarum metum obire non poſſent, in caſu huiusmodi neceſſitatis, exploratae pietatis, prudentiae, ac doctrinae Vice-Archi-Diaconos conſtituant, qui Parochis, Parochianis, ac Parochiis diligenter ſuperintendant, viſitationemque in iis peragant, ac eam Dominis Archi-Diaconis transmittant, iique nobis praeſentent, cuius neglectus quouis anno debita poena a nobis emendabitur. Praeter caſum autem huiusmodi neceſſitatis ipſi per ſe, et non per alios Domini Archi-Diaconi ex Decretis Concilii

Tri-

Tridentini viſitationem peragere recte, legitime, ac fideliter tenentur.

His Decretis perlectis, inſtitit Promotor cauſarum Synodi in hunc modum: *Inſto apud Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum Dominum Epiſcopum, vt hodiernae ſeſſioni finem imponi iubeat, ac pro continuatione Synodi ſeſſionem craſtinam indicat.* Ad cuius inſtantiam finem imponi iuſſit Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Epiſcopus huius diei ſeſſioni his verbis: *Cum gratiarum actione finiri iubemus hodiernam ſeſſionem: craſtinam autem in hoc eodem loco indicimus ad horam ſextam matutinam.*

Poſtmodum adhibita monitione de frugali victu, ac de modeſta conuerſatione, terminata eſt ſeſſio cum ſolemni Pontificis benedictione.

XIII. Ex SYNODO Prouinc. ſub FERD. III. C. H. R et Emerico Loſy A. E. Strig. Tyrnauiae A. 1638. Cap. 6. ap. PETERF. P. II. f. 365.

Circa Viſitationem.

Epiſcopi nomen, inſpectorem, ac ſpeculatorem ſonat. Vel ex hoc ſolo igitur nomine ſuo animaduertere poſſunt Domini Ordinarii, qua ſolicita inſpectione, ac viſitatione ipſos verſari circa ſuum gregem oporteat. Epiſcopus ſane debitor eſt ſapienti-

bus, ac insipientibus, pusillis, et magnis: et cum multa sint, eaque plane dissimilia, quae pro temporum, rerumque varietate, ab eo praestari debent, non solum mentis vigilantiam, sed et corporis sensus, manus, oculosque adhibere ad ea, praesentiaque corporali, ac adspectu, pleraque lustrare debet: vulgo dici solet: oculos Dominorum equos saginare; morbi quoque bene inspecti, ac cogniti commodius a medicis sanari possunt. Perinde itaque, vt S. Canones visitationem Dominis Episcopis, S. haec Synodus praecipit, et cum multitudo eorum, quae huiusmodi visitationi subsunt, tanta sit, vt breuibus verbis comprehendi haud possint, ea in aliquot capita reuocabuntur.

§. 2. *Primum* caput complectitur personas, quas visitare oportet: hae vero sunt varii generis, ordinis, conditionis; sunt namque Praepositi multi, Abbates, sunt Plebani, Parochi, sunt simplicia beneficia obtinentes, capellarum, et altarium Rectores, de quorum moribus, studiis, vita, ac conuersatione quid indagandum, quid animaduertendum, quid statuendum, quid corrigendum sit, pro sua sapientia, pietate, ac zelo, facile Domini Episcopi cognoscere, ac diiudicare poterunt; longissimi enim temporis esset, particularia praecepta in his praescribere.

§. 3.

§. 3. Cathedralium quoque Collegiatarumque Ecclesiarum suarum capitula visitare Domini Episcopi debent, et quidem per se, si legitime non impediantur, alias per suos Vicarios.

§. 4. Abbatias, Praepositurs, Prioratus, in quibus non viget regularis obseruantia, ac quae in commendam possidentur, visitare tenentur.

§. 5. Monasteriorum quoque, ac aliorum beneficiorum Regularium superiores, vt visitationem non praetermittant, salutariterque in ea procedant, admonere Dominus Ordinarius debet, et curare, ne defectus in hoc genere admittantur.

§. 6. Adtendant ad administrationes quoque piorum locorum Episcopi, quocunque nomine ea vocentur, ne contra pias fundationes, prouentus talium locorum perperam dissipentur.

§. 7. Sanctimoniales, quae sub regularium cura sunt, in iis, quae ad Clausuram pertinent, iuxta Concilii Tridentini decreta visitare licebit Ordinariis.

§. 8. Indagandum etiam in visitationibus erit: quinam praecepto annuae confessionis, ac communionis non satisfecerint, qui notorii excommunicati, publici vsurarii, sortilegi, blasphemi, ac alii criminosi ha-

beantur, vt iis congrua admonitio, ac correctio possit adhiberi.

§. 9. Infirmorum, carceri inclusorum, a daemone correptorum, aliisque miseriis oppressorum curam habere, eosque solari, pastoralis solicitudinis est, non solum corporaliter eis subueniendo, sed spiritualiter potius, salutis rorem perpetua praesentia, ac benedictione eis instillando.

§. 10. *Secundum* caput, eorum quae visitari debent, complectitur loca: sacras videlicet aedes, aliaque Deo dicata loca, quoad situm, ambitum et structuram, ne in his, inde eorum aliquid, ac vetustate collapsum admittatur, iniuriisque coeli, ac hominum subsint. Visitabit igitur Episcopus Cathedralem, et collegiatas Ecclesias suas, Parochiales item, ac aedes canonicales, domosque Parochorum, Monasteria praeterea commendata, oratoria, sacella, aliaque sacra loca, ac vbique prospiciat, quae emendatione, ac restauratione indigeant, curetque ista perfici per eos, quorum interest.

§. 11. *Tertium* caput visitandorum continet res omnes, ad Ecclesiasticum ius, rationem, ad vsum pertinentes, suppellectilem sacram totam, Sacramenta, vasa horum, reliquias sacras, locaque ad haec deputata, ornamenta altarium, habitusque

sa-

ſacros, pontificales, ac ſacerdotales, omniaque huius generis; qua enim cura, ac diligentia iſta omnia adſeruentur, ac cuſtodiantur: quid deſit neceſſariorum, diligenter inſpiciendum eſt, et praecipiendum, ne quid in neceſſariis deſideretur. An adſint etiam libri neceſſarii, et an baptizati, an matrimonio iuncti, certis libris inſcribantur, examinari debet; ac iniungendum, vt habeantur, puniendique erunt, defectus in hac re. Prouentus quoque, ac iura Eccleſiarum diligenter inueſtigari debebunt; ac modus praeſcribendus erit, quo conſeruentur, quorum poſſeſſio ſalua manet, ac quomodo recuperentur, quorum poſſeſſio alienata inuenietur; ac ne etiam prouentus ac redditus Eccleſiarum perperam conſumantur, rationesque eorum minimae extent, ſolicite prouidendum erit.

§. 12. *Quartum* caput, definitionem temporis ad viſitandum complecti deberet; verum quia neceſſitas hanc definitionem regit, ex neceſſitatis ratione eam Dominis Epiſcopis S. Synodus relinquit, nil dubitans, quin neceſſitate exigente, ſtatim ſeſe ad huiusmodi neceſſarium opus ſuſcipiendum accincturi ſint. Quia vero ita amplae habentur Dioeceſes, vt per ſe hanc viſitationis curam, ex toto difficulter ſuſcipere ſemper Domini Epiſcopi poſſint; per Archi-

diaconos tanquam oculos ſuos, aliosque viros prudentes, ac peritos perfici nequaquam omittant, perſuaſum habentes, quod inſpectoris, ac ſpeculatoris nomen nemo abſque hoc munere rite vendicare poſſit.

§. 13. In partibus Turcis ſubiectis viſitationem hanc committant peritis, ac bene inſtructis Catholicis, in iis partibus libere agentibus, Parochis, ac Sacerdotibus, qui fidem teneantur reddere, ac facere relationem de emendandis, ac corrigendis.

§. 14. Archidiaconi ſciant, quod in Synodo Prouinciali, An. 1633. celebrata, ſub poena amiſſionis beneficiorum habeant ſibi in ſecundo decreto iniunctum, vt ſingulis annis viſitent ſuos diſtrictus; caueant igitur, ne omiſſione viſitationis hanc poenam declarentur incurriſſe.

XIV. Ex Synodo Nation. habita ſub Ferd. IV. H. R. et Georgio Lippay A. E. Strigon. Tyrnauiae 14. Septemb. A. 1648. Statut. IV. ap. Peterf. P. I. f. 378.

Statuitur in poenam amiſſio beneficiorum.

Eiusdem Concilii Tridentini praecepto Archidiaconi peragere viſitationes tenentur quotannis, Synodus noſtra anni 1638. poenam addit amiſſionem beneficiorum.

XV. EX SYNODO II. ZAGRAB. Dioeceſ. ſub LEOPOLDO. I. H. R. Georgio Szelepcſény. A. E. Strig. et Martino Borkovics Epiſcopo Zagrab. A. 1669. cap. I. ap. PETERF. P. II. f. 395.

De corrigendis non recte celebrantibus.

Diffamati Parochi aut Presbyteri, quod recte non celebrent, probentur coram Archidiacono, aut alio idoneo; et non ſe corrigentes ſuſpendantur a celebratione vſque ad informationem Domini Epiſcopi, vel eius Vicarii.

XVI. EX EAD. SYNOD. eod. loc. cap. II. f. 395.

De non ſignificata morte ſacerdotum, annua viſitatione, et Sacris pro Epiſcopo.

§. 1. Vice-Archidiaconi negligenter ſignificantes Domino Epiſcopo ſacerdotum ſuorum mortem, vel aliorum ſub ſe poſitorum, priuentur Vice-Archidiaconatu, aut alias condigne puniantur.

§. 2. Archidiaconi vero in hoc delinquentes, ſeuerius redarguantur ab Epiſcopo, vel Vicario, qui etiam quotannis viſitent. Pro Epiſcopo mortuo quilibet duo Sacra tenetur dicere, et eius immediatus ſucceſſor anniuerſarium celebrare.

XVII. Ex Synodo Zagrab. III. Dioeces. ibid. Cap. V. ap. Peterf. P. II. f. 396.

Renouatio Decreti 3. An. 1669. et Decret. 5. An. 1672.

Archidiaconi ſignificent in Dioeceſi demortuos ſacerdotes ſuis Vice-Archidiaconis ſub poena ſimili. Et quicunque Clericus eſt, ſuſpectam non teneat.

TITVLVS XVII.

De Officio Archi-Presbyteri.

I. Ex Synodo Dioeceſ. habita ſub Ferd. II. C. H. R. et Petro Pazmany A. E. Strigon. Tyrnauiae 4. Octobr. A. 1629. Cap. IV. ap. Peterf. P. II. f. 257.

De viſitatione Eccleſiarum.

I. Nec crebrius, nec maiori diligentia quidquam a ſacris Conciliis inculcatur, quam viſitatio Eccleſiarum, quomodolibet exemtarum annis ſingulis peragenda. Et quoniam in ampla, ac late patente Dioeceſi Strigonienſi plurium Archidiaconorum miniſterio peragi ſolet haec viſitatio: iniungitur omnibus, ac ſingulis Archidiaconis, etiam extra Capitulum Strigonienſe degentibus, quales ſunt Domini Praepoſiti Poſonien-

nienſis, et Scepuſienſis, vt iuxta modum praeſcriptum a Synodo Prouinciali A. 1611. cap. 5. ſingulis annis viſitationem omnium Parochiarum, ſuae curae commiſſarum, peragant, et ad feſtum Paſchatis Archi-Epiſcopo in ſcriptis deferant ſeriem totius viſitationis. Quod ſi quispiam id facere neglexerit: per Fiſcalem Eccleſiae Metropolitanae ad ſedem ſpiritualem euocetur, et pro delicti grauitate mulctetur: ac nihilominus, vt intra vnius menſis ſpatium viſitationem peragat, et ſcripto exhibeat, eidem iniungatur. Quod ſi tunc quoque neglexerit officium exequi: tunc demum Vicarius Generalis, ſub amiſſione beneficii, et officii ſcriptotenus eidem iniungat, vt intra ſpatium vnius menſis et viſitationem peragat, et relationem exhibeat. Ac tandem, ſi non obedierit, nullo perſonarum reſpectu, officio priuetur.

II. Parochorum exemptorum viſitationem, ipſemet Dominus Vicarius generalis peragat; vel, ſi legitime impediatur, aliquam eccleſiaſticam perſonam deſtinet, literis, ac ſufficienti inſtructione communitam, cui Plebani exemti, obedire teneantur.

Non obſtante viſitatione per Archidiaconos facta, Parochos, praeſertim viciniores, etiam non praemonitos, inopinate viſitet

ſitet generalis Vicarius; vt ſtatum ipſorum, ac conuerſationem exacte cognoſcat.

III. Grauis error foret, ſi quis viſitatorum exiſtimaret ſufficere, ſi defectus Parochorum, et negligentiae in rebus ad officium ipſorum pertinentibus adnotentur: finis enim viſitationis non alius eſt, quam vt corrigantur, quae reprehenſione indigent, et promoueantur, quae ad animarum ſalutem pertinent. Hunc igitur ſcopum ſibi praefixum habeant viſitatores. Praeterea, arguendo, obſecrando, increpando, erudiendo, laborent errantes ad meliorem frugem reducere: bene currentes animare, ac vt ad anteriora ſeſe extendant, incitare.

IV. Curent Archidiaconi, vt ſinguli Parochi habeant Rituale Strigonienſe, et huius Synodi Dioeceſanae ſtatuta, ac decreta: qui libri iuſſu Illuſtriſſimi Domini Archi-Epiſcopi, gratis dabuntur vnicuique ex Capitulo Strigonienſi. Tempore igitur viſitationis vna cum Parocho de verbo ad verbum relegant ſtatuta huius Synodi: et de ſingulis in ea praeſcriptis, ſtatus Parochi, et parochiae indagetur.

Nominatim vero ſolicite efficiant Archidiaconi, vt Magiſtri ſcholae fidei profeſſionem emittant: et pueros doctrinam Chriſtianam, ac DEI timorem doceant, nullas cantilenas haereticas decantent; indagent etiam

iam, an populus ſtatuto tempore Sacramentis vtatur; an filios ad ſcholas hereticas mittat? an Parochi vicinum Parochum aegrotantem viſitent? an generalem confeſſionem, et recollectionem, in adlocutione Archiepiſcopali praeſcriptam fecerint? quod ſi defectum in his compererint, graui, et ſolida cohortatione inducant Parochum, et populum, ne hac in parte animam ſuam laedant, cum aeternae damnationis praeſentiſſimo diſcrimine. Cetera etiam ſingula in hac Synodo decreta vt obſeruentur, modis omnibus efficiant.

V. Si quae Parochiae vel adeo amplae ſint, vt vnus Parochus oneribus ferendis non ſufficiat; vel adeo tenues, vt niſi cum alia copulenter, alere Parochum nequeant: id Archidiaconi ad Ordinarium deferant, vt iuxta decreta Synodi Tridentinae opportuno remedio ſuccurri poſſit.

TI-

TITVLVS XVIII.

De officio Primicerii.

I. Ex SYNOD. Prou. habita ſub FERD. III. et Emerico Loſy A. E. Strigon. Tyrnauiae A. 1638. Cap. II. Statut. XVIII. ap. PETERF. P. II. f. 361.

Chori directio ad eos pertinet, qui cantoralis dignitatis munus obtinent,

In Cathedralibus Eccleſiis ſicut et in collegiatis quibusdam, chori moderatio, et directio ad eos pertinet, qui cantoralis dignitatis munus obtinent: illorum erit itaque directioni chori ita diligenter, ac ſolicite ſemper intendere, vt nec circa libros, nec circa cantum, nec circa alios quoscunque chori miniſtros aliqui defectus admittantur.

TITVLVS XIX.

De officio Sacriſtae.

I. Ex Conſtitutionibus Vngariae Philippi quondam Legati circa reformationes Praelatorum, et Cleri ſub LADISLAO IV. H. R. in SYNOD BUD. A. 1279. Conſtitut. XLI. ap. PETERF. P. I. f. 116.

Vt ſuppellex non teneatur in Eccleſiis, niſi ſacra.

In Concilio prohibetur, et nos prohibemus inuiolabiliter obſeruari, ne ſuppellectilia

lia

lia sacerdotis propria seu alia, in Ecclesiis reponantur, aut etiam teneantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, vt necessitate cessante extra Ecclesiam portentur.

II. Ex Synodo Strigon. Prou. sub Vladisl. H. R. et Hippolyto Estensi Principe Card. S. R. E. et Archi-Episc. Strigon. circa A. 1493. ap. Peterf. P. I. f. 209.

De custodia Sacramentorum.

Secundo quoque, illa scientia vos conuenit exornari, quae in tanta custodia Sacramentorum consistit. Nullam ergo feminam ad altare ministrare, calicem Domini tangere permittite. Altare mundis linteis cooperite, quae simul cum vestibus sacerdotalibus saltem bis in anno lauentur. Super altare nihil, nisi capsas, et reliquias, et crucem, libros, officio tum necessarios, candelabra, et pixides pro Corpore Domini stare sinite. Libros ecclesiasticos S . . . ientes habete. Vasa sacra propriis manibus abluite, et abstergite. Ecclesiae sint bene mundae, et coopertae, et earum altaria vndique bene et decenter custodita . . ; pertinentia in ministerium altaris, vt puta corporalia, pallae, et vestimenta ministrorum,

rum, ac etiam ornamenta Ecclesiarum munda seruate; indecens enim est in sacris sordes ingerere, quae dedecus faciunt etiam in profanis. Corporalia a Sacerdotibus solis, et Diaconis lauentur; et in vase, in quo aliud nihil fiat, et aqua ablutionis intra Ecclesiam in loco, vbi conculcari non potest, fundatur: palla vero potest a clericis inferioris gradus lauari. Vestimenta ministrorum, si fuerint vetustate consumta, nec aliis vsibus ecclesiasticis sint apta, comburantur, et cineres intra Ecclesiam recondantur, vbi tamen nequeant pedibus transeuntium conculcari.

III. EX SYNOD. Prou. sub MATH. II. H. R. et Francisco Forgach S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae A. 1611. Cap. I. sub Decret. XIV. ap. PETERF. P. II. f. 207.

Episcopi, et clerici suppellectilem Ecclesiae relinquant, nec consanguinei ex iis accipiant.

Episcopi, et Clerici calices, ampullas, corporalia, mappas, strophiola, mitras, baculos, casuales, pluuialia, dalmaticas et cetera *omnia ad sacrum altaris ministerium, et ornamentum pastoralem destinata post obitum Ecclesiae relinquant*: nec quidquam consanguinei ex iis accipiant. *Libros vero*, non nisi Ecclesiae, in qua resident, relinquant, vt

vt bibliotheca erigi in ſingulis Capitulis poſſit. *In Parochiis* quoque aeditui id ipſum obſeruabunt, vt ſcilicet a cognatis Parochi defuncti nullo modo libros, et ſacram ſuppellectilem etiam propria pecunia ab illo comparatam, diripi patiantur, ſed pro vſu ſequentium Parochorum conſeruentur. In reliquis autem rebus omnibus tam mobilibus, quam immobilibus teſtamentariae diſpoſitiones iuxta laudabiles ritus, et conſuetudines cuiuſque Eccleſiae in ſuo vigore remaneant.

Cetera, quae de honeſtate, ac integritate eccleſiaſticorum dicenda ſuperſunt: ea ſibi in primis obſeruanda ſciant Reuerendiſſimi Epiſcopi.

TITVLVS XX.

De officio cuſtodis.

I. Ex Conſtitutionibus Vngariae Philippi quondam Legati circa reformationes Praelatorum ſub Ladisl. IV. in Synodo Bvd. Conſtit. XXI. ap. Peterf. P. I. f. 110.

Vt oleum ſanctum, et Euchariſtia ſub claui ſeruentur.

Statuimus, vt per omnes Eccleſias, Chriſma, Oleum ſanctum, et Euchariſtia ſub

 fideli

fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur: ita vt non possit ad illas manus impia extendi. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officiis, et beneficio suspendatur; et si per eius incuriam aliquid inde nefarium contigerit, grauius puniatur.

TITVLVS XXI.

De officio Vicarii.

I. VLADISL. II. Decret. I. siue Maioris A. 1492. Art. 46. in Corp. I. H. Tom. I. f. 267.

Causae ecclesiasticum forum concernentes. Vicarii ad mandatum Iudicis Ordinarii, causas in curiam Regiam sub poena amissionis beneficiorum transmittant.

Praeter factum testamenti, matrimonii, dotum, et rerum paraphernalium, ac iurium quartalitiorum periurii, verberationis, et spoliationis clericorum, et mulierum, et praeter illas alias causas, quae prophanae non essent; in foro spirituali nulla causa tractetur, et e conuerso.

§. 1. Casu autem, quo aliquis Iudicum ecclesiasticorum causam non ad suum forum spectantem coram se reciperet, et ad *literas prae-*

praeceptorias, in praesentiam iudicis secularis competentem non transmitteret; Ex tunc talis Iudex ecclesiasticus beneficio sit priuatus, et Regia Maiestas beneficium, siue officium illius alteri conferre possit ipso facto.

§. 2. Iudices autem ecclesiastici in hoc casu intelligantur *Vicarius*, et *Officiales Praelatorum*.

§. 3. Si autem Iudex secularis causam aliquam per iudicem ecclesiasticum, in suam praesentiam transmissam, forum ecclesiasticum concernere cognouerit; rursus in praesentiam ipsius Iudicis ecclesiastici remittere debeat, et teneatur.

II. Vladislai II. R. Decret. II. A. 1495. Art. 32. in Corp. I. H. Tom. I. f. 289.

Vicariatus externis non conferantur.

Officia, seu *Vicariatus* ecclesiastici in nullis Ecclesiis regni per quamcunque personam ecclesiasticam *Italis*, et forensibus personis conferantur.

§. 1. Alioquin sententia talium irrita, et nullius vigoris habeatur.

III. VLADISLAI II. R. Decret. IV. A. 1500. Art. 35. in Corp. I. H. Tom. I. f. 313.

Vicarii Vngari ſint: et Procuratores cum Vicariis in iudicio non ſedeant.

Articulus *ſexageſimus primus*; quod nemo compellatur per iudices ſpirituales ad reſpondendum coram ſe in cauſis prophanis, prout in Decreto minori poſitus eſt, obſeruetur.

§. 1. Circa quem additum eſt: Quod Vicarii Dominorum Praelatorum, et aliarum perſonarum eccleſiaſticarum non forenſes, et alienigenae, ſed Vngaricae ſolummodo nationis exiſtant.

§. 2. Ne propter non intelligentiam idiomatum, et ſermonum Vicariorum ipſi cauſantes tam interpretibus, quam etiam Procuratoribus eorum ſuperfluas ſolutiones facere; potiſſimum vero, ne in reſponſionibus eorum, medio interpretum fiendis, deuiare, cauſam quoque ipſam amittere cogantur.

§. 3. Et quod in foro ſpirituali Procuratores in ſede iudiciaria Vicariorum tempore diſcuſſionis quarumcunque cauſarum, in quibus ipſi agunt, vna cum Vicario (ſicuti hactenus conſueuerunt) pariter ſedere non audeant: ſed de ſede, conſequenterque domo iudiciaria pro tunc exire teneantur.

TITVLVS XXII.

De officio Legati.

I. EX SYNODO BVD. Nat. ſub LADISLAO IV. H. R. et Lodomerico A. E. Strigon. indicta a Philippo Firmano Epiſcopo, Apoſt. Sed. Legato die 20. Sept. A. 1279. ap. PETERF. P. I. f. 91.

Bulla a NICOLAO Papa II. Philippo, Epiſcopo Firmano Apoſt. Sed. Legato ad Synodum Bud. data.

Nobilis regni Vngariae neceſſitates, Apoſtolicae ſedi frequenter expoſitas, praecordialiter intuemur, auditas recolimus, et non ſine cordis amaritudine ſaepius contemplamur. Condolemus enim tumultuoſis motibus, ac ſeditioſis tumultibus illius, qui per diſſidia ſimultatum alterutrum diſſident, vel congreſſus mutuos, et bella plusquam ciuilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis adcommodo, libello dato repudii, grauiter ſolium regale deprimitur, eiusque depreſſo regimine, non ſolum in regno ipſo vaſtantur bona fidelium; ſed iura Eccleſiarum, et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas eccleſiaſtica damnabiliter conculcatur: animarum quoque ſubſequuntur deploranda

pericula, nefanda perſonarum excidia, et alia fere innumera detrimenta etc. *Interiectis paucis, quibus Firmano Epiſcopo gerendae legationis prouinciam mandat, progreditur:*

Nos itaque tam ingenti, et periculoſa neceſſitate praemiſſorum attente penſata, te, de cuius claris meritis, et probata induſtria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipſum, tibi legationis officio plene commiſſo, in eodem regno, ac Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Lodomeriae, Gallitiae, et Cumaniae partibus illi conterminis: vt in eis euellas, et deſtruas, et diſſipes, et diſpergas, aedifices, et plantes in Nomine Domini, ſicut videris expedire, de fratrum noſtrorum conſilio, velut pacis angelum deſtinamus: iniuncto tibi nihilominus, vt in regno ipſo inter eundem Regem, et Reginae perſonas, nec non tam ibidem, quam in prouinciis memoratis inter eccleſiaſticos, et mundanos viros, et vniuerſos alios cuiuscunque conditionis, praeeminentiae, ſiue ſtatus agere ſtudeas, et tractare: quae ad cultum DEI, Apoſtolicae Sedis honorem, obſeruantiam canonicae ſanctionis, redintegrationem eccleſiaſticae libertatis, robur ſtatus Regii, honeſtatis cultum, reformationem pacis, reuelationem pauperum, ac animarum

rum ſalutem, et tranquillitatem corporum pertinebunt. Et vt circa legationis officium, quod in eodem regno Vngariae tibi duximus committendum, eo poſſis proſperari facilius, quo ſolitis legatorum, qui miſſi de latere mare tranſeunt, adornatus inſigniis, perſonam noſtram quodammodo praeſentabis, de ſpeciali gratia, Apoſtolica tibi auctoritate concedimus, quod iisdem inſigniis, infra praedictum Vngariae regnum duntaxat, et terras dominio eiusdem Regis ſubiectas vti libere valeas, praedictae legationis officium proſequendo etc. Datum Viterbii 10. Kal. Oct. An. 1.

TITVLVS XXIII.

De officio Iudicis Ordinarii.

I. Ex S. Stephani Regis Hung. Decret. Lib. I. Cap. 3. in Corp. I. H. Tom. I. f. 125.

Epiſcopi nomenclatura. Et de imponendo honore Pontificibus.

Regium Solium ornat ordo Pontificum: Ac per hoc, in Regali dignitate tertium poſſident locum Pontifices.

§. 1. Chariſſime Fili! Seniores illos ita cuſtodias; ſicut oculorum pupillas. Si il-

lorum beneuolentiam habebis; neminem aduerſariorum timebis. Illis quidem te obſeruantibus, eris ſecurus in omnibus: Illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo.

§. 2. Illos enim Deus humani generis conſtituit cuſtodes, fecitque ſpeculatores animarum, ac totius Eccleſiaſticae dignitatis, ac diuini Sacramenti diſpenſatores, et datores.

§. 3. Sine enim illis, non conſtituuntur Reges, nec Principatus. Per illorum interuentum, delicta delentur hominum. Si illos perfecte amas; Te ipſum ſine dubio ſanas, tuumque Regnum honorifice gubernas. In manus enim illorum poſita eſt poteſtas ligandi nos in peccatis, et a peccatis ſoluendi.

§. 4. Teſtamentum enim ſempiternum ſtatuit illis Deus, eosque ſegregauit ab hominibus, et ſui nominis, atque ſanctitatis fecit participes, et ab hominibus interdixit reprehendendos eſſe, per Dauid Deificum Regem: Nolite tangere Chriſtos meos, etc. Ille autem tangit Chriſtos Dei, qui contra Diuinum, atque Canonicum inſtitutum, ſacri ordinis viros, falſis criminibus foedat, atque in publicum protrahit. Quod te omnino Fili mi! agere prohibeo, ſi vis beatus viuere, et tuum regnum honeſtare. Quia in his rebus imprimis offenditur Deus.

§. 5.

§. 5. Si accidente caſu, culpa reprehenſione digna, ſuper aliquem horum, de quibus ſermo eſt, ceciderit (quod abſit) corripe eum ter, quater, inter Te, et ipſum ſolum, iuxta praeceptum Euangelii. Si tunc ſecrete renuerit audire monita; adhibenda ſibi ſunt publica, ſecundum haec: ſi te non audierit, dic Eccleſiae. Nam ſi tu hunc ordinem ſeruabis, glorioſam tuam penitus exaltabis coronam.

II. MICHAEL SZILAGY DE HOROGSZEG Gubernatoris Regni Hung. Decret. Vn. A. 1458. Art. 9. in Corp. I. H. Tom. I. f. 214.

Quales cauſas Eccleſiaſtici poſſint iudicare.

Item, quod Iudices Eccleſiaſtici, neque Archi-Epiſcopi, vel eorum Vicarii iudicare valeant; niſi dotes, et res paraphernales, iura quartalitia, factum decimarum, effuſiones ſanguinum, et verberationes Eccleſiaſticorum, et mulierum, nec non teſtamenta, et matrimoniales cauſas, ac de periurio: Prout in canonibus expreſſum eſt.

III. FERD. I. C. H. R. Decret. XII. A. 1550. Art. 13. in Corp. I. H. Tom. I. f. 430.

Epiſcoporum et aliorum Praelatorum, in promouenda religione officium.

Vt autem id citius, et facilius fiat; videtur ſecundum eandem Regiae Maieſtatis

piam adhortationem, ut Episcopi, et Praelati, qui vel solo etiam titulo, (vt nunc sunt tempora) eandem dignitatem possident; primum moribus, et exemplis, deinde vero doctrina, et praedicatione, muneri ipsorum, quantum fieri poterit, insistere, atque inuigilare debeant, idque vel inprimis curare; vt religionem, cultumque diuinum, sub eorum Dioecesibus disseminent ubique, secundum pristinam Catholicae Ecclesiae normam: gregemque sibi commissum, ab erroribus, et malesanis doctrinis auocare, ac tanquam e tenebris ad lucem reducere conentur piis eorum concionibus, doctrinaque a Sanctis patribus deprompta.

§. 1. Fidem etiam Vicarios, Archidiaconos, Parochos, Concionatores, tales vbique curent constituere, et omni studio vndique inquirere; a quibus hoc idem eorum pastorale officium, ipsis Episcopis, vel absentibus, vel legitimis aliis impedimentis praepeditis; rite peragatur, neque quidquam praemittatur, ex quo diuini cultus, pristinaeque, et verae religionis detrimentum, atque inde animarum iactura sequatur.

IV. SYNODI Prouinc. Decreta ſub MATHIA II. H. R. A. 1611. Tyrnauiae celebratae Cap. I. §. 1. 2. 3. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ap. PETERF. P. II. f. 203. et 205.

De iis, quae perſonas Reuerendiſſimorum Epiſcoporum concernunt.

Amplum et illuſtre munus eſt concreditum Epiſcopis, quos participata muneris ſui functione, princeps Paſtorum Chriſtus animis hominum diuina lege imbuendis praefecit: coelos pandere, vel obſerare dedit: Non igitur ad propria commoda, non ad diuitias, vt luxum, ſed ad labores, et ſolicitudines pro Dei gloria vocati ſunt Epiſcopi. Nam, vt recte S. Bernardus monuit: et Propheta, cum adſumeretur, audiuit: vt euellas, et deſtruas, et diſſipes, et diſperdas, aedifices, et plantes. Quid horum faſtum ſonat? ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. Sicut ergo ſidera ſplendorem habent, ſed vt mortalium vſibus deſeruiant: ita Epiſcopi dignitatem, ſed cum munere; officioque deuinctam operoſo. Quocirca vt ex vſu hoc munere fungi, et defungi poſſint Praeſules Eccleſiae non modo finis, ac ſcopus vocationis ſuae adſidue obſeruari animis ipſorum debet: verum etiam periculi magnitudo, in qua verſari eos neceſſe eſt, qui de tot animarum millibus pretioſi Chriſti Sanguine

guine redemtis, ſtrictiſſimam Deo ſunt reddituri rationem. Si ergo latens ſub modio, inquit S. Bernardus, non quidem lucens, ſed fumigans ventorum tamen impetus, nec ſic declinare ſufficio, ſed continuis tentationum, variisque fatigatus incurſibus, inſtar vento agitatae arundinis, huc illucque circumferor; quod poſitus ſupra montem? poſitus ſupra candelabrum? Solus mihi ſeruandus, ſolus tamen mihi ſum ſcandalo, ſolus taedio, ſolus cruci, ſolus periculo: ita vt propriae gulae, et ventri, et oculo ſcandalizanti, frequenter iraſci oporteat. Quibus ergo moleſtiis angitur, cui etiamſi propria ceſſarint, nunquam tamen de alienis deſunt foris pugnae, intus timores? Periculi igitur magnitudo, officiique noſtri ratio, remiſſos, ac languidos non patitur Epiſcopos. Verum, vt aliqua ſingillatim adnotemus, quae in vſum reuocari plurimum intereſt Eccleſiae.

1. Domini Epiſcopi, vt primo quoque tempore *Confirmationis et Conſecrationis beneficium* obtineant, laborare debebunt, memores Decreti Sacro-Sancti Concilii Tridentini Seſſ. 23. c. 2.

2. Saluberrimus *vſus Synodorum Prouincialium, ac Dioeceſanarum* in vſum eſt reuocandus. In Dioeceſana vero Synodo cum alia, quae apta videbuntur, ordinari poterunt; tum diſpiciendum, an ea, quae in

hac

hac Synodo ſtatuta ſunt, in vſum deducta ſint, ac diligenter obſeruata.

3. Non poſtremum in recte adminiſtranda Eccleſia locum obtinet, *Viſitatio Eccleſiarum, et Parochorum*, quas annis ſingulis inſtitui debere, vel per ſe ab Epiſcopis, vel ſi legitime impediantur, per alios, ſacri canones decreuerunt, ac iura Inclyti regni Hungariae vſu roborata praeſcribunt. Idque ea modeſtia fieri iubent canones, vt ſine vlla auaritiae ſpecie, ac munerum acceptione, peragatur: hoc ſolum ſpectando, vt ſana, ac orthodoxa fides retineatur: decenter ac fructuoſe Sacramenta adminiſtrentur: bona ac prouentus Parochiarum conſeruentur. Archi-Diaconos ergo, poenis eccleſiaſticis cogant Epiſcopi, vt Parochias, quae ad ipſorum inſpectionem ſpectant, conſignatas habeant, ac annis ſingulis viſitent, et viſitationem in ſcripto offerant Epiſcopo.

4. Reuerendiſſimi *Epiſcopi, vt ſuo muneri ſatisfaciant*, duo illa a Concilio Tridentino ſibi praeſcripta diligentiſſime obſeruare nitantur.

Primo: Vt (quod proprium eſt Epiſcoporum) teneantur per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad praedicandum Euangelium, ac oues ſibi commiſſas pabulo coeleſti paſcendas. Itaque nullo modo committant,

tant, quin ſaepius in anno per ſe ipſos ad populum verba faciant. Vae enim illis, ſi non euangelizauerint. Dominos quoque Canonicos, praeſertim feſtiuis diebus ad vicinos pagos Epiſcopus emittat, cum neceſſitas exigit. Imo ad Parochias quoque regendas, ſine iactura prouentuum capitularium, conſuetudinibus, ac priuilegiis obſtantibus, cum ita expedire videbitur, deſtinabit. Et qui detrectarent haec miniſteria, puniantur. Haec tamen fieri debebunt, ſine intermiſſione Diuini Officii in Eccleſiis Cathedralibus. Et prouentus Parochiae, pro rata laboris parte percipiat is Canonicus, qui onera Parochiae obibit.

Secundo: Aurea illa eiusdem Concilii verba, non ſolum in oculis, ac corde circumferant Epiſcopi, verum etiam moribus exprimere nitantur, quae ſic habent. Dubitandum non eſt, fideles ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, ſi praepoſitos ſuos viderint, non ea, quae mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac coeleſtem patriam cogitantes. Haec cum ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam praecipua eſſe ſancta Synodus aduertat: admonet Epiſcopos, vt ſecum ea ſaepius meditantes, factis etiam ipſis, ac vitae actionibus, quod eſt veluti perpetuum praedicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant.

In

In primis vero mores ſuos ita componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiae, ac quae nos tantopere commendat Deo ſanctae humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter non ſolum iubet: vt Epiſcopi modeſta ſuppellectili, et menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eius domo, caueant, ne quid adpareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum: quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemtum praeſeferat. Omnino vero iis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiae, conſanguineos, familiaresque ſuos augere ſtudeant.

5. *Epiſcopi*, niſi legitime impediantur, *crebro, ad diligenter Sacrorum celebrationi ſtudeant.* Diebus certe feſtiuis, nec ipſi, nec Canonici intermittere debent, quin pro ſe ac populo, incruentum Deo Sacrificium offerant: Canonibus item ſacris, et ipſe interſit Epiſcopus, et Canonicos intereſſe iubeat. Nec ſolum horas canonicas, quas ſub peccato mortali, ac obligatione inſuper reſtitutionis fructuum perceptorum, quotidie tenentur perſoluere, deuote, ac attente recitent: verum etiam perenni orationis ſtudio, adſiduaque diuinarum rerum meditatione, animum a terrenis auocent, ac coeleſtibus iam nunc adſuefaciant deliciis: ſine quibus con-

contemni haec, quae videntur caduca, ac fluxa, haud poſſunt.

6. *Familiam probatam habeant Epiſcopi*: Numerus quoque eorum is ſit, qui neceſſitati ſeruiat, ne ea, quae pauperibus largienda eſſent, inutiliter abſumant. Habeat Epiſcopus certos deſtinatos anni ſolemniores, quibus famuli, quos Catholicos habuerit, ab ipſo Epiſcopo ſacram Synaxim percipiant.

7. Quia fit nonnunquam, vt ex merito plebis, Epiſcopi quoque deprauentur: diligenter attendant Epiſcopi, vt *gliſcentium in plebe flagitiorum ſemina, in herba opprimantur*, ne ſi inualeſcant, remedium omne reſpuant, ac fiant incurabilia. Itaque ſuperſtitioſas curationes vetularum, blaſphemias, ebrietates, et qui paſſim inualeſcere coeperunt, vſurarios contractus, grauiſſime pro concione inſectentur, ac ſi opus ſit, poenis eccleſiaſticis, et temporalibus, delinquentes puniant.

8. *Pleraque templa in bonis Praelatorum*, ſuperioribus bellis *deſolata*, etiamnum deſerta manent: quamobrem curandum eſt, vt hac in parte viris ſecularibus exemplo praeluceant, ac ſubditos ad reſtaurationem templorum omnino cogant: ac ipſi quoque opem aliquam conferant, quo facilius DEI cultus reſtitui in iis locis poſſit.

9. Quamuis ſumma ſemper fuerit *Eccleſiae Catholicae in rebus fidei conſtantia, ac firmitas*, atque vno ore omnes, locorum ſpatiis, ac templorum interuallis ſeiuncti fideles, idem ſenſerint, ac docuerint: in iis tamen, quae ad ritus externos ſpectant pro locorum ac temporum varietate, quaedam vel adſtricta validius, vel nonnihil remiſſa ſunt ab Eccleſia, prout fidelium vtilitas exigere videbatur. Quocirca cum in hac ſeneſcentis mundi aetate, charitas quoque multorum frigeſcat: quemadmodum ipſi quoque Apoſtoli, vt ouibus conſulerent, aliquando ſanguinem, ac ſuffocata prohibuerunt: poſt modum vero eorundem vſum permiſerunt: ita ſupplicandum videtur ſummo Pontifici, vt quod vicinis prouinciis conceſſum ſcimus, Hungariae quoque et regnis, ac prouinciis illi adnexis indulgere velit: ac lacticiniorum, ouorumque vſum diebus ieiunii licitum eſſe iubeat. Cum enim in ipſis Hungariae limitibus, hanc nonnulli libertatem lacticiniis veſcendi conſpiciant: ſibi quoque eandem vltro adſumunt libertatem. Non aduertentes, inobedientiae vitio irretiri eos, qui Eccleſiae praecepta, et conſuetudines transgrediuntur. Parochi vero et concionatores diligenter populo explicabunt *leges ieiunii*: quae id exigunt, vt vnica cibi refectione, eaque

non ante, quam circa meridiem ſumta, contenti ſint. Hanc igitur legem Eccleſiae, ipſi inprimis Sacerdotes diligenter obſeruent. Deinde populo quoque intiment; nec niſi in caſibus a iure permiſſis, diſpenſatio admittatur.

TITVLVS XXIV.

De Maioritate, et obedientia.

I. EX SYNODO Strig. celebrata ſub MARIA I. Hungariae Regina, et Demetrio A. E. Strigon. Strigonii An. 1382. ap. PETERF. P. I. Edit. Vien. f. 173. Poſon. f. 180.

Bulla VRBANI P. qua adiecta reprehenſione Valentinum Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum ad Concilium Prouinciale compulit.

Vrbanus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto Filio Praepoſito Eccleſiae Bacſienſis, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Nuper pro parte dilecti filii noſtri Demetrii, Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteri Cardinalis, Adminiſtratoris Eccleſiae Strigonienſis in ſpiritualibus, et temporalibus per ſedem Apoſtolicam deputati, fuit nobis expoſitum: quod licet

tam

tam in fundatione omnium Ecclesiarum, etiam Collegiatarum, et Regularium in Regno Hungariae, per Reges eiusdem Regni, qui fuerunt pro tempore, fundatarum, statutum fuerit, et etiam ordinatum, quam etiam antiqua, et adprobata, et hactenus pacifice obseruata consuetudine sit obtentum, quod Ecclesiae istae omnimodae iurisdictioni Archi-Episcopi Strigoniensis, existentis pro tempore, subesse, ac institutio, ac destitutio personarum, in Ecclesiis ipsis pro tempore degentium, ad ipsum Archi-Episcopum pertinere deberent, ac personae ipsae, ad Synodum eiusdem Archi-Episcopi conuenire, et in procurationibus, et subsidiis legatorum dictae sedis, aliisque incumbentibus oneribus, cum Clero ciuitatis, et Dioecesis Strigoniensis contribuere tenerentur, praemissoque in dicto Regno, tanto tempore obseruata sint: cuius contrarii memoria non existit; ac in ciuitate, et Dioecesi Quinque-Ecclesiensi sint nonnullae Ecclesiae huiusmodi, per Reges dicti Regni, existentes pro tempore, vt praefertur, fundatae; tamen Venerabilis Frater noster Valentinus Episcopus Quinque-Ecclesiensis, praetextu eiusdem subreptitii priuilegii a sede Apostolica, ut dicit, obtenti, quod idem Episcopus exhibere recusat, Clericos, et personas Ecclesiasticas Ecclesiarum

huiusmodi, in ſuis, Ciuitate et Dioeceſi ſupradictis conſiſtentium, ab huiusmodi ſubiectione, et contributione de facto, et cum inhibitione ſubtraxit, et adhuc ſubtrahere non veretur, in dicti Cardinalis, et praedictae Strigonienſis Eccleſiae detrimentum, et ſcandalum plurimorum. Quare pro parte iſtius Cardinalis fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt prouidere ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur.

Nos itaque huiusmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, quiqui fuerint euocandi, ſuper praemiſſis, prout conſuetum eſt fieri, auctoritate mandata Apoſtolica facias obſeruari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, adpellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Contradictores eadem auctoritate, adpellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Non obſtante, ſi praefato Epiſcopo, vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim a praefata ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut ad iudicium euocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam mentionem. Datum Romae apud S. Petrum 8. Iunii. Pontificatus noſtri anno quinto.

II.

II. VLADISLAI II. R. Decret. III. siue Minoris A. 1498. Art. 69. in Corp. I. H. Tom. I. f. 304.

Plebani per Episcopos non taxentur: nisi semel pro charitatiuo subsidio, ad redemptionem Bullarum Pontificialium.

Quoniam sunt nonnulli Ecclesiarum Praelati, qui iam ex quadam praua abusione Plebanos Ecclesiarum per impositiones taxarum, pro suo libitu, plurimum opprimere consueuerunt.

§. I. Illi vero Plebani sub hoc onere gementes, interdum calices, et cetera bona Ecclesiarum diripere, cum illisque se ab huiusmodi taxis redimere; interdum vero egestate coacti, Ecclesias eorum deserere, et alio aufugere coguntur: Propter quod, ipsi Domini Praelati, crebro ac Parochianos illorum, interdictum Ecclesiasticum imponere; sicque illos aggrauare non verentur.

§. 2. Quare statutum est: quod ipsi Praelati Ecclesiarum, nunquam de cetero (nisi semel pro redemptione Bullarum suarum, et hoc quidem cum moderatione debita) a Plebanis Ecclesiarum, suarum Dioecesium, charitatiuum potius, quam coarctatiuum subsidium petere, et exigere, vel eos quouis modo ad eorum libitum taxare, neque etiam propter ipsos Plebanos, Parochianos

chianos eorundem per interdicta Ecclesiastica turbare, seu molestare debeant.

§. 3. Plebani Ecclesiarum taliter se gerant in eorum Ecclesiis; quod bona Ecclesiarum per eos non dissipentur.

III. VLADISLAI II. Decret. IV. A. 1500. Art. 33. in Corp. I. H. Tom. I. f. 313.

Cathedratica ab Ecclesiis penitus desolatis non exigantur: Et quarum prouentus diminuti sunt; etiam Cathedratica diminuantur.

Cathedratica in possessionibus, et Ecclesiis penitus, et per omnia desolatis, non exigantur.

§. 1. In illis autem possessionibus, et Ecclesiis, quae aut ignis voragine combustae, aut pestilentiae morbo percussae, adeo desolatae dignoscuntur, vt vix aliqui colonorum easdem inhabitarent; qui etiam Plebanum Parochialem, vix, aut nunquam habere possunt, solutio huiusmodi Cathedraticorum, per homines Dominorum Praelatorum, et Virorum Ecclesiasticorum, quorum de ipso Cathedratico interest prouidere; per Vice-Comites, et Iudices Nobilium illorum Comitatuum, vbi ipsae possessiones, et Ecclesiae existunt, deputatos iuste, recteque moderentur.

§. 2. Ita videlicet, vt vbi possessio et Ecclesia in prouentu multum decreuit, iuxta

con-

conſcientioſam limitationem eorundem, decreſcat etiam ſolutio Cathedraticorum.

§. 3. Sic tamen, vt poſtquam poſſeſſiones, et Eccleſiae tales reſtauratae fuerint, Cathedratica conſueta ſoluere teneantur.

IV. Ferd. I. Decret. XII. A. 1550. Art. 16. in Corp. I. H. Tom. I. f. 431.

Saeculares non ſe opponant, ſed pareant Epiſcopis.

Praeterea, cum nulla ratione poſſent Epiſcopi munus rite exercere, niſi patienter audiantur ab iis, ad quos docendos miſſi ſunt, tum ipſi, tum ipſorum ad id electi Miniſtri: Ac niſi Plebs ſubdita pareat eorum doctrinae, praeceptisque, et deſinant hi, qui plus ceteris videantur poſſe, moliri aliquid contra ipſorum pios conatus: Neque ſolum concionatores ad docendum miſſos libere admittant, verum etiam teneantur pro viribus defendere.

§. 1. Videtur idcirco is modus adhibendus eſſe; vt ſaeculares omnes, ſine vlla controuerſia, aut diſputatione, contentioneque, obedientes (vt par eſt) ſeſe praebeant eorum Epiſcopis, et ad id per eos delectis Miniſtris, in his videlicet; quae ad Deum, eiuſque cultum ſpectant, neque contra eo-

rum doctrinam quouis modo, aut quauis ratione ſeſe audeant efferre: ſed ſi quid deliberatione egere, aut in diſputationem vocari poſſe, ipſis vel eorum forte alicui videretur, relinquat id totum Generali Concilio dirimendum.

§. 2. In quo, ſi quae in fide, et religione reformanda eſſe videbuntur, Diuina inſpiratione informatum iri ſperandum eſt.

§. 3. Interim autem, veteribus Sanctae Eccleſiae Catholicae inſtitutis inſiſtendum, nec cuiquam, quouis praetextu, ab illis quoque modo videtur eſſe diſcedendum.

V. EIVSD. Decret. ibid. eod. f. Art. 18.

Epiſcopatus, et aliae Praelaturae bene meritis conferantur.

Supplicant etiam in eo vehementer, vt Praelaturas, et alia *eccleſiaſtica beneficia*, tam *maiora*, quam *minora*, quae vbiuis nunc in regno vacant, et nedum cuiquam a ſua Maieſtate collata ſunt, praecipue autem *Archi-Epiſcopatum Strigonienſem*, qui iam inde fere ab ipſis Chriſtianae religionis primordiis, *caput* (ſecundum Regiam Maieſtatem) *in Regno omnium Eccleſiarum fuit*, ex quo religionis, cultusque diuini in toto regno vel tuendi, vel augendi praecipua ſemper ratio dependet, *perſonis bene meritis*, et Maieſtati

ſuae

ſuae gratis, *minimeque externis* conferre dignetur: Vti ſane Maieſtas ſua, quamprimum fieri queat, ſe facturam clementer obtulit.

§. 1. Vt ſic vbique facilius diuinus cultus inſtaurari poſſit, neque vlla regni pars careat cura animarum, Sacramentorumque adminiſtratione, quantum his turbulentis temporibus licet.

VI. FERD. I. Decret. XX. A. 1563. §. 16. in Corp. I. H. Tom. I. f. 496.

Epiſcopus in beneficiis exemtis habeat quidem curam diſpenſationis bonorum, et prouentuum; iurisdictio tamen ipſa penes Metropolitanum maneat.

§. 16. Ceterum ad tollendum dubium de beneficiis a iurisdictione Epiſcopi alicuius Dioeceſani exemptis, et ad Eccleſiam Metropolitanam Strigonienſem pertinentibus, ita decreuimus; vt curam quidem diſpenſationis bonorum, et prouentuum temporalium, Epiſcopus ipſe Dioeceſanus, modo et ordine declarato, habeat: iurisdictio tamen ipſa, et ſuperioritas (ſecundum iura, priuilegia, et antiquam conſuetudinem ipſius Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis) penes Metropolitanum ipſum integra ſemper, et illaeſa maneat.

VII. EX SYNODO Prou. ſub MATHIA II. H. R. A. 1611. Tyrnauiae celebratae Cap. I. Decret. XIV. ap. PETERF. P. II. f. 207.

Nulli clerici, Epiſcopi iurisdictioni ſubiecti, exemti ſunt.

Denique, vt ſummatim multa complectamur, Reuerendiſſimi Epiſcopi intelligant, eam ſibi ab Oecumenico Concilio Tridentino datam eſſe poteſtatem: *vt nulli Clerici, ſuae iurisdictioni ſubiecti* praetextu vllius priuilegii, *exempti ſint*, quo minus eorum exceſſus, a Praelato, tanquam ad hoc Apoſtolicae ſedis Legato, corrigantur. Quin etiam *Regulares* extra monaſteria degentes pari ratione corrigant. Et ſi eorum ſuperiores admoniti viſitare, ac reformare Monaſteria ſubiecta neglexerint: Epiſcopi vt ſedis Apoſtolicae delegati id facere poſſunt.

Monialium Clauſuram iuxta Decreta Concilii Tridentini Seſſ. 25. cap. 5. Ordinarii non negligant, ac ea, quae de crebro vſu Sacramentorum, deque Confeſſariis adſignandis praeſcribit eadem ſacra Synodus, obſeruabunt.

VIII.

VIII. Ex Appendice III. ad SYNOD. Dioeceſ. habitam ſub FERD. II. Caeſare H. R. et Petro Pazmany A. E. Strig. Tyrnauiae 4. Oct. A. 1629. Num. II. ap. PETERF. P. II. f. 287.

Priuilegia Archi-Epiſcopi Strigonienſis legibus Vngariae expreſſa.

Priuilegia, quae generatim Eccleſiaſtico ſtatui, vtpote digniori, legibus patriae tributa ſunt, longum eſſet recenſere.

Archi-Epiſcopo Strigonienſi haec nominatim data.

1. Archi-Epiſcopus Strigonienſis, eſt Comes perpetuus Strigonienſis: *In fine Articulorum Ludouici I. An.* 1351. *Et in fine confirmationis Decretorum Andreae II. Regis, per Mariam Reginam* 1384.

2. Ex antiquis Priuilegiis Eccleſiae Strigonienſis, Archi-Epiſcopus eſt Primas Vngariae, Summus et Secretarius, Cancellarius Regius, Perſonalis Praeſentiae Regiae Maieſtatis, et † vnus ex Iudicibus Regni Ordinariis: *Art.* 15. *anno* 1536. circa quae

Sciendum: quod cum Archi-Epiſcopus, negotiorum mole preſſus iudiciis adſidue intereſſe non potuerit, prout Perſonalis Regiae Maieſtatis praeſentia intereſſe tenebatur: primo ſubſtituti ſunt locumtenentes, vt plurimum ſpirituales perſonae; quemadmodum habetur *decreto* 6. *Matthiae art.* 18. *De-*

creto

creto I. Vladislai, art. 37. Et in conclusione *Decreti* 5. *Vladislai*, legimus Episcopum Sirmiensem fuisse Locumtenentem Personalis Praesentiae. Postea, vt in causis criminalibus, et capitalibus sententiis proferendis, maior esset libertas, statutum est, vt saecularis persona eo officio fungeretur; *Decreto* 6. *Vladislai; art.* 4. *et Decreto* 7. *art.* 55. quod et hodie fit: vocaturque Personalis Praesentiae in iudiciis Locumtenens.

Sed et hoc non ignorandum, praeter sigillum Annulare, habuere Reges Vngariae quatuor sigilla: Bullam auream, et sigillum duplex Archi-Episcopus adseruat: sigillum iudiciale, Personalis Praesentiae Locumtenens, qui sigillum secretum in aula Regia habet, in veteribus priuilegiis, et articulorum clausulis Vice-Cancellarius nominatur, vel Aulae Cancellarius. Sub sigillo duplici expediebantur insignia nobilitatis, immunitates, et donationes bonorum, quae statutione peracta, et nullo contradictore adparente possidebantur. Vnde in omnibus donationibus, sub sigillo secreto emanatis, haec clausula addi solet: *Quas nos in formam priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae.* Huiusmodi enim literae, sub duplici sigillo expeditae, vocantur priuilegia. Ceterum diuturna vocatio Archi-Episcopatus effecit, vt minoris sigilli vsus

inua-

inualuerit. Praeterea Nicolaus Iſtvánſi, qui Secretarius fuerat Archi-Epiſcopi Olahi, narrare ſolebat: quoties Archi-Epiſcopus Strigonienſis ad aulam Regiam ibat, actutum ſigillum quoque ſecretum a Vice-Cancellario ad ipſum deferebatur honoris cauſa.

3. Illud quoque legibus Vngariae expreſſum eſt, vt duo homines Archi-Epiſcopi Strigonienſis, iudicio Tabulae Regiae interſint An. 1557. art. 13. An. 1566. art. 26.

Praeterea: vt Archi-Epiſcopus nunquam teneatur Perſonale iuramentum in iudicio deponere, ſed per officiales iuret: An 1550. art. 64.

Ad haec: illud quoque inter leges Hungariae habetur, vt Archi-Epiſcopus etiam in beneficiis in aliena Dioeceſi exiſtentibus, iurisdictionem ſecundum priuilegia ſua exerceat: *in fine edicti Ferdinandi I.* An. 1590. Denique legibus ſancitum eſt, ne Rex noſter patiatur vacare Archi-Epiſcopatum Strigonienſem: *An.* 1550. *art.* 18.

4. Decretum et illud eſt, vt Archi-Epiſcopus Piſetarium habeat Cremnicii. *An.* 1522. *art.* 19. *An.* 1553. *art.* 23. *An.* 1557. *art.* 15. An. 1562. *art.* 73.

Deinde vt ex Dicis, Piſetum itidem accipiat a ſingulis Marcis: *Caroli I. Decreto, ad finem.*

5. Ne

5. Ne ſubditi Archi-Epiſcopi Telonia ſoluant: *An.* 1557. *art.* 16. *An.* 1563. *art.* 59. ſancitum.

6. Nobiles Archi-Epiſcopales perinde, ac Nobiles alii a Tricesimarum, et Teloniorum ſolutione liberi pronunciantur: *An.* 1563. *art.* 59.

IX. Eiusdem Adpend. Num. III. §. 1. ap. eund. PETERF. P. II. f. 288.

Priuilegia circa iurisdictionem.

In Archiuo Archi-Epiſcopali adſeruatur Bulla Pontificis Bonifacii Noni, ſigillo plumbeo pendenti munita: quae ad verbum ſic habet:

Bonifacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis ex iniuncto nobis Apoſtolicae ſeruitutis officio adſiſtere defenſionis praeſidio teneamur: ad illorum tamen Iurium, et Priuilegiorum conſeruationem praeſtantius intendere nos conuenit, qui in partem ſollicitudinis adſumti, potioris ſunt dignitatis Titulo inſigniti. Dudum ſiquidem ad noſtram notitiam deducto, quod de antiqua, et adprobata, et hactenus pacifice obſeruata conſuetudine, Pechuaradienſe, et Sexardienſe, ac de Bata, et de

Föl-

Föld-var, nec non de Kolos-Monoſtra, ac Sanċti Andreae de iuxta Viſegrad, et Sanċti Gerardi de Chanadino, et Tihanienſe, ac Simigienſe, nec non Szaladienſe, et Sanċti Iob, ac de Beel; nec non de Sambok, et de Chut, et Sanċtae Crucis de Leleſz ac de Iaſzo, et Sanċti Stephani de Promontorio Varadienſi: Sanċti Benedicti, et Praemonſtratenſis Ordinum Monaſteria, nec non Demeſienſis, et Titulienſis, ac Orodienſis, et Veteris Budenſis, ac Cibinienſis, Collegiatarum Eccleſiarum Praepoſiturae: nec non ſanċtae Mariae Virginis, et ſanċtae Mariae Magdalenae de Caſtro, et ſanċti Petri Martyris, nec non ſanċti Gerardi, de ſuburbio oppidi Budenſis, alias Noui Montis Peſtienſis, et Peſtienſis, ac Vacienſis, et de Keſzü, ac de Eürs prope Budam, et de Saſad, ac Alba Eccleſia ſanċtae Mariae prope Veterem Budam, ac de Komaron, et de Viſſegrad, ac de Nagy Patak, et de A-pacza-Somlyo, nec non de Papa, ac de Levöld, et de Segesdino, ac de Ui-hely, et Lampert-haza, ac de Szölös, et de A-ranyas, ac de Bereg, et de Nemeti, Parochiales Eccleſiae, ac Cibinienſis praedictae, et Braſſouienſis Eccleſiarum Decanatus, † Quinque-Eccleſienſis, Veſprimenſis, Varadinenſis, Tranſyluanienſis, Colocenſis, Chanadienſis, et Iaurienſis, Dioeceſium;

cum

cum certis Parochialibus Ecclefiis, et Plebaniis, ac Decanatibus, quorum nomina praefentibus haberi volumus pro expreffis, in dicta Tranfyluanienfi, olim Albenfi Dioecefi alias vbilibet confiftentibus, praedictis Decanatibus immediate fubiectis fub omnimoda Iurisdictione in fpiritualibus Archi-Epifcopi Strigonienfis pro tempore exiftentis pleno iure fore dignofcebantur: et quod Praelati, ac Perfonae Monafteriorum, Praepofiturarum, Decanatuum, et Ecclefiarum, praedictorum nullum alium, praeter Archi-Epifcopum in eorum fuperiorem habere, et recognofcere; et eidem Archi-Epifcopo, tanquam immediato fuperiori et nulli alteri obedientiam, et reuerentiam debitas exhibere; ac ad Synodum eiusdem Archi Epifcopi, quoties illa per ipfum Archi-Epifcopum celebrari contingeret, accedere; et pro procurationibus Legatorum, ac prouifionibus Nunciorum fedis Apoftolicae, perfoluendas, ac aliis oneribus fupportandis, contributionem debitam facere confueuerant: et quod tam Venerabilis Frater nofter Ioannes, quam praedeceffores fui, Archi-Epifcopi Strigonienfes, qui fuerunt pro tempore, in pacifica poffeffione, vel quafi iuris exercendi fuperioritatem, et iurisdictionem huiufmodi, in Monafteria, Praepofituras, Decanatus, et Ecclefias,

prae-

praedicta eorumque perſonas, et loca, a tanto tempore fuerant, cuius contrarii memoria non extabat. Nos conſuetudinem eandem, ſicut abolim laudabiliter introductam, et extunc pacifice obſeruatam conſiſtebat, et quaecunque inde ſecuta, rata habentes, et grata, ea auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia per alias noſtras literas confirmauimus, et ipſarum literarum noſtrarum ſcripti patrocinio communiuimus: ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan interueniſſent in eiſdem; prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ab aliquibus adſeratur, Nos, aut aliquem praedeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ad alicuius, ſeu aliquorum inſtantiam, vel preces importunas, aliqua ex Monaſteriis, Praepoſituris, Decanatibus, et Eccleſiis, Praelatis, ſeu perſonis huiuſmodi a iurisdictione et poteſtate Archi-Epiſcopi Strigonienſis pro tempore exiſtentis, huiuſmodi exemiſſe, et etiam liberaſſe, vel in poſterum eximere, et etiam liberare; et contra praemiſſa, vel aliquod ipſorum, aliquas literas Apoſtolicas conceſſiſſe, ac etiam emanaſſe, ſeu delegaſſe: nos eidem Ioanni, et ſucceſſoribus ſuis Archi-Epiſcopis huiuſmodi ſuper his prouidere volentes: motu proprio, non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatae petitionis inſtan-

tiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ex certa ſcientia, omnes, et ſingulas huiusmodi exemtiones Monaſteriorum, Praepoſiturarum, Decanatuum, Eccleſiarum, Praelatorum, et perſonarum praedictarum; ac conceſſiones quascunque; ſi quae a nobis, ſiue praedeceſſoribus noſtris huiuſmodi, aut de mandato noſtro, vel praedeceſſorum noſtrorum, in genere, vel in ſpecie, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiam proprio noſtro motu forſan emanauerint, vel etiam emanari contingeret, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus in praeſentibus, ſpecialis, et expreſſa mentio foret habenda; ac etiam literas quascunque, ſi quae ſuper ipſis exemptionibus, et conceſſionibus, ac delegationibus confectae adpareant, vel in poſterum adparere contingat, motu ſimili, tenore praeſentium reuocamus, caſſamus, et irritamus, ac nullius eſſe volumus roboris, vel momenti, perinde, ac ſi exemptionum, et liberationum, ac delegationum literae huiuſmodi a nobis minime emanaſſent. Et inſuper, vt Praelati, et perſonae huiuſmodi in praemiſſis ſe erga dictum Ioannem Archi-Epiſcopum, et ſucceſſores ſuos huiuſmodi, eo fidelius, et deuotius gerere, ipſique Ioannes Archi-Epiſcopus, et ſucceſſores huiuſmodi, iurisdictionem eo quietius exercere poſſint, quo

maiori

maiori fuerint libertate muniti: Praelatos, personas, Monasteria, Praeposituras, Decanatus, et Ecclesias antedictas cum omnibus bonis spiritualibus, et temporalibus, quae in praesentiarum obtinent, et in futurum dante Domino iustis modis poterunt adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, subiectione, et visitatione Archi-Episcoporum, et aliorum ordinariorum Iudicum quorumcunque, praeterquam dicti Ioannis Archi-Episcopi, et successorum suorum Archi-Episcoporum Strigoniensium pro tempore existentium, auctoritate Apostolica, tenore praesentium motu simili totaliter de nouo eximimus, et perpetuo liberamus, ac sub eorundem Ioannis Archi-Episcopi, et successorum protectione suscipimus, ac exemptos, immunes, atque liberos, ipsique Ioanni Archi-Episcopo, et successoribus suis huiusmodi, et nulli alteri volumus immediate subiacere: ita quod Archi-Episcopi, Episcopi, vel Iudices supradicti, aut alia quaeuis persona ecclesiastica vel mundana quacunque praefulgeat dignitate, praeter Ioannem, et successores suos Archi-Episcopos huiusmodi, in eos, et bona praedicta, vtpote prorsus exempta, non possint excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias promulgare, aut alias etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei,

de qua ageretur in iudicio, vel extra, vbicunque committatur delictum, vel ineatur contractus, aut res ipsa consistat, iurisdictionem seu potestatem aliquam exercere; decernentes omnes, et singulos processus, ad excommunicationum, suspensionum, et interdicti sententias, quos, et quas, etiam forsan praetextu exemptionum supradictarum, vel alias contra huiusmodi nostrae reuocationis, et exemptionis tenorem promulgari contigerit, vel fuerint promulgati, seu promulgatae, irritos, et inanes, ac etiam ex nunc irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reuocationis, cassationis, irritationis, voluntatis, exemptionis, liberationis, susceptionis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum, Kalendis Maii. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

P. de Zambecariis.

X.

X. Eiuſd. Append. et Num. III. ap. eund. Peterf. P. II. f. 290.

PIVS II. Anno 1464. confirmauit literas BONIFACII Noni additis nonnullis ſcitu perquam neceſſariis.

Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In ſupremae dignitatis ſpecula licet immeriti, diſponente Domino conſtituti, etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis ex iniuncto nobis Apoſtolicae ſeruitutis officio, defenſionis praeſidio adſiſtere teneamur: ad illorum tamen, qui in partem ſollicitudinis adſumti, potioris dignitatis titulo ſunt inſigniti, iurium, et conſuetudinum adprobatarum, priuilegiorum conſeruationem, praeſtantius intendere, eorumque honori, et commodo opportune prouidere nos conuenit, quo ipſi facilius multorum odia incurrunt, et grauiores patiuntur inſidias; cum Paſtorale officium exercendo, nequeuntes omnibus complacere, poſiti ſunt tamquam ſignum ad ſagittam. Nuper ſiquidem dilectus filius noſter, Dionyſius, Sancti Cyriaci in Thermis S. R. E. Presbyter Cardinalis, qui ex diſpenſatione Apoſtolica Strigonienſi Eccleſiae praeeſſe dignoſcitur, nobis inſinuare curauit; quod de antiqua, et adprobata, hactenusque obſeruata, conſuetudine Péch-Varadinenſe,

de Batha, Sexardienſe, de Föld-var, Madacha; Szebegen, et Búlch, Somogyvar, de Kolos-Monoſtra, Sancti Iob, Sancti Gérardi in Chanadino, Simigienſe, Szaladienſe, Tihanienſe, de Beel in Bakon, et Sancti Andreae iuxta Viſſegradum; nec non de Chút, de Sambok, Hatvan, Sancti Michaelis de Inſula Leporum, de Iászo, S. Crucis de Lelesz, et Sancti Stephani in Promontorio Varadinenſi, ac Sancti Antonii de Darocz, in ſcepus, Sancti Benedicti, et Praemonſtratenſis Ordinum Monaſteria, et domus. Item Demeſienſis, Poſonienſis, Veteris Budenſis, Sanctae Trinitatis de ſuperioribus Calidis Aquis, Orodienſis, Titulienſis, ſeu de Erdöd, ac Scepuſienſis, Cibinienſis, Collegiatarum Eccleſiarum Praepoſiturae: nec non Beatae Mariae Virginis, Sanctae Mariae Magdalenae in oppido Budenſi, alias in Nouo Monte Peſtienſi; Sancti Petri, et Sancti Gerardi Martyrum, in ſuburbiis eiuſdem, ac Beatae Mariae Virginis Peſtini, nec non de Sáſad, de Eürs, et de Keſzii prope Budam, et Alba Eccleſia ſanctae Mariae Virginis iuxta Veterem Budam, Sancti Iacobi, ac de Viſſegrad, Sancti Martini de Maruſio, de Zob, de Aalemba, de Nagy-Patak, de Ui-hely, Lampert háza, Bereg, Szöllös, de Noua villa, Tamás-Várallya, Aranyas, Galambok, Szat-

Szatmár-Németi, de Segesdino, de Komaron, in Szala, de Apácza-Somlyo, de Pápa, et de Leveld, Eürs, Tardos, Hereg, Boros-Ienö, Parochiales Ecclesiae: ac Cibiniensis, et Brassouiensis Ecclesiarum Decanatus, Colocensis, Quinque-Ecclesiensis, Vesprimiensis, Jauriensis, Vaciensis, Agriensis, Varadinensis, Transyluaniensis, Chanadiensis, et Nitriensis Dioecesium, cum aliis Parochialibus Ecclesiis, et Plebaniis, et Decanatibus, quorum nomina praesentibus habere volumus pro expressis in dicta Transyluaniensi, olim Argensi et Milkoniensi Dioecesibus, et alias vbilibet consistentibus, praedictis Decanatibus immediate subiectis, quae sub omnimoda iurisdictione in spiritualibus, Archi-Episcopi Strigoniensis, pro tempore existentis, de simili consuetudine, pleno iure fore dignoscuntur, simul cum Ecclesiis eisdem subiectis: et quod illarum Praelati, et Personae Monasteriorum, Praepositurarum, Decanatuum, et Ecclesiarum Praedictarum, nullum alium praeter dictum Archi-Episcopum (Romano Pontifice saluo) in eorum superiorem recognoscere, et habere, ac eidem Archi-Episcopo, tamquam eorum immediato superiori, et nulli alteri, obedientiam, et reuerentiam debitas exhibere; ac Synodum eiusdem Archi-Episcopi, quo-

ties illam per ipſum Archi-Epiſcopum celebrare, aut celebrari facere contingeret, accedere; et procurationibus legatorum, ac prouiſionibus Nunciorum ſedis Apoſtolicae perſoluendis, ac aliis oneribus ſupportandis, contributionem facere conſueuerunt: et quod tam praefatus Dionyſius, quam praedeceſſores ſui Archi-Epiſcopi Strigonienſes, qui fuerunt pro tempore, in pacifica poſſeſſione, vel quaſi iuris exercendi ſuperioritatem et iurisdictionem huiuſmodi in praedicta Monaſteria, Praepoſituras, Decanatus, Eccleſias Parochiales, eorumque perſonas, et loca a tanto tempore fuerunt, prout praefatus Dionyſius etiam actu exiſtit, cuius contrarii memoria hominum non exiſtit. Quam quidem conſuetudinem, olim felicis recordationis Bonifacius Papa Nonus, praedeceſſor noſter, motu proprio, et ex certa ſcientia per ſuas certi tenoris literas confirmaſſe dicitur, et etiam adprobaſſe. Quare pro parte dicti Dionyſii Cardinalis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt praedictam et quascunque alias laudabiles conſuetudines, et auctoritates, et iurisdictiones, nec non omnia, et ſingula priuilegia, conceſſiones, literas, et indulta, tam per Romanos Pontifices, quam Imperatores, et Reges, Eccleſiae Strigonienſi, ſub quacunque verborum forma conceſſa, in quorum pacifico vſu,

vſu, et poſſeſſione dictus Cardinalis, aut Eccleſia ſua Strigonienſis exiſtit, confirmare, et adprobare, aliasque ſuper hoc opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pacem, et quietem ſingulorum Chriſti fidelium continue procurantes, et cuiuslibet iura illaeſa, quantum cum Deo poſſumus, praeſeruare nitentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati praenarratam, et quaſcunque alias laudabiles conſuetudines, et auctoritates, ac iurisdictiones, priuilegia, conceſſiones, literas, et indulta, in quorum pacifico vſu, et poſſeſſione, vel quaſi, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus praedictus Cardinalis, aut Eccleſia ſua Strigonienſis eſſe dignoſcitur, auctoritate Apoſtolica, tenore praeſentium ex certa ſcientia ratificamus, confirmamus, et adprobamus, ac praeſentis ſcripti patrocinio communimus, ac perpetuam roboris firmitatem obtinere decernimus, et illa de nouo, ex ſimili ſcientia concedimus, decernentes ex nunc, omnes, et ſingulos proceſſus, contra conſuetudines, priuilegia, conceſſiones, indulta, et literas huiuſmodi habitas, et promulgatas, aut habendas, et promulgandas, ac literas Apoſtolicas, per nos forſan, vel praedeceſſores noſtros, ſub quacunque verborum forma in contrarium conceſſas, etiamſi de illis, eorumque totis

tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet praeſentibus mentio ſpecialis, irritas, et inanes, nulliuſque roboris vel momenti. Non obſtantibus praemiſſis, ac ſuppreſſionibus de huiuſmodi dignitatibus, vel aliqua ipſarum, eadem auctoritate forſan factis ac conſtitutionibus, et ordinationibus Apoſtolicis, caeteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae ratificationis, confirmationis, adprobationis, communitionis, conſtitutionis, et conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum: Anno Incarnationis Dominicae, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto. Pridie idus Iunii. Pontificatus noſtri anno ſexto.

G. de Picolomini.

XI. Eiusd. Adpend. et Num. §. 2. f. 292.

Priuilegia circa dignitatem Archi - Epiſcopi Strigonienſis.

§. 1. Priuilegium fuit; quod ipſe, et non alius, poſſit, et debeat Reges Unga-

riae

riae coronare. Qua de re extat priuilegium originale inter Archi - Episcopales literas, *Capsula* k. n. 30. Similiter quando Regina coronanda est, Vnctionem, et reliqua omnia ex praescripto Pontificalis peragit Archi-Episcopus Strigoniensis; et Regiam Coronam (quae capitibus foeminarum non imponitur) humero Reginae adplicat. Eodem fere tempore, Reuerendissimus Episcopus Vesprimiensis accedens ad altare, imponit Reginae Coronam, quam ipsa sibi Regina procurauit. Ita factum Sopronii, in coronatione modernae Maiestatis Reginalis, et Posonii, dum Regis Mathiae secundi coniux coronaretur.

§. 2. Magnus semper honor est habitus a bonis omnibus Ordini Ecclesiastico: Quocirca legibus Vngariae declaratum est, Ecclesiasticas personas saecularibus digniores haberi. Sed et Sanctus Rex Stephanus, post Regium fastigium, ac Ecclesiam, tertium dignitatis locum obtinere iussit Episcopos; quartum vero, Principes, Barones, Comites, ac Nobiles. Vnde vsque in diem hodiernum in Literis Regiis, quibus Nobilitas conceditur, vel publicae Regni constitutiones roborantur, primo loco Episcopi collocantur. Neque vnquam derogare existimatum est saeculari dignitati, si sacerdotio honor haberetur. Vnde et in sacro

Ro-

Romano Imperio, Electores Ecclesiastici, quacunque domo oriundi sint, serenissimos Electores saeculares, tot potentissimorum Imperatorum sanguine progenitos, absque vlla dignitatis immunitione, praecedere solent. Et in vicina Polonia Archi-Episcopus Gnesnensis, Principes, ac Palatinos, sine competentia antecedit. Et, quod mirere, inter Sacramentarios Angliae (quos nostri Caluinistas vocant) Cantuariensis Archi-Episcopus, Duces, ac Principes omnes in senatu Regio, ac Parlamentis, consessu, ac suffragio antecedit. Audi Sarauiam Caluinistam Anglum, suis verbis loquentem, libro de diuersis Ministrorum gradibus cap. 24. *Archi-Episcopo Cantuariensi*, Proedria *ante omnes Principes, et magnos Regis Officiarios est adtributa; et Primus Par Regni dicitur.*

XII. MARIAE II. Reginae Decret. I. A. 1741. Art. 10. in Corp. I. H. Tom. II. f. 194.

De Primatiali, et Archi-Episcopali dignitate.

Securos reddidit perquam benigne Status, et Ordines Regni sua Maiestas Regia in eo quoque, quod videlicet *Primatiali* etiam, ac Archi-Episcopali dignitate, in legalem, et plenam auctoritatem, atque iurisdictionem reposita; eum in finem *du-*

plex

plex etiam *Sigillum ſuum Regium*, moderno Domino Primati, et Archi-Epiſcopo Strigonienſi conſignari, eumque in auitum, ac legalem eiusdem vſum reſtitui faciet.

§. 1. Ac tam hunc, quam futuros Dominos *Regni Primates*, et Archi-Epiſcopos Strigonienſes in vſu eorum, et actiuitate legali conſeruabit.

TITVLVS XXV.

De in integrum reſtitutionibus.

I. FERD. I. Decret. XVIII. Art. 11. in Corp. I. H. Tom. I. f. 481.

Bona eccleſiaſtica, ab Eccleſiis auulſa, iuridice per plebanos, iis non valentibus, per Epiſcopos eorum recuperentur.

Si bona quaepiam, et poſſeſſiones, ac prouentus eccleſiaſtici ab Eccleſiis, quibus ſemel dicatae, et ad quas poſſeſſae fuerunt, per violentiam forte aliquorum, et *vtcunque* indebite auulſae, ad manus alienas perueniſſent; ſiue illi ſint Patroni earundem Eccleſiarum, ſiue alii; contra tales violentos, et indebitos occupatores iuris ordine procedi, et bona huiuſmodi *iuridice repeti* debent, iuxta contenta decreti.

§. 1.

§. 1. Si autem *plebani*, et Rectores ipsi beneficiorum hoc facere *nollent*, aut non *possent*, aut non *auderent*, tunc Praelatis quoque, et *superioribus* eorundem beneficiorum idem semper liceat.

APPENDIX I.

AD

LIBRVM I. CORPORIS IVRIS ECCLESIASTICI HVNGARICI.

Historiam et succinctam de iure Regio constituendi Episcopos etc. in Regno Hungariae, partibusque eidem adnexis, et controuersiis occasione eiusdem subinde ortis tractationem continens.

§. I.

Quo iure olim omnes propemodum Reges atque Principes in constituendis Ecclesiarum Praelatis vsos fuisse constat, eodem, ac nescio, an etiam liberiore in principio gauisi fuerint Reges Hungariae. Testantur id antiquissimae Regum constitutiones, tabulae fundationum, aliaque diplomata, quae hoc loco describere non est animus. Neque necessarium id quidem est in re nulli mor-

mortalium ambigua. Quoniam tamen eadem propemodum fata illuſtre hoc Regum ius in Hungaria expertum eſt, quibus in aliis quoque regnis, Gallia, Anglia, Germania exagitatum fuiſſe, hiſtoriarum veterum conſtanti fide ſcimus, operae pretium facturum me putabam, ſi breui commentatione controuerſiarum originem, progreſſum, cauſaſque indicarem, adſcriptiſque diplomatibus illuſtrarem, non quod certius quidquam aut magis elaboratum praeſtare me poſſem, iis confidam, quae PAZMANVS primum, deinde PETERFIVS, poſtremo CLARISS. KOLLARIVS vir doctiſſimus *in Hiſt. diplom. Iur. patron. Regni Hung.* ſcripſerunt; ſed vt ne non probari ea nobis videantur, quae ſilentio praetermiſſa forent. Accedit et ea ratio, quod excerpenti hinc, atque illinc Synodorum Canones, alia diſciplinae capita ſtabilientibus, neceſſitas ſubinde iniiceretur ea ſimul tranſcribendi, quae, ſi licuiſſet, reſecare maluiſſem. Quae res, ne ignaros iuris regii lectores in errorem induceret, cauendum mihi fuit. Haec ratio commodior mihi viſa eſt, quam altera, per notulas cuique diplomati adiectas, quae ratio ſcribendi diſſipata lectorem nondum ſatis exercitatum ſemper admonet, nunquam cohaerenti doctrina imbuit.

§. II.

§. II.

Vſus huius iuris in Hungaria ſemper fuit. Originem vulgo literis a SYLVESTRO P. II. ad S. STEPHANVM Regem datis tribuunt. Quas literas ex hiſtoria diplomatica clariſſimi viri ADAMI KOLLARII tranſcriptas vide ſuperius *pag. 115. ſeqq.* Quidquid autem de fide harum literarum ſit; neque enim mea refert, in eius nunc opinionis veritatem inquirere, id conſtat, occaſionem eas dediſſe GREGORIO VII. P. Regnum Hungariae tamquam S. PETRO iam olim a D. STEPHANO Rege in clientelam oblatum Sedi Apoſtolicae vindicandi, quod epiſtola huius Pontificis, ad SALOMONEM Regem data, et a BARONIO in *Annal. eccles.* ad An. M. vulgata ſatis perſpicue docet. Ecce autem illam:

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Salamoni Regi Hungarorum Salutem, et Apoſtolicam benedictionem.

Literae tuae ad nos tarde propter moram Nuncii tui adlatae ſunt: quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo Beatum Petrum offendiſſet. Nam ſicut a maioribus patriae tuae cognoſcere potes, regnum Hungariae ſanctae Romanae Eccleſiae proprium eſt, a Rege Stephano olim

Beato

Beato Petro cum omni iure, et poteſtate ſua oblatum, et deuote traditum. Praeterea Henricus piae memoriae Imperator ad honorem Sancti Petri regnum illud expugnans, victo Rege, et facta victoria ad corpus Beati Petri lanceam, coronamque tranſmiſit, et pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia, quo Principatum dignitatis ſuae attinere cognouit. Quae cum ita ſint, tu tamen in caeteris quoque a regia virtute, et moribus longe diſcedens, ius, et honorem Sancti Petri (quantum ad te) imminuiſti, et alienaſti, dum eius regnum a Rege Teutonicorum in beneficium (ſicut audiuimus) ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam Beati Petri, aut noſtram beneuolentiam ſperare debeas, tu ipſe, ſi iuſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animaduerſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo, Apoſtolicae non regiae maieſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua perſonali acceptione (quantum Deo adiuuante poterimus), debitum honorem eius, cuius ſerui ſumus, irrequiſitum relinquemus. Verum ſi haec emendare, et vitam tuam (vt regem decet) inſtituere, et, Deo miſerante, adornare volueris; procul dubio dilectionem ſanctae Romanae Eccleſiae, ſicut matris dilectus filius, et noſtram in Chriſto amicitiam ple-

plene habere poteris. Dat. Romae quinto Kal. Nouembris, Indictione XIII.

Quibus adde ſis licet alias eiusdem Pontificis literas ad GEYSAM I. Hungariae Regem ſcriptas, quas ex HARDVINO iterum edidit cit. opere CL. KOLLARIVS pag. 100. Et quum An. MLXXVII. GEYSA Rege vita functo LADISLAVS in eius locum ſubrogatus id, quod cupiebat Pontifex, obſequium Sedi Romanae non praeſtitiſſet, ea de re queſtus eſt GREGORIVS VII. in literis ad NEHEMIAM Strigonienſem Metropolitam datis, monuitque, vt hortetur Regem, vt debitum per Legatos obſequium Sedi Apoſtolicae praeſtet. Sunt literae GREGORII a COLETO *in Concil. edit. Venet. Tom. XII. col.* 402. hoc exemplo deſcriptae.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Nehemiae Strigonienſi in Hungaria Archiepiſcopo, ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem.

Non admirari te volumus, qua de cauſa fratrem iſtum, videlicet harum literarum portitorem, tamdiu nobiſcum retinuerimus etc. De cetero admonemus fraternitatem tuam, vt regem, qui inter vos electus eſt, cum aliis tuis confratribus, et principibus terrae adloquaris, notificantes, et conſulentes ſibi, vt apertius nobis ſuam voluntatem, et erga reuerentiam Sedi Apoſtolicae debitam per idoneos Legatos

denun-

denunciet deuotionem: et ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei Omnipotentis, et Beati Petri Apostolorum Principis benigne sibi respondebimus, et excellentiae suae ad suam, et totius regni utilitatem sanctae, et Apostolicae autoritatis studium cum omni caritate, et beneuolentia exhibere curabimus. Cetera vero, quae longum erat in epistola, viua fideliter voce nunciabit, sicut in eius ore posuimus. Data Carpinetae V. Idus Iunii, Indictione decima quinta: Verum nihil hoc Pontificis conatu de iure regio deminutum fuisse pro eruditione sua solide docuit CL. KOLLARIUS laudati operis *Lib.* II. *cap.* VI. *seqq.*

§. III.

Id quod vel ex eo satis intelligi potest, quod e viuis sublato LADISLAO regni successor COLOMANNUS iure isthoc, more a maioribus accepto, pari cum illis libertate vsus sit. Sed quietus iuris vsus breuis fuit, An. MLXXIX. GREGORIUS VII. in Synodo Romae celebrata formulam condidit, ad quam Archi-Episcopi Pallium recepturi iurarent: hoc exemplo: vid. BARONIUM ad *an.* 1079. *Num.* XI.

Ab hac hora, et in antea fidelis ero Beato Petro, et Papae Gregorio suisque successoribus, qui per meliores Cardinales intrauerint. Non ero in consilio, neque in facto, vitam,

aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſine mala captione. Ad Synodum, ad quam me vocabunt vel per ſe, vel per ſuos Nuncios, vel per ſuas literas, veniam, et canonice obediam; aut ſi non potero, Legatos meos mittam. Papatum Romanum, et regalia Sancti Petri coadiutor ero ad retinendum, et defendendum ſaluo meo ordine. Conſilium autem, quod mihi crediderint per ſe, aut per Nuncios ſuos, ſiue per literas, nulli pandam me ſciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo, et redeundo honorifice tractabo, et in neceſſitatibus ſuis adiuuabo. His, quos nominatim excommunicauerint, ſcienter non communicabo. Romanam Eccleſiam per ſecularem militiam fideliter adiuuabo, cum inuitatus fuero. Haec omnia obſeruabo, niſi quantum ſua certa licentia remanſerit.

A. MCXII. Quum poſt mortem Colocenſis Metropolitae Alberti eius locum voluntate Regis Colomanni occupaſſet Hvgolinvs, petens a Paſchali II. P. Pallium, repulſam paſſus eſt, niſi deſcripta modo formula iuraſſet. Res noua Regem non minus, quam regni Proceres commouit, profeſſique ſunt, non poſſe id iuramentum ſalua Regis auctoritate praeſtari: Id quod Pontificem non ſatis aequo tuliſſe animo ex epiſtola eius diſces, quae eſt in *cap.* IV. X. *de elect.* Ita autem habet:

Pa-

Paschalis Episcopus Seruus Seruorum Dei, N. Colocensi Archi-Episcopo.

Significasti frater charissime, Regem, et regni Maiores admiratione permotos, quod pallium tibi ab Apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum, quod a nobis scriptum detulerant, iurares. In pallio frater plenitudo conceditur pontificialis officii, quia iuxta Sedis Apostolicae, et totius Ecclesiae consuetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Episcopos consecrare, aut synodum celebrare. Mirentur in hac causa, et Dominum IESVM CHRISTVM. *Cum enim Dominus* IESVS CHRISTVS, *vt omnium ouium suarum curam Simoni Petro committeret, conditionem posuit, dicens: Diligis me Simon Petre? Pasce oues meas: si conscientiarum factor, et conditor conditione hac vsus est, nec semel tantum, sed et secundo, et vsque ad contristationem: qua nos sollicitudine, qua prouisione oportet tantam Ecclesiae praelationem, tantam Christi ouium curam fratribus imponere, quorum conscientias non videmus, illis maxime, quos nullo vsu nouimus: quorum dilectionem penitus ignoramus? Aiunt omne iusiurandum a* CHRISTO DEO *in Euangelio esse probibitum, nec ab ipsis Apostolis post Dominum, nec in conciliis inueniri posse statutum. Quid est ergo, quod idem Dominus subsecutus ait: Quod amplius est, a malo est? Hoc enim amplius vt*

exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum est, ab Ecclesiae vnitate, a Sedis Apostolicae obedientia resilire? Nonne malum est contra sacrorum canonum statuta prorumpere? quam multi hoc etiam post Sacramentum praesumserunt? Nonne praedecessor tuus praeter Romani Pontificis conscientiam damnauit Episcopum? Quibus hoc canonibus, quibus conciliis legitur esse permissum? Quid super Episcoporum translationibus loquar, quae apud vos non auctoritate Apostolica, sed nutu REGIS praesumuntur. Propter haec mala, et alia euitanda huiusmodi iuramentum exigitur. Cur autem iuramentum Dominus prohibuerit, Apostolus Iacobus manifeste adiiciens dicet: Vt non sub iudicium incidatis, ne quispiam (sicut et Augustinus exponit) adsiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem dilabatur. Quapropter iuratione quis non vtatur, nisi necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum, quod vtile est eis credere; nisi iuratione firmetur. Hoc nimirum malo, ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere. Porro Apostolum Paulum pro auditorum diffidentia iurasse, eius epistolae testantur. Aiunt in Conciliis statutum non inueniri; quasi Romanae Ecclesiae legem Concilia vlla praefixerint: cum omnia Concilia per Ecclesiae Romanae auctoritatem et facta sint, et robur acceperint,

rint, et in eorum ſtatutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonenſis Concilii actione XVI. ſtatutum eſt: Ante omnia quidem Primatus honorem praecipuum ſecundum canones antiquae Romae reuerendiſſimo Archiepiſcopo conſeruari? Itaque, quod cenſuerunt Rex, et Magnates a ſupradicta Sacramenti conditione te quieſcere. Videturne vobis iudicium Euangelicum? videturne Primatus noſtri honor praecipuus? Numquid animo cecidit illa ſententia Domini: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum? Numquid Hungarico Principi dictum eſt: At tu conuerſus confirma fratres tuos? Numquid haec nos commodi noſtri profectione requirimus, et non vnitatis Catholicae ſtatuimus firmamentum? Poſſunt Apoſtolicam Sedem contemnere, poſſunt aduerſum nos calcaneum eleuare: datum a Deo priuilegium euertere, vel auferre non poſſunt, quo Petro dictum eſt: Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, et: Tibi dabo claues regni coelorum. Quibus tamen quatuor conciliorum decretis dandi pallii modus praeſcriptus eſt, et profeſſionis, vel obedientiae ordo ſancitus eſt. Cum igitur a Sede Apoſtolica veſtrae inſignia dignitatis exigitis, quae a Beati tantum Petri corpore adſumuntur; iuſtum eſt, vt vos quoque Sedi Apoſtolicae ſubiectionis debitae ſigna ſoluatis, quae vos cum Beato Petro tanquam membra de membro haerere, et Ca-

tholici capitis vnitatem seruare declarent. In quibus a praedecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, vt nihil iniuriosum, nihil difficile sit adpositum, quod non etiam praeter exactionem nostram ab omnibus debeat Episcopis obseruari, qui sub Apostolorum Principum Petri, et Pauli obedientia decreuerunt et vnitate persistere. Numquid non vltra vos Saxones, Danique consistunt? Et tamen eorum Metropolitani et idem iuramentum adserunt, et Legatos Apostolicae Sedis honorifice tractant, et in suis necessitatibus adiuuant, et Apostolorum limina per Legatos suos non tantum per triennium, sed annis singulis visitant. Ita te frater charissime, fruamur in Domino, vt non per te in Ecclesiis subtractionis, et dissidii (quod absit) oriatur occasio. Quae lis, quem sit finem sortita, non constat.

§. IV.

Id sane negari non potest, quod COLOMANNVS Rex pacis, vt videtur, causa, et aliorum quoque regnorum exemplo fortasse perpulsus *ius inuestiendi* Episcopos *per annulum, et baculum* PASCHALI II. Pontifici remiserit; Extat ea RENVNCIATIO in vita PASCHALIS II. a doctissimo MVRATORIO edita *Script. Italic. Tom. III. P. I. col. 364.* ex quo eam descriptam retuli *pag.* 119. Quod nemo tamen ita, velim, intelligat, quasi

tum

tum iuri regio quidquam detractum ſit, praeter vſitatum vbique inueſtiturae ius, cui ſoli renunciauit, ſaluo iure electionum, translationum, depoſitionumque, quod iam recte monuit FRANC. FLORENS. *in Tract. ad lib. I. decret. tit. VI. de electione;* et poſt hunc CL. KOLLARIVS *cit. op. pag. 113.*

§. V.

Succedit COLOMANNO filius eius impubes STEPHANVS, quo an. MCXXXI. vita functo, regiam dignitatem obtinet BELA COECVS. Eo regnante GAVDIVS clericus ſpalatenſis a clero, et populo Archiepiſcopus Spalatenſis eligitur, eaque electione a Rege confirmata, conſecrationem accipit a Strigonienſi Archi-Epiſcopo; quam conſecrationem, non autem regiam electionis confirmationem moleſte tulit INNOCENTIVS III. quod perſpicue docet Bulla, quam LVCIVS vulgauit *in Hiſt. Regni Dalmat. et Croat. Lib. III. cap. XI.*

Innocentius Seruus Seruorum Dei G. Venerabili fratri Salonitano Archi-Epiſcopo ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem ſicuti B. Gregorii teſtatur auctoritas, et tam veterum, quam modernorum geſtorum monumenta declarant examinatio, et conſecratio Salonitani Archi-Epiſcopi ex antiqna inſtitutione ad Romanum Pontificem ſpecialiter ſpectaret. Quo circa

ca in ſanctam Romanam Eccleſiam grauiter deliquiſſe, et claues Beati Petri auſu temerario euacuare voluiſſe dignoſceris, dum ſpreta dignitate Sedis Apoſtolicae ad aliam prouinciam conuolaſti, et contra veterum conſuetudinem a Strigonienſi Archi-Epiſcopo conſecrationem ſuſcipere attentaſti. Licet ergo vehementer exceſſerit; licet contra ſtimulum calcitrare molitus ſit, quia tamen dilectus filius noſter Bela Vngariae Rex pro te multocies apud Sedem Apoſtolicam per literas, et nuncios interceſſit, ipſius tamen precibus condeſcendimus, et per dilectum filium noſtrum Vbaldum Diaconum Cardinalem, virum ſiquidem honeſtum, et literarum peritia eruditum fraternitati tuae Pallium Pontificiale, officii plenitudinem, ſignum humilitatis, et iuſtitiae deſtinamus, vt videlicet pro his diebus vtaris, quibus in Eccleſiae tuae ſcriptis authenticis continentur. Tua itaque intereſt, ita te erga B. Petrum deuotum, et humilem in omnibus exhibere, ita te in eius obſequio exercere, et praeceptis Apoſtolicis obedire, vt hac gratia dignior valeas inueniri, et nos de tuae actionis ſtudiis exultare poſſimus. Praeterea Epiſcopos per Dalmatiam conſtitutos ſuffraganeos, quibus Salona tempore ſuo rutilando vtebatur, ſanctae Spalatinae Eccleſiae, vbi corpus S. Dominii diſcipuli B. Petri requieuit, cum omni reuerentia obedire ſancimus, quem vnum totius Dalmatiae Metropolitanum in Salonitana

lonitana Ecclesia fore scimus, iuxta quod in decretis nostris comperimus, item quia per vestras literas conquesti estis de suffraganeis recusantibus venire ad consilium Salonitanae Ecclesiae Metropolitanae. Nos ita statuimus, vt in Dalmatia nullo alio in loco Synodus praeter in vestra Metropolitana celebretur, et ibidem omnes suffraganei praefatae Ecclesiae Salonitanae more solito consecrentur. Dat. Lat. IX. Kal. Iun.

§. VI.

At enim ius istud regium omne, quod adhuc integrum seruarunt Reges Hungariae penitus intercidisse visum est BARONIO ad an. MCLXIX. vbi STEPHANVM III. Regem hoc a se ius penitus abdicasse commemorat, suamque opinionem prodito diplomate confirmat. Sed primum falsus est BARONIVS, dum diploma, quod est BELAE, eiusque filii HENRICI, adscribit STEPHANO III. quod primus docuit eruditissimus KOLLARIVS *cit. op. p. 123.* ex quo descriptum libertatis priuilegium superius *pag.* 120. inserui. Deinde non satis expendisse videtur BARONIVS diplomatis sententiam, quae est ab ea, quam ipse arripuit, admodum diuersa. Quod tum ex iis, quae dicentur postea, satis elucebit, tum etiam a CL. KOLLARIO *cit. op. pag.* 125. *seqq.* ita probatum est,

eſt, vt ei illuſtrandae nihil ſit neceſſe operam impendere.

§. VII.

BELAE III. quae mens fuerit tum, quum GEYSAE II. conſtitutionem adhuc non viſam confirmauit, perſpicue ex ea, quae biennio poſt conſecuta eſt, controuerſia, diſces. An. MCLXXXI. THEOBALDVS Sedis Apoſtolicae per Dalmatiam, et Sclauoniam Legatus Epiſcopatum Pharenſem Epiſcopo Spalatenſi adiudicauit, cuius rei teſtis eſt Epiſtola THEOBALDI a LVCIO ibid. *Lib.* III. *cap.* 13. edita.

Theobaldus D. G. S. R. E. Sub. Apoſtolicae Sedis Legatus dilectis in Chriſto fratribus, vniuerſo clero, M. Comiti, et toti populo Spalat. cum dilectione ſalutem. Ad robur, et memoriam rerum geſtarum plurimum valere cognoſcitur ſeries literarum; quandam namque firmitatem praeſtat, nec ſinit obliuiſci ſcriptura, quae diligenti ſollicitudine, et cura ſub vno paginali contentu fuerint comprehenſa. Ideoque per ſcripta praeſentia notum facimus, et ad notitiam tam praeſentium, quam futurorum ſignificamus, quod cum de mandato ſummi Pontificis in Dalmatiae, et Sclauoniae partibus officium legationis haberemus, Spal. Eccleſia, quae et Salonitana dicitur, ſuper Faren. Epiſcopatu querimoniam depoſuit aduerſus Iaderti-

derti-

dertinam Ecclesiam. Profecto sub generali vocatione Clero Iadertino scripsimus, significantes, et mandantes, vt eorum aliqui taliter instructi, et parati ad nos accederent, quod nuper motis controuersiis sufficienter respondere valerent: cumque ad diem, et terminum denunciatum praefatus clerus nec venisset, nec responsum misisset, quibusdam diebus postea elapsis tam dictam querelam audiuimus, in praesentia Episcoporum, et multorum aliorum, et auditis, visis, et intellectis rationibus, priuilegiis, et adlegat. Ecclesiae Spalat. eidem, habito plurimorum venerabilium virorum consilio, praedictum Farensem Episcopatum adiudicauimus, et adsignauimus anno D. Incar. 1181. Ind. 13. Pontif. Alex. PP. 3. an. 22.

Quod factum moleste tulit BELA III. Rex, et in locum Archi-Episcopi Spalatensis PETRVM VNGARVM ad Metropolitae dignitatem euectum voluit. Atque haec causa fuit ortae inter Regem, et STEPHANVM III. P. controuersiae, cuius haec sunt ad BELAM literae ap. KOLLARIVM. *pag.* 128.

Alex. Episcopus Ser. Ser. Dei, Dil. in Christo Filio B. illustri, Vngarorum Regi Salutem, et Apost. Ben. Significantibus nobis dilectis filiis nostris Clero, et populo Spal. nobis innotuit, quod cum Ecclesia Spalatina diu pastore vacauerit, et vsque ad haec tempora

iuxta

iuxta Priuil. Romanorum Pontificum, et ſacrorum canonum liberam electionem habuerit, tum ea Epiſcoporum, ſecundum quod obſeruatum eſt eligi, non permittis, volentes igitur regiae ſaluti conſulere, et indemnitati praefatae Eccleſiae pro noſtri officii debito prouidere, monemus regiam excellentiam, et exhortamur in Domino, quatenus eam libere, et ſine contradictione de perſona idonea ordinari permittas, qui et populo Dei praeeſſe valeat, et prodeſſe; alioquin licet magnificentiae regiae deferre velimus, iam dictae Eccleſiae in iure ſuo deeſſe non poterimus aliqua ratione, nam et Serenitati regiae credimus expedire, vt ciuitatem ipſam in ſua libertate conſerues, et habitatores eius in fidelitate tua facias firmiores, et ne eis circa Dominium tuum occaſionem tribuas malignandi. Ad haec etiam Regiam magnificentiam monemus attentius, et rogamus, quatenus Minoslauum Comitem ad reddendum pecuniam praenominatae Eccleſiae, quam olim bonae memoriae R. Spalaten. Archi-Epiſcopo abſtulit, vel ad aeſtimationem congruam, et vt loca illa, in quibus olim cathedrales ſedes fuiſſe noſcunt, ordinari permittat, ſi aliter ad hoc induci nequiuerit; Regia poteſtate compellas, Data Viterbii II. Non. Iulii.

Moritur STEPHANVS controuerſia, vt videtur nondum finita, quam ſub eius ſucceſſore LVCIO III. P. demum compoſitam fuiſſe

fuiſſe inde, quod eundem PETRVM VNGARVM Archiepiſcopatui praefectum fuiſſe auctore THOMA Archidiacono Hiſtoriae Salomitanae *cap.* 23. recte coniecit cl. KOLLARIVS.

§. VIII.

Duplex, atque vtraque prioribus grauior controuerſia EMERICVM filium BELAE cum INNOCENTIO P. exorta colliſit. Ac prior quidem an. MCXCVIII. quo CALAMVM Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem Rex cum Conſilio Pontificis epiſcopatu mouere voluit. Cui rei, vt conſentiret Pontifex, adduci non potuit. Teſtatur id epiſtola INNOCENTII ad SAVLVM Oſanadienſem Epiſcopum ea de re ſcripta, et in *cap.* 15. de praeſumt. relata. Sed ea controuerſia, quem habuerit finem, non conſtat. Altera eodem anno exarſit, BOLESLAVM Vacienſem Epiſcopum ab EMERICO nec conſulto Pontifice, epiſcopatu motum fuiſſe tradunt. Rei totius memoriam continet Epiſtola Innocentii III. P. quae ad EMERICVM Regem ſcripta, ap. KOLLARIVM *pag.* 132. *ſeq.*

ILLVSTRI REGI VNGARIAE.

Inter vniuerſi orbis prouincias Apoſtolica Sedes regnum Vngariae ſpeciali quadam praerogatiua dilexit ob merita Regum ipſius, ac prae-

praecipue ob feruentis deuotionis constantiam, et inuiolabilis sinceritatis adfectum, quem inclytae recordationis Bela Rex Vngariae pater tuus circa sanctam Romanam Ecclesiam matrem suam fere semper exhibuit, ad exaltationem ipsius, augmentum Ecclesiarum regni sui, et honorem omnium Clericorum tam humiliter, quam potenter intendens. Nos etiam sperantes, quod in filio paternae vigeat deuotionis adfectus, et tua regia celsitudo sic eidem patri tuo in proposito sicut in regno, sic in voluntate sicut in dignitate succedat, ad integritatem regni tui, et tui honoris augmentum efficaciter intendimus hactenus, et adhuc intendere non cessamus; sperantes quod et tu eo fortius in nostra, et Ecclesiae Rom. deuotione persistas, quo amplius nostram circa te ac regnum tuum expertus fueris gratiam, et fauorem fratrum. Verum quanto sincerius regiae serenitatis diligimus incrementum, tanto amplius contristamur, quando ea de tuis actibus ad nostram audientiam perferuntur, quae circa te prouocent diuinae indignationis offensam, et iniuriam Apostolicae Sedis, et tuae videantur famae dispendium redundare. Sane peruenit ad audientiam nostram, quod in prima transactae obseruantiae quadragesimali hebdomada, quarta feria quatuor temporum, circa crepusculum noctis venerabili fratre nostro Watiensi Episcopo cum Canonicis suis Completorium decantante,

tante, accedens ad Ecclesiam Watiensem, claues sacrarii exhiberi tibi, et Episcopum de Ecclesia egredi praecepisti. Cumque ipse positas sibi formidans insidias, cum ipsa hora ei multae suspicionis certius ingereret argumentum, obtemperare iussioni regiae recusaret, ostium sacrarii mandasti violenter infringi; et cum idem Episcopus, et Canonici propter hoc conuersi ad Dominum cum lachrymis decantarent: Aspice Domine de coelo sancto tuo, et cogita de nobis, *tu quasi moleste ferens, quod diuinum auxilium implorabant, irruens in Episcopum, ipsum a summo gradu, quod est ante altare, vsque in pauimentum violentis manibus attraxisti, et pauimento adlisum tradidisti non minus violentis tuorum manibus de Ecclesia extrahendum. Ipso igitur de Ecclesia violenter eiecto, et relicto quodammodo semiuiuo, fracto sacrarii ostio, et scriniis violatis, thesaurum Ecclesiae occupasti, et patrimonium eiusdem Episcopi, quod domui cuidam religiosae, quam ipse de nouo fundauerat, concesserat intuitu pietatis, fecisti pro motu voluntatis propriae confiscari. Postmodum vero cum idem Episcopus propter hoc in Ecclesia sua taliter violata diuina prohibuisset officia celebrari, tu decimas sibi denegari fecisti, ac vetuisti nunciis eius sub poena priuationis oculorum, ne regnum tuum egredi attentarent, quasi tacite prohibens, ne ad Apostolicam Sedem accede-*

rent, ſuper his querimoniam delaturi. Quia igitur ſaluti tuae conſulere cupimus, et potius animae quam corpori prouidere, cum nobis non conſtiterit de praedictis, ſerenitatem regiam monemus, et exhortamur in Domino, et remiſſionem iniungimus peccatorum, per Apoſt. ſcripta mandantes, quatenus taliter, quae praedicta ſunt, corrigas per te ipſum, taliter Epiſcopo ſatisfacias memorato, immo potius Sedi Apoſtolicae, quam laeſiſti, taliter Watien. Eccleſiae damna reſtaures, quod nos ad id ſeueritatis eccleſiaſticae manum adponere non cogamur. Alioquin, quantumcunque perſonam tuam in Domino diligamus, quia tamen potius Deo, quam homini volumus complacere, diſſimulare non poterimus, quin in te, et terram tuam exerceamus canonicam vltionem. Certe priorum exempla te potuerant ab huiusmodi reuocare, et a tanta praeſumtione tuam debuerant compeſcere voluntatem. Legiſti enim, vel forſan audiuiſti, quod cum Heliodorus aerarium, quod erat Hieroſolymis, ſpoliaret, percuſſus ab Angelo exſpiraſſet, niſi pia ei ſubueniſſet oratio Sacerdotis. Balthaſar, dum ſpoliato templo vaſis ſacris in conuiuio vteretur, articulos manus regni ſui terminum notauit in pariete depingentis. Pompeius, non quia ſpoliauit, ſed quia intrauit ſolummodo ſancta ſanctorum, de ſemper victore victus effectus, commiſſum iugulo expiauit. Sano igitur ductus

con-

consilio per condignae satisfactionis effectum tantae praesumtionis reatum studeas abolere; ne praeter canonicae districtionis rigorem, quem debes merito formidare, Deus vltionum Dominus, qui reddit retributionem superbis, in te, ac regnum tuum iniurias dicti Pontificis immo suas potius grauiter vlciscatur. Datum Laterani XI. Kalendas Iulii.

Indignum hoc facinus, et inaudito in annalibus nostris flagitio patratum scribit PETERFIVS *Conc. Hung. P. I. p. 48.*

§. IX.

Maius operae pretium est de illis dicere rebus, quae sub ANDREA II. primum tutore, tum etiam Rege contigisse memoriae proditum est. Adhuc regnante EMERICO in eligendis Episcopis ea disciplinae mutatio facta est, vt ius illud, quo Reges olim vtebantur, ad capitula Ecclesiarum translatum voluerit COELESTINVS P. Quod ex *cap. 4 de elect.* discimus, cuius vestigia secutus est INNOCENTIVS III. *cap. 28.* eod. Huius disciplinae etiam in Hungariam inuehendae occasio primum nata est ANDREA II. adhuc tutorem agente. Vacabat tum Strigoniensis sedes, cui statim in principio ANDREAS constituerat IOANNEM Archi-Episcopum Colocensem admouere, eiusque translationis confirmationem per literas a

Pontifice petierat. Sed, quum renuerent Strigonienses Suffraganei eam translationem, mallentque, CALANVM Quinque-Ecclesiensem concessit eis Dux, proque IOANNE illum esse Strigoniensem Metropolitam iussit. At neque hanc ANDREAE electionem probauit INNOCENTIVS P. mutandae disciplinae tempus adesse ratus. Ex Pontificiis Epistolam ap. PETERF. P. I. f. 66.

ILLVSTRI VIRO, ANDREAE, DOMINO HVNGARIAE.

Nouit ille, qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum, quod ad honorem, et profectum tuum ardenti desiderio adspiramus, pro certo sperantes, quod progenitorum tuorum inhaerens vestigiis, Sacro-Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem tuam, prompta deuotione cupias venerari: Licet ergo per primas literas, quas nostro Apostolatui destinasti, postquam ad regni gubernaculum adscendisti, fraterno sigillo signatas, nos duxeris exorandos pro Venerabili fratre nostro, et Colocensi Archi-Episcopo ad Strigoniensem metropolim transferendo, postmodum tamen per alias literas tuo charactere insignitas, nobis humiliter supplicasti, vt postulationem de Venerabili fratre nostro C. Quinque-Ecclesiensi Episcopo, ad

eandem

eandem Metropolim euocato, admittere dignaremur; super quae cum fratribus nostris deliberauimus diligenter: et quoniam inuenimus eam post appellationes ad nos legitime interpositas, in multa discordia non solum suffraganeorum, verum et Canonicorum Strigoniensis Ecclesiae, contra formam mandati nostri, regulari ordine praetermisso, temere celebratam: illam exigente iustitia non duximus admittendam: dolentes pro te pariter, et pro ipso, quod ad postulationem huiusmodi, non est eo modo processum, vt eam secundum Deum approbare possemus. Monemus igitur Serenitatem tuam, et exhortamur attentius, quatenus in hoc non voluntatis nostrae duritiem, sed canonicae sanctionis censuram attendas, quam sine personarum acceptione retinere volumus, vt debemus: cum in manu nostra non debeat esse pondus, quasi statera dolosa. Scimus pro certo, quod preces, quas nobis secundum Deum duxeris porrigendas, parati sumus efficaciter exaudire. Ne vero Strigoniensis Ecclesia vlterius maneat desolata, Strigoniensi Capitulo per nostras damus literas in mandatis, vt ad prouidendum sibi Pastorem idoneum per electionem canonicam vel postulationem concordem requisito suffraganeorum adsensu, si de antiqua, et adprobata consuetudine fuerit requirendus, infra mensem, post susceptionem literarum nostrarum, procedere non postponat. Alioquin

ex tunc, ne gregi dominico diu desit cura Pastoris, ad prouidendum eidem Ecclesiae Pastorem idoneum procedemus, secundum officii nostri debitum, ex plenitudine Apostolicae potestatis. In quo, quantum cum honestate nostra possumus, tuo deferemus honori. Datum Romae ad S. Petrum. Anno Incarn. Domini 1205. Pontific. Anno 8vo indict. 8. 8. Calendas Iulii.

Sed in vanum abiit Pontificis conatus. Quippe quod ANDREAS simul atque regnum ipsum adeptus est, IOANNEM Colocensem Archi-Episcopum ad Strigoniensem Archi-Episcopatum transtulit, eique translationi demum ipse adnuit Pontifex *cap. I. decret. de postulat.* et ap. PETERF. P. I. f. 68.

Bonae memoriae Guil. Archi-Episcopo vestro viam vniuersae carnis ingresso, cum in Colocensem Archi-Episcopum postulandum a nobis contulissetis vnanimiter vota vestra, suffraganei Strigoniensis Ecclesiae. Quinque-Ecclesiensis Episcopus videlicet, et quidam alii postulationi vestrae se opponere curauerunt, adserentes: quod eis contemptis, qui ius habebant eligendi vobiscum, postulatio eadem fuerat attentata. Licet vestri nuncii ponerent ex aduerso, quod super praeficiendo vobis Pontifice de gratia multoties suffraganeorum fuerat requisitus adsensus, sed ipsi vobis consilium dene-

nega-

negauerunt. Nunciis igitur in nostra praesentia constitutis, et proponentibus aduersariis quaedam alia contra postulationis vestrae processum, quia nobis de propositis non constabat, ita duximus prouidendum, vt si suffraganeis persistentibus in contradictione sua, vos postulationi vestrae velletis instare, per procuratores idoneos ad Sedem Apostolicam veniretis. Si autem illi a contradictione sua cessarent, et vos instaretis proposito vestro, ad praesentiam nostram mitteretis personas idoneas, quae super his, quae opportuna forent, nos redderent certiores. Quod si contradicentibus Episcopis memoratis, nos contingeret de iure vestro diffidere, aliam personam idoneam prouideretis vobis canonice in pastorem. Ceterum quidem vestrum a postulatione vestra, quam nobis praesentaueritis communiter, temere recedentes, aliis persistentibus in eadem, praedictum Quinque-Ecclesiensem Episcopum in Archi-Episcopum postulauerunt. Nos igitur postulationem ipsam, quam inuenimus in multa discordia, non solum Suffraganeorum, verum etiam Canonicorum Strigoniensis Ecclesiae, ac contra formam mandati nostri temere celebratam, non duximus admittendam, sed vobis dedimus in mandatis, vt ad prouidendum vobis pastorem idoneum per electionem canonicam vel postulationem concordem (requisito suffraganeorum adsensu, si esset de antiqua, et adprobata con-

V 4 *suetu-*

ſuetudine requirendus) procedere curaretis; alioquin nos ipſi prouideremus Eccleſiae viduatae.

Verum antequam ad vos literae noſtrae perueniſſent, innitentes mandato priori, ſuffraganeos, praeter Quinque-Eccleſienſem, ad concordiam reuocaſtis. Poſt haec, mandato noſtro recepto, hi, qui in Colocenſem conuenerant, ab eius poſtulatione recedere noluerunt, ſed innouauerunt eandem, reuerſis ad eos quibusdam Canonicorum, qui in partem alteram declinarant; caeteri vero Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum poſtularunt, conuenientes in vnum, caeteros Canonicos ad capitulum conuocarunt, ad poſtulationem concordem, vel electionem canonicam iuxta mandatum Apoſtolicum procedere cupientes: ſed illis nolentibus conueniſſe, intelligentes, penes ſe tantum remanſiſſe facultatem liberam eligendi, quia reliqui ius ſuum proſequi negligebant, praedictum Quinque-Eccleſienſem denuo poſtularunt. Nec obſtabat eorum diſcordia, qui alium poſtularunt; cum prius in poſtulatione Archi-Epiſcopi ſupra dicti conueniſſetis pariter vniuerſi, et conſenſum veſtrum adnotatis literis, et ſubſcriptionibus propriis roboratum, petiiſſetis a nobis per communes nuncios confirmari: noſque veſtram recepiſſemus poſtulationem diiudicandam, ſi ſuffraganei forſitan in contradictione perſiſterent (vel ſi conſentirent, aut ei cederent) approbandam.

dam. Si enim, postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, et praesentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, et iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur. Intelleximus itaque, quod etsi neutra esset postulatio adprobanda, iuxta tenorem tamen posterioris rescripti, ad nos de caetero Strigoniensis Ecclesiae prouisio pertineret. Quia vero non plenam de personis illius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salua conscientia eidem Ecclesiae in alia persona, quam quae de Regno Hungariae originem duceret, congrue prouidere: nec vellemus ei praeficere alienum, quamuis honestius videretur, si suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quam Archi-Episcopus ad Metropolim transferretur, partem tamen eligimus potiorem: et eundem Archi-Episcopum, in quem omnes, quorum consensus in electione, vel postulatione pastoris requiritur, licet diuersis temporibus conuenerant, a vinculo, quo tenebatur, Colocensis Ecclesiae absoluentes, ad Metropolim Strigoniensem transferimus, et ei licentiam tribuimus transeundi: pallium ei ad nomen, et vsum eiusdem Ecclesiae transmissuri. Monemus igitur discretionem vestram attentius per Apostolica vobis scripta mandantes: quatenus eidem Archi-Episcopo reuerentiam, et obedientiam debitam impendentes, et salubria

monita, et mandata ipſius recipiatis humiliter, et inuiolabiliter obſeruetis, vt et ipſe paternum vobis teneatur exhibere adfectum, ſi deuotionem apud vos inuenerit filialem, et nos deuotionem veſtram merito commendare debeamus. Datum Romae ſecundo nonas Octobr.

Haec INNOCENTIVS haud dubie melius de iure Regum Hungariae edoctus. Neque enim deinceps, quum ANDREAS Rex IOANNI ARCHIEPISCOPO Colocenſi ad Strigonienſem Eccleſiam translato BERTHOLDVM Praepoſitum Babenbergenſem ſubſtituere voluit, eam improbare electionem auſus eſt Pontifex, quaſi eo Rex iure deſtitueretur, ſed quod alias indignum eum iudicaret. Epiſtolae INNOCENTII ad Regem ſcriptae exemplum hoc eſt ap. KOLLARIVM *cit. op. pag. 146.*

A. ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Sicut regali prudentiae per alias nos meminimus literas miſiſſe, illa te caritatis praerogatiua diligimus, vt nihil tibi negare velimus, quod eſſemus aliquando cuiquam Principum conceſſuri, cum ad honorem, et profectum tuum, quantum cum Deo poſſumus, efficaciter aſpiremus, licet autem adfectuoſas nobis preces porrexeris pro dilecto filio. . . . Pabenburgenſi Praepoſito, germano. . . . coniugis tuae in Archiepiſcopum Colocenſem ELECTO, *vt ei, quem in archiepiſcopali officio tibi, et regno tuo vtilem fore, ac neceſſarium confidebas, beneficium confirmationis conferre, ac*

do-

donum Pallii transmittere dignaremur; quia tamen Apostolus docet, vt manus cito nemini imponamus, videlicet antequam de ipso per examinationem canonicam habeamus certitudinem pleniorem, et nos de ipsius Praepositi aetate, ac literatura eramus incerti, venerabili fratri nostro.... Archiepiscopo, et dilecto filio.... Praeposito Salceburgensi dedimus in mandatis, vt super iis diligenter inquirerent, et quod inuenirent, nobis fideliter intimarent, serenitati tuae literis apostolicis intimantes, quod si literatura non solum eminens, sed saltem competens in eo foret inuenta, et aetas non solum perfecta, sed saltem perfectioni vicina, vsque adeo tuae desiderabamus satisfacere voluntati, vt nisi tantus adpareret in vtraque defectus, quod non deberet aliquatenus tolerari, temperato rigore cum ipso curaremus ex gratia dispensare: alioquin non nostrae duritiae, sed ipsius posset insufficientiae imputari, si tua supplicatio circa ipsum optatum non sortiretur effectum. Praefatus autem Salceburgensis Archiepiscopus nuper Apostolatui nostro per suas literas intimauit, quod accedens ad fines Vngariae, duobus suffraganeis Colocensis Ecclesiae, aliisque viris idoneis in sua praesentia constitutis, ad examinationem praedicti Praepositi iuxta formam mandati nostri processit, adserens se reperisse illum, textum expedite legentem, et interpretantem eiusdem verba suo idiomate

com-

competenter, et apte praeterea de constructione grammatica respondentem, quemdam vero militem, ipsius Praepositi paedagogum, iuramento corporaliter praestito adfirmantem, eum indubitanter esse viginti quinque annorum, et vltra, et huic quidem aetati staturam sui corporis concordare. Nos ergo super iis habito cum fratribus nostris diligenti tractatu, perpendimus euidenter, eum nec in iure canonico, nec in diuino eloquio vel tenuiter commendatum, et aetatem ipsius non solum non esse perfectam, sed nec etiam perfectioni vicinam. Quae duo, videlicet aetas legitima, et literatura sufficiens, adeo sunt Episcopo necessaria, qui debet esse pater patrum, et magistrorum magister, vt iuxta statutum Lateranensis concilii, si clerici praesumserint quemquam eligere, non solum in Archiepiscopum, sed etiam in Episcopo, qui patiatur in illis duobus, aut alterutro eorum defectum, praeter hoc, quod irrita est talis electio, ipsi ea vice sint eligendi potestate priuati, et per triennium a beneficiorum perceptione suspensi. Vnde quod est irritum ipso iure, nos non potuimus ratum habere, misericorditer agentes ob tui gratiam, et fauorem cum Capitulo Colocensi, quod ei poenam, in praelibato decreto statutam, non duximus infligendam. Dolemus autem non modicum, quod in hoc regiae non potuimus satisfacere voluntati; ne si forte declinaremus ad dextram, vel sinistram, esset in manu nostra pondus, et

pon-

pondus, mensura, et mensura, quorum vtrumque abominabile est apud Deum. Vnigenitus enim Dei filius Iesus Christus, qui ab ipsa conceptione Spiritum sine mensura recepit, vsque ad tricesimum annum distulit praedicationis officium exercere, per hoc euidenter ostendens, quod ante tricesimum annum nemo sibi debet praedicationis officium vsurpare, quod maxime conuenit sollicitudini pastorali. Ex eo vero, *quod legitur, quia Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, notatur, quod si eligendus in Praesulem sit illi aetati propinquus, dispensari potest cum illo, quando necessitas, vel vtilitas id exposcit, dummodo ei vita, et scientia suffragentur, eius exemplo, qui coepit facere, ac docere. Nam qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Alioquin, si videlicet secus fiat, non dispensatio, sed dissipatio est censenda.* Rogamus igi*tur celsitudinem regiam, et monemus, quatenus in eo, quod iuri necessitas fieri non permisit, tua serenitas non turbetur, sed potius faciat praefatum Praepositum theologicis, et canonicis instrui documentis; vt cum tempore procedente profecerit in scientia literali, nos ad honorem, et profectum ipsis tecum pariter intendamus: quia nec tibi nec illi procul dubio expediret, vt contra Deum onus adsumeret pastorale; ne forte vnde putares proficere, inde magis deficere mereveris, nosque tu viles merito reputa-*

res,

res, cum intelligeres, quod propter Regem terrenum non timuissemus offendere Regem coelestem, qui corpus, et animam potest mittere in gehennam. Datum Laterani Non. April. anno decimo.

§. X.

Proxime ANDREAM filius eius BELA IV. Imperium tenuit. Infelicissimus belli cum Tartaris gesti exitus plures Episcopatus suis Praesulibus priuauit; quibus vt primum in Hungariam redux factus est Rex, consulere haud distulit: consecrationisque gratiam ab INNOCENTIO IV. petiit. Non negauit eam quidem Pontifex, sed, quod obseruatu dignum est, epistolas non ad Regem, sed ad Capitula Ecclesiarum vacantium dirigens. Tres earum vulgauit PETERFIVS *Concil. Hung. P. I. pag. 70.* quas iuuat adscribere.

(*1.*) *Electo Nitriensi Praeposito S. Thomae Strigon. et Magistro Petro Subdiacono nostro Canonico Colocensi.*

Vacante Geuriensi Ecclesia, dilecti filii Capitulum ipsius, Venerabilem Fratrem nostrum Varadiensem Episcopum in Pastorem suum vnanimiter, et concorditer postularunt. Verum cum Episcopus ipse, sicut ex relatu fide digno percepimus, sit in spiritualibus, et temporalibus circumspectus, se Deo, et hominibus reddendo vitae laudabilis, et conuersationis bonae studio gratiosum; Nos eiusdem Capituli supplicationibus inclinati, mandamus

qua-

quatenus dictum Episcopum, nisi forte aliquis contra ipsum contradictor adpareat, qui sit merito audiendus, auctoritate nostra a vinculo, quo Varadiensi tenetur Ecclesiae, absoluentes, ipsum in pastorem Geuriensis Ecclesiae concedatis; non obstante, si aliquem inueneritis in postulatione de ipso facta, defectum, quem de nostra supplemus plenitudine potestatis. Quod si non omnes etc. Datum Anagniae 5. idus Iulii Anno primo id est 1243. Maioris Ecclesiae, et S. Georgii Strigoniensis, et Geuriensis, Praepositis.

(2.) *Vacante Colocensi Ecclesia, dilecti filii Capitulum ipsius, dilectum filium, praepositum Albensem, in Pastorem suum vnaniter, et concorditer elegerunt. Verum cum ipse Praepositus, sicut ex relatu fide digno percepimus, sit in spiritualibns, et temporalibus circumspectus, se Deo, et hominibus reddendo, vita laudabilis, et conuersationis bonae studio, gratiosum. Nos eiusdem Capituli supplicationibus inclinati, mandamus; quatenus, nisi contra dictum Praepositum aliquis contradictor appareat, qui sit merito audiendus, Nos electionem de ipso factam, non obstante, si aliquem inueneritis in ipsa defectum, quem de plenitudine potestatis nostrae supplemus, Auctoritate Apostolica confirmamus, et eidem a scito Canonico Suffraganeorum numero, faciatis munus consecrationis impendi: recepturi ab eo postmodum Ecclesiae Romanae nomine fidelita-*

litatis solitae iuramentum iuxta formam, quam vobis sub Bulla Nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse praestabit, de verbo ad verbum, nobis per eiusdem patentes literas sub sigillo signatas, per proprium nuncium, quantocyus destinetis. Quod si non omnes etc. Datum Anagniae Idibus Iulii, Anno primo seu 1243. Episcopo Cenadiensi, et S. Martini de Pannonia Beati Benedicti, et S. Gothardi Cisterciensis Ordinis Abbatibus.

(3.) Vacante Strigoniensi Ecclesia, dilecti filii Capitulum ipsius Venerabilem fratrem nostrum Vaciensem Episcopum etc. vt supra proxima litera vsque: supplemus de nostra plenitudine potestatis. Caeterum postquam Episcopus ipse ad Ecclesiam Strigoniensem transierit, vos ad eandem personaliter accedentes etc. iuramentum iuxta formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse praestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes literas suo sigillo signatas per proprium Nuncium quantocyus destinetis. Quod, si non omnes, tu eam Frater etc. Datum Anagniae nona Iunii. Anno primo.

Neque tamen quisque putet, id a Pontifice nouandae disciplinae studio factum fuisse.

se.

ſe. Arcet eam ſuſpicionem epiſtola eiusdem Pontificis Archiepiſcopo Colocenſi tranſmiſſa, quum Canonici Weſprimienſes inſcio Rege ZELANDVM quempiam Epiſcopum ſibi eligerent. ap. KOLL. Cap. XX. pag. 157.

Archi-Epiſcopo Colocenſi.

Ex parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Hungariae illuſtris nobis eſt oblata querela. Quod cum de antiqua, et approbata Regni ſui conſuetudine hactenus pacifice obſeruata, in electionibus Pontificum aſſenſus Regius debeat poſtulari Canonici Veſprimienſis Eccleſiae contra conſuetudinem huius temere venientes, aſſenſu eius, ſicut debuit, minime requiſito, qui commode requiri poterat, et de iure debebat, Magiſtrum Zelandium eorum Con-Canonicum in Veſprimienſem Epiſcopum elegerunt: quam electionem Venerabilis Frater noſter Archi-Epiſcopus Strigonienſis loci Metropolitanus, poſt adpellationem ad nos legitime interpoſitam, confirmauit. Alias quoque, tam ipſe, quam alii Praelati, et Clerici eiusdem Regni, poſt vaſtitatem datam a Tartaris, iura, et libertates ipſius Regis, pro ſua diminuunt voluntate, in eius non modicum praeiudicium, et grauamen. Quia vero eiusdem Regis grauamina, quem ſpeciali praerogatiua proſequimur, ſuſtinere nolumus, nec debemus, cui potius ex tanto diſcrimine, quod pertuliſſe di-

dignoſcitur, paterno compatientes adfectu, adeſſe in ſuis opportunitatibus proponimus, et prodeſſe; Fraternitati tuae mandamus, quatenus inquiſita ſuper praemiſſis omnibus diligentius veritate, nobis, quae inueneris, fideliter reſcribere non poſtponas, vt exinde, quod expedire viderimus, diſponamus. Teſtes autem etc. Datum Lugduni 2. Kalen. Martii. Anno ſecundo.

Verum non diu haec concordia ſtetit An. MCCLI. STEPHANO VANCSA Archiepiſcopo Strigonienſi a Pontifice INNOCENTIO IV. ad *Praeneſtinam* Eccleſiam translato BELA Rex aulae ſuae Cancellarium BENEDICTVM Colocenſem Archiepiſcopum ad Strigonienſem Archiepiſcopatum transferre conſtituit. Adit eam ob rem per Legatos, atque literas Pontificem: Negat ſemel, atque iterum. Sed non ceſſit Rex: En literas ab eo tertias ad Pontificem datas ap. PETERF. P. I. Edit Vien. f. 69. Poſon. f. 70.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino I. Diuina Prouidentia Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Summo Pontifici.

B. *Dei Gratia Rex Hungariae, filialem in omnibus reuerentiam debitam, ac deuotam. Non adiicientes Paternitatem veſtram pluribus occupatam, diutius detinere, ecce breuiter, et laicaliter, et tamen veraciſſime coram Deo dicimus; quod ſi vultis ſaluare Eccleſiam Strigonienſem, et exaltare Colocenſem, et vniuer-*

ſis

ſis regni noſtri Eccleſiis prouidere; poſtulationem de perſona venerabilis Patris B. Archiepiſcopi Colocenſis, aulae noſtrae Cancellarii, viri vtique omni bonitate praeclari, et experti ad Eccleſiam Strigonienſem factam, pro qua vobis ſemel, et ſecundo ſupplicauimus, et nuncium omni deuotione et adfectione pariter cum deuotis veſtris filiis, noſtris, et toto regno noſtro inſtantiſſime ſupplicamus, et in ſignum ſpecialis dilectionis adfectuoſiſſime poſtulamus. Admittere dignemini Pater ſanctiſſime, certo certius tenentes, quod per ſolam ipſius prouidentiam eminentem, dicta Strigonienſis Eccleſia in ſpiritualibus, et temporalibus reformari poterit. Et reformata ſalubriter gubernari. Hoc quoque in verbo veritatis, teſte Deo dicimus, et adiicimus ad cautelam, quod nec nos, nec Capitulum Strigonienſe, nec Barones, nec caeteri homines Regni noſtri in aliquem alium conſentimus. Et ſi quiſpiam quantacunque dignitate praefulgens, etiamſi Angelus alium ſuggeſſerit, nullo modo credatis. Exaudite Pater benigniſſime tot vota ſupplicantium; et ſaluate totam Eccleſiam Hungaricam, dando tam nobile ſpectaculum, et exemplar, et nos exinde, vna cum noſtris ad vniuerſa beneplacita veſtra amplius conſtringetis, deuotiores reddendo de deuotis. Ecce vno corde, et puro, vna voce, et veraci ſalutem noſtram, et noſtrorum adtendentes in hac parte, vos clamamus cum

ſumma fiducia, Pie Pater! Caetera nuncii, quos paternaliter expedite. Datum Zamar 10. Idus Octobris.

At enim nec iſtis quidquid effectum eſt. Quare iterum precibus Pontifex exorandus erat. Epiſtolam vulgauit PETERFIVS P. I. f. 70.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino F. Diuina prouidentia Sacro-Sanctae Romanae Eccleſiae ſummo Pontifici.

Bela Dei Gratia Rex Hungariae, deuotam obedientiam cum reuerentia filiali. Feruor deuotionis continuae, qua Sacro-Sanctam Romanam Eccleſiam Matrem noſtram ſumus ex intimis amplexati, adſectus etiam ipſius, quo nos hactenus in omni requiſitione noſtra fauorabiliter proſequens, maternaliter exaudiuit, mirari nos cogunt, Pater Sancte! quis falſis, et iniquis perſuaſionibus aures veſtrae Sanctitatis adeo perpulſauit, ut erga nos veſtrae benignitatis animum immutaret, et non ſolum repulſam, quam nunquam ſenſimus vſque modo, in noſtris petitionibus iuſtiſſimis, et honeſtis, per vos immerito pateremur: ſed et exſpectantibus conſolationem, grauamina; laeta ſperantibus, triſtia prouenirent? Ecce etenim pro admittenda poſtulatione canonica, conſona, et concordi, et quaſi per inſpirationem communiter ab omnibus de perſona Venerabilis Patris

B.

B. *Archi-Episcopi Colocensis Aulae nostrae Cancellarii in Strigoniensem Metropolim celebrata, vna cum Ecclesia postulante, totiusque Regni Clero, ac populo, quorum omnium utilitati publicae, in ipsius translatione salubriter consulitur, adfectuosissime nuper supplicantes, non sumus apud vestram immensam pietatem, qua singulis, et vniuersis adfluere consueuistis, quod non sine dolore dicimus, exauditi; quanquam Consilium, et adsensus Domini S. Cardinalis Episcopi Praenestini, sicut per vestras literas receperat in mandatis, vel vt verius fateamur, vestrae Sanctitatis Authoritas, cum is, cuius authoritate fit, facere intelligatur, grande nobis supplicantibus adminiculum, imo potius felicem effectum praestitisse debuerint in hac parte. Confusione quippe, ac rubore adficimur, quod tam legitime, ac solemniter facto negotio consensum Regium sicut de iure decuit, adhibentes, repellimur vt indigni et ad fontem pietatis adcurrentes, nec guttam valuimus reportare: praesertim cum non solum ob postulantium vota concurrentia, sed et postulati merita, quibus idem multipliciter effulgens, se Deo, et hominibus reddidit gratiosum, consensus noster debitus fuerit, et merito adprobandus. Cum enim Strigoniensis Antistes, sit primus inter Ecclesiasticos, et saeculares Principes, qui nobis consilio, et auxilio in omnibus arduis, et secretis Regni nostri ne-*

gotiis debet adſiſtere, cuius etiam praeſentia carere non poſſumus, vix in breuitate; merito adſumi debuit in dictam Eccleſiam, qui omnibus amabilis pro ſua reuerentia habitus, et omnibus adprobari meruit ex condigno.

Talis autem eſt ille Venerabilis Pater, de quo nunc eſt nobis ſermo; et ideo non in priuato, ſed in publico, non in angulo, ſed in tecto eſt vtique collocandus, vt tanquam lucerna ſupra candelabrum poſita, cunctis luceat in exemplum, et ex ſuae bonitatis adfluentia locupletentur largius vniuerſi. In Eccleſia enim Strigonienſi idem conſtitutus, tanquam in medio ſtans, omnem ſuam communicat vtilitatem, publice circumquaque. Praeiudicium quoque ex translatione ipſius, nec Colocenſi Eccleſiae, nec cuiquam alii generatur, cum et dictae Eccleſiae Colocenſi, et quibuslibet aliis, idem in Archi-Epiſcopum Strigonienſem adſumptus, poſſit vtilius conſulere, efficacius proſpicere, ac propenſius prouidere. Nec iſtud tanquam nouum his attentatur temporibus, ſed etiam in transactione, huiuſmodi translatio celebrata reperitur, et pariter adprobata, nec ſine cauſa; cum vtilitas publica priuatae ſit merito praeferenda. Memoratus etiam Dominus S. Cardinalis, cum de Gremio fuerit Eccleſiae Hungaricae, et earum ſtatum ad plenum agnouerit, nullatenus ex certa ſcientia conſenſiſſet, taliter poſtulationem eam dicens, et faciens,

ad-

adprobando; cui et consilio adfuit, et postmodum reddendis Deo laudibus interfuit, et ore proprio orationem consuetam in talibus dixit, si exinde cuiquam fieri praeiudicium inspexisset, vel aliqualiter credidisset.

Ad hoc, cum de mandato vestro infra certos dies ad electionem, seu postulationem faciendam Canonici Strigonienses processerint, et auctoritate vestra Dominus S. Cardinalis, sicut in vestro mandato continebatur, quamquam nobis irrequisitis, eandem probauit, patet euidenter, quod postulatio ius exstitit acquisitum. Consequens ergo est, quod sine praeiudicio, et confusione postulati, et pariter postulantium, vt salua reuerentia Vestrae Paternitatis loquamur, tam legitime factum non debuit, vel potuit immutari. Quia, etsi ex plenitudine potestatis omnia possitis; potestati tamen Vestrae renunciasse videmini in hac parte: sicut et ipse Deus, cuius vices geritis in terris, non omnia facit potentia ordinata, seu conditionata, licet possit omnia potentia absoluta. Hoc igitur tantum posse debetis, vt fiducia filiali diximus, quod de iure potestis. Non enim debet inde iniuriarum nasci occasio, unde iura prodierunt.

Supplicamus itaque, et rogamus humiliter, ac deuote, Sanctitatis vestrae Clementiam; quatenus dignemini reducere ad memoriam, qualiter Sancti progenitores nostri, vna nobiscum,

ſcum, vel potius nos cum ipſis, et poſt ipſos elaborauimus in plantatione, et ampliatione fidei Catholicae, ſicut manifeſtum eſt de ſollicitudine noſtra, ac diligentia in conuerſione Cumanorum nuper ad fidem reuocatorum, et venientium omni die, nec non in reuocatione Ruthenorum ad obedientiam Sedis Apoſtolicae, quorum Nuncii, vel iam acceſſerunt, vel ſunt ad vos in proximo reuerenter acceſſuri; et recogitantes, qualiter in obedientia prompta, reuerentia humili, honorifica, et munifica receptione Legatorum, et aliorum Nunciorum Sedis Apoſtolicae, inter omnes Reges, et Principes Catholicos Sedem Apoſtolicam dilexerimus. Et hos ab expeditione noſtra, et petitione iuſtiſſima, Pater Sanctiſſime, non confundatis, quin potius vt nos, et Principes Regni noſtri promptos ad omne beneplacitum veſtrum faciatis merito promtiores, poſtulationem tam legitime factam, cum omni integritate iurium Archi-Epiſcopalium paternaliter admittatis. Alioquin non ſolum noſtrae, ſed etiam videremini in hac parte, Diuinae reſiſtere voluntati: quia omnis Clerus, Princeps, et populus, tam pauperes, quam diuites, a maiori uſque ad minorem petunt, et deſiderant Venerabilem Patrem noſtrum, Benedictum in Patrem, et Paſtorem Eccleſiae Strigonienſis promoueri, et vt laicaliter, ſeu vulgariter loquamur, populi, eſt vox Dei, et fama vulgi, ſpeciem obtinet Prophe-

phetiae. Datum in insula Leporum, quinto Idus Maii. Anno 1252.

Demum an. MCCLIII. STEPHANVS VANCSA a Pontifice certis conditionibus impetrauit, vt ad Strigoniensem Ecclesiam rediret, quod ex epistolis a Pontifice ea de re scriptis nouimus. Sunt autem istae ap. KOLLARIVM Cap. XXII. pag. 166.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Episcopo Praenestino.

Etsi erga Ecclesias singulas ex Apostolatus officio illam praecipue adhibeamus sollicitudinem, vt ad earum regimen pastores discreti, et vigiles adsumantur, circa Romanam tamen Ecclesiam in adsumendis ad eam personis vtilibus, et diligentiores nos esse conuenit, quo eadem dispositione diuina magistra, et regula ceterarum praecelsior esse dignoscitur vniuersis. Sane vacante olim Praenestinensi Ecclesia nos personam idoneam pro ipsius gubernatione consideratione sedula perquirentes, te tandem tunc Strigoniensem Archiepiscopum inter caeteros virtutum tuarum suadentibus meritis, praeeligentes, et aduocantes, velut ex nimia probitate famosum ad ipsius Ecclesiae Rom. Collegium dictae Praenestinensis Ecclesiae de fratrum nostrorum consilio in Episcopum praefecimus, et potiorem te ad illam de Strigoniensi Ecclesia transferendo. Demum ipsius Ec-

clesiae Praenestinae suscepto regimine, metuens postmodum aëris intemperiem inexperti, et nonnulla impedimenta, multasque necessitates exponens, propter quae tuae non expediebat personae in Italicis partibus commorari, cum instantia petiisti sibi super hoc circumspectione Apostolica prouideri. Licet autem nobis et eisdem fratribus tua plurimum sit cara praesentia, nec ea, multa vtilitate perspecta, quam ex ipsa praedicta Rom. consequebatur Ecclesia, vllatenus carere vellemus, praefato tamen quodsi velle habemus te nobis adesse, vt abesse huiusmodi adsistentia sibi non possit, nec ob id personam tuam periculis subesse contingat, suis postulationibus consideratis adtente praemissis benigno concurrentes adsensu, licentiam tibi quamquam inuiti concedimus ad praefatam Strigoniensem Ecclesiam redeundi, et te ipsi Ecclesiae in Archiepiscopum, et Pastorem praeficimus de fratrum eorumdem consilio, et plenitudine potestatis. Verum indemnitati memoratae Praenestinae Ecclesiae nos conuenit praecauere, deliberatione cum fratribus ipsis perhibita sic te volente, ac petente duximus prouidendum, vt quam cito vsque ad festum omnium Sanctorum proxime venturum praedictae Strigoniensis Ecclesiae possessionem habueris, praefata Praenestina Ecclesia, et Cardinalatus tui dignitas statim vacent: quodsi vsque tunc possessionem huiusmodi non obtinueris, et post festum ipsum,

vel

vel etiam ante, possessione ipsa non habita, reuerti ad Apostolicam Sedem elegeris, redire tibi liceat cedendo eidem Strigoniensi Ecclesiae in manibus alicuius Praelatorum regni Vngariae, quem elegeris, recipientis cessionem huiusmodi vice nostra Capitulo Strigoniensi priusquam de regno ipso discedas libera concessa licentia sibi de pastore idoneo prouidendi, ita tamen, quod infra festum natiuitatis Dominicae proxime futurum ad nostram praesentiam sis reuersus. Siue autem in Vngariae remanere partibus potius acceptaueris, siue non, dummodo ad nos infra praedictum Natiuitatis festum reuersus non fueris, nihilominus vtroque casu vacent Ecclesia Praenestina, et dignitas memorata. Datum Assisii. 7. Idus Iunii, anno X.

CAPITVLO STRIGONIENSI.

Olim fama nominis Ven. Fratris nostri Episcopi Praenestini ad aures nostras crebra fide dignorum insinuatione perlata, ipsum propter hoc ad Rom. Ecclesiam non indigne prouidimus euocandum, et quamuis ad ipsam accedens honorabilem locum exigentibus suis meritis sortitus fuerit in eadem, eo tandem adserente propter insueti aeris intemperiem, tum ob hoc tum etiam propter alia, quae in Vngariae partibus sollicitudini suae imminere proponit licentiam

redeundi ad partes easdem, natalis ſoli eum ad hoc attrahente dulcedine, a nobis, et fratribus noſtris, non absque importuna inſtantia poſtulauit. Verum licet ſua petitio in hac parte grauis, et moleſta nobis non modicum videatur, maxime cum nos, et patres praedicti ſua grata, et votiua praeſentia defraudemur inuiti, ſuis tamen deſideriis ſuper hoc vrgente nos ad id ſuorum impreſſione precaminum acquieſcere cupientes, Archiepiſcopatum Strigonienſis Eccleſiae de fratrum noſtrorum conſilio ſibi de ſpeciali gratia duximus conferendum. Spe nobis propoſita, quod auctore illo, qui dictas virtutes praemia tribuit, et gratiam gratiae ſuperaddit, dicta Eccleſia per diligentiae ſuae ſtudium ſicut hactenus, ſic et inpoſterum grata in ſpiritualibus, et temporalibus ſuſcipiet incrementa. Ipſum ergo ad eandem Eccleſiam curam eius acturum cum plenitudine noſtrae gratiae remittentes, Vniuerſitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta praecipiendo mandamus, quatenus eundem recipientes hilariter, et honeſte tractantes ſibi tanquam Patri, et paſtori animarum veſtrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis obedientiam, et reuerentiam debitam, et deuotam, eius ſalubria monita, et mandata ſuſcipiendo deuote, ac irrefragabiliter obſeruando, alioquin ſententiam, quam idem propter hoc etc. vſque obſeruari. Datum Aſſiſii 5. Idus Iunii, anno X.

Verum

Verum frustra is conatus fuit, neque STEPHANVS vnquam deinceps Strigoniensem Ecclesiam rexit; Quin constat BENEDICTI translationem firmatam fuisse. Vid. PETERFIVM *Conc. Hung. P. I. fol. 73.*

Literae Theophili Capituli Strigoniensis Praepositi, ad Capitulum Agriense datae, quibus approbatur electio Episcopi Agriensis a Capitulo facta Anno 1323.

Theophilus Sanctae Strigoniensis Ecclesiae praepositus, dilectis sibi in Christo fratribus, sociis, et amicis charissimis; Domino Petro Praeposito, et Venerabili Capitulo Ecclesiae Agriensis, Nobilibus, Iobbagionibus, ciuitatibus, populis, et cuiuscunque conditionis, aut status hominibus, ad eandem Ecclesiam pertinentibus. Salutem in Domino sempiternam.

Vacante eadem Ecclesia Agriensi Domino Martino quondam Episcopo vestro, Diuina vocatione viam vniuersae carnis ingresso, vos Praepositus, et Capitulum, die, et termino ad celebrandam futuri vestri Pontificis electionem ad hoc adsignatis, habito inter vos tractatu, et deliberatione matura, ac nominationibus diuersarum personarum, inter vos praemissis, tandem inuocata gratia Spiritus Sancti, in Venerabilem, et Discretum virum Dominum Chanadium, tunc Praepositum Varadiensem Secretarium, Notarium, et Comitem Capellae Domini Nostri Caroli, Dei Gratia Illustris Regis

Hun-

Hungariae, Doctorem decretorum vnanimiter, et concorditer direxistis vota vestra, et ipsum vobis in Episcopum, et Pastorem, nemine discrepante, canonice, rite, et legitime elegistis, et postmodum huiusmodi electione vestra sic solenniter celebrata, ad praesentiam Venerabilis Patris nostri Bogeslai Ducis Tostensis, Dei, et Apostolica gratia eiusdem Sanctae Strigoniensis Ecclesiae Archi-Episcopi, ipsiusque loci Comitis perpetui, Metropolitani vestri, Domini nostri, cum decreto electionis reuerenter, prout moris est, accessistis, et confirmationem electi viri memorati instanter petebatis. Verum quia idem Dominus noster Archi-Episcopus quodam impedimento legitimo, eo tempore fuerat praepeditus, et personaliter ad confirmationem praedictam intendere, prout volebat, non potuit nobis examinandi processum, formam electionis, personam electi, et ipsum decretum electionis, et confirmandi personam electi, post habitam diligentem examinationem, ac munus consecrationis per quemcunque Episcopum Catholicum eidem impendendi plenam, et liberam, ac ordinariam, authoritate Metropolitana tradidit potestatem, ratum, gratum, et firmum habiturus, quid per nos, in persona dicti Domini nostri electi ageretur.

Nos igitur, omnibus praemissis diligenter inspectis, et examinatis iuxta statuta sancto-

rum

rum Patrum, nouissima, et antiqua edictum siue Bullam in eadem Ecclesia Agriensi, per Religiosum virum Fratrem Iacobum, Praepositum Sancti Stephani de Promontorio Varadiensi fieri fecimus; vt quaecunque contra formam electionis, aut personam electi vellent, aut possent quicunque obiicere, vel opponere, Sabbatho proximo post octauas Epiphaniarum Domini, nunc praeteritas coram nobis in loco, ad hoc eis adsignato personaliter, vel per Procuratorem legitimum, sufficienter instructum comparerent. Ipso itaque termino adueniente, nullus de citatis per nos legitime expectatis, adparuit contradictor. Quibus praemissis, et taliter legitime terminatis, ipsoque Domino electo, et quibusdam discretis viris, de ipso Capitulo ad hoc deputatis, confirmationem suam instanter petentibus, ne ipsa Ecclesia diutius in temporalibus, et spiritualibus detrimentum patiatur, nos authoritate Dei omnipotentis, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli ad honorem, et gloriam eorum, et Beati Ioannis Euangelistae, Patroni eiusdem Ecclesiae, et authoritate Metropolica nobis commissa, et vice, nec non potestate Capituli Ecclesiae Strigoniensis sub spe ratificationis, et ratihabitionis Sanctissimi Patris, Domini Ioannis Diuina prouidentia Sacro-Sanctae Romanae Ecclesiae Summi Pontificis, die veneris post diem memoratum, in Ecclesia S. Georgii Martyris in

Temes-

Temeswar, coram Venerabilibus Patribus, Dominis Epiſcopis, qui tunc praeſentes aderant, et aliis diſcretis viris Clericis, ſaecularibus, et religioſis ac copioſa multitudine fidelium, inuocata gratia Spiritus Sancti, ipſum Dominum Chanadinum electum, duximus canonice confirmandum, et ipſum praefecimus in eiusdem Eccleſiae Agrienſis Epiſcopum, et Paſtorem, cui tandem per ſacras manus Venerabilis Patris Domini Benedicti, Dei Gratia Chanadienſis Epiſcopi, adſiſtentibus ſibi Venerabilibus Patribus Domino Nicolao Iaurinenſi, Ivanka Varadienſi, Dei Gratia Eccleſiarum Epiſcopis, praeſente, et Venerabili Patre, Domino Ladislao eadem, Dei, et Apoſtolica gratia Colocenſi Archi-Epiſcopo, et ad hoc conſentiente, et licentiam tribuente, cum in ipſius eſſet prouincia, die Dominica ſequenti in Eccleſia S. Ladislai Fratrum Praedicatorum in Temeswar, munus, et beneficium conſecrationis fecimus impendi Domino largiente. Quapropter deuotioni vniuerſitatis veſtrae, eadem auctoritate freti, in virtute S. obedientiae, et ſub excommunicationis, ac interdicti poenis, mandamus firmiter iniungentes; quatenus eundem Dominum Chanadinum Dei Gratia Epiſcopum Agrienſem, tanquam Dominum Epiſcopum, et Praelatum veſtrum, cum reuerentia debita, et obedientia fideli recipere debeatis, eidem omnia ſeruitia debita, et conſueta, certis,

et

et debitis temporibus impendatis; adeoque puniendi huiusmodi rebelles, et contumaces, idem Dominus Episcopus plenam, et liberam habet, et habere dignoscitur potestatem. In cuius rei memoriam et testimonium, ac perpetuam firmitatem, prae venerabili Patri Domino Chanadino, Dei gratia Episcopo vestro praesentes conscripsimus literas adpensione sigillorum eiusdem venerabilis Patris Archi-Episcopi Strigoniensis, et Domini nostri, et nostro roboratas, ac munitas. Datum, et actum in Temeswar Dominica die supradicta. Anno Domini millesimo, tercentesimo, vigesimo tertio.

§. XI.

STEPHANO V. Rege, quum biennio summam potestatem obtinuisset, vita functo filius eius LADISLAVS IV. successit. Litis sub eius regimine exortae causa fuit: NICOLAVS P. PHILIPPO Episcopo Firmano legationis Apostolicae munus in regno Hungariae aliisque adiacentibus commisit. Vid. RAYNALDVM ad an. MCCLXXVIII. Noluit eam in principio admittere LADISLAVS, mandatorum Pontificis, vt videtur, non ignarus. Sed mutauit mentem. En literas iuramenti ab eo praestiti supra in Tit. I. de SS. Trinitate, et fide catholica, pag. 7. et ap. KOLLAR. cit. ap. Lib. III. cap. II. pag. 175.

Ex quibus patet, LVDOVICVM in articulos Synodi Budensis a Philippo Apostolicae Sedis Legato celebratae iurare prius fuisse adactum, quam Synodus ipsa celebrata fuerit. Quo id factum consilio fuerit, non difficulter coniiciet, quisquis eius Synodi capitula a PETERFIO Conc. Hung. P. I. editos perlustrauerit; iis enim articulis semel receptis actum erat penitus de iure regio nominationis. Ecce enim Cap. XV. ita cautum est: *Ne quis*

beneficium ecclesiasticum accipiat, de manu laicorum. Cap. XXIII. f. 111. haec sunt:

DE INTRVSIS IN BENEFICIA.

Quia multorum adsertione comperimus, et pro certo didicimus, quod in multis Ecclesiis, ac monasteriis, et ecclesiasticis beneficiis nostrae legationis, multi per secularem potentiam absque libero, et legitimo ecclesiasticarum persònarum adsensu, ad quas ipsarum electio, ordinatio, prouisio, et institutio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi, et quotidie intruduntur contra sacrorum instituta canonum, et ecclesiasticam libertatem, ex quo multa prouenerunt, et proueniunt quotidie detrimenta, et animarum deploranda pericula subsequuntur: statuimus, quod nullus laicus, cuiuscunque auctoritatis extiterit, siue status, aliquem de cetero in Ecclesiis, vel monasteriis, aut ecclesiasticis beneficiis legationis praedictae ponere, vel intrudere quacunque occasione, vel auctoritate quin potius transgressione, seu temeritate, praesumat, saluo, et reseruato iure patronatus veri competentis patroni, prout canonica iura declarant. Decernimus autem institutiones, siue intrusiones talium nullas esse, nullumque ius competere sic intrusis, et nisi intrusi huiusmodi infra sex menses, Ecclesias, monasteria, siue beneficia, quae defacto, modo sunt adepti praedicto, omnino, et sine difficultate dimiserint; et quicunque alii de caetero aliqua beneficia ecle-

clesiastica per manus receperint laicorum, et electionibus, postulationibus, prouisionibus, seu institutionibus ad minas, comminationes, terrores, siue impressiones laicorum quorumcunque aliorum praesumserint consentire, ex tunc se sciant excommunicationis sententiae subiacere; ipsosque per dioecesanum, et alios, quibus Ecclesiae, monasteria, et beneficia sunt subiecta praedicta, arctius compellendos ea dimittere, et satisfacere de fructibus, et prouentibus exinde perceptis; inuocato ad talium proteruiam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Hunc quoque in censum referri debet Cap. XXXVI. ibid. f. 114.

Vt bona ecclesiastica alienare non liceat:

Probibemus insuper, ne inferiores Praelati absque Episcoporum, nec ipsi absque Archi-Episcoporum, nec ipsi Metropolitani absque Sedis Apostolicae licentia speciali, aliqua de bonis immobilibus, vel iuribus ad monasteria, siue Ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus a iure permissis, alienare praesumant, quod si contra fecerint, pro irrito habeatur: et alienantes, si inferiores praelati sint, a suorum ordinum, Archiepiscopi, et Episcopi a Pontificalium executione sint ipso facto suspensi, quam suspensionem superiores ordinarii alienantium, alienatis prius ad ius, et proprietatem monasteriorum, seu Ecclesiarum reuocatis, vel alias

indemnitati ipſorum monaſteriorum, et Eccleſiarum prouiſò, valeant relaxare.

Diſſoluta haec Synodus eſt, antequam perficeretur, PHILIPPO ex Hungaria expulſo. Quod Regis factum NICOLAVS III. P. iniquo animo ferens duriora in Regem parabat quidem, ſed animum tamen eius prius literis tentandum cenſuit. Epiſtolae exemplum hoc eſt ap. PETERF. P. I. f. 96.

Regi Vngariae illuſtri Spiritum Conſilii ſanioris.

Militantis Eccleſiae Pater aeternus proprium Filium Ieſum Chriſtum, praeter quod nemo aliud ponere poteſt, poſuit fundamentum. Ad cuius Eccleſiae regimen voluit Chriſti Clementia Romanum Pontificem vice ſui deputari miniſtrum, vt eius fidem, inſtructionem, atque doctrinam, eloquio veritatis euangelicae traditas, cuncti renati fonte baptiſmatis teneant, et obſeruent. Qui enim ſub hac fide laudabiliter curſus vitae peregerint, Saluatoris gratiam merebuntur; et qui ab ipſa declinauerint, ſunt damnationis aeternae ſententiae feriendi. Hoc itaque miniſterium Apoſtolicae ſeruitutis expoſcit, hoc ſolicitudo noſtra requirit, et ad hoc continuis vigiliis anxiamur potiſſime, vt fides ipſa vbilibet ſeruetur, et vigeat, ſubmotis quibuslibet nubibus, clare reluceat, et effundat in ſingulos illam profitentes libere ſuos radios claritatis; nec minus pro Eccleſiaſtica libertate ſeruanda curis quotidianis inſiſtimus, et quietem quaerimus fidelium populorum, in iis paſtoralis officii debitum exſoluentes.

tes. Vnde non indigne de tua regnique tui ſalute more patris ſoliciti cogitantes, ab olim intellectis tumultuoſis motibus dicti regni, et ſeditioſis tumultibus incolarum illius, qui per diſſidia ſimultatum alterutrum diſſidebant, et mutuis congreſſibus collidebantur immaniter, quae quidem, dono pacis poſtpoſito regale ſolium grauiter deprimebant, eiusque depreſſo regimine non ſolum in regno ipſo vaſtabantur bona fidelium, ſed iura Eccleſiarum, et aliorum, piorum locorum diripiebantur enormiter, et libertatem Eccleſiaſticam inſolentia damnabiliter conculcabant, animarum quoque ſubſequebantur deploranda pericula, nefanda perſonarum excidia, et alia fere innumera detrimenta; nos veriſimiliter haeſitantes, ne ex iis fidem ipſam vacillare, libertatem eamdem, et iuſtitiam conculcari, ac errores Schiſmaticos pullulare contingeret; licet conſideraremus interdum, ſi concurriſſet cum poſſibilitate decentia, noſtram ibidem exhibere praeſentiam, vt circa haec praeſentialiter ſtudia noſtra verſando, apud Deum, et Patrem retributorem omnium in ſic gratis, et acceptis obſequiis mereremur, tua culmina praeſeruaremus a fluctibus, et tam te, quam dicti regni populum praeſentialibus, reficeremus affatibus; et exhibitionibus ſpiritualium gratiarum; quia tamen id non patiebatur noſtra conditio, nec emergentium vndique negotiorum immenſitas permittebat, vene-

rabilem fratrem nostrum Philippum Episcopum Firmanum Apostolicae Sedis Legatum, de cuius industria, circumspectione prouida, et fidei puritate confidimus, ad partes illas tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, vt personam nostram praelatis, tibi, ac aliis illarum partium Catholicis, et aliis praesentaret; et quae Deo placitura, dictoque regno ad salutem profutura, et ad Christianae fidei, ac tui status fulcimenta pertinere cognosceret, auctoritate nostra munitus impleret. Vtinam hac in parte nostris desideriis satisfiat.

Profecto de adfectibus paternis adloquimur, et tibi nostrae mentis aperimus intrinseca; vt de patris pectore colligas, quod tuae prosperitatis commoda quaerimus, et in tuis successibus prosperis delectamur; deuota quoque horum adtentione percipias, quod tuae salutis zelatores existimus, nec omittimus actus tuos dirigere precibus, interdum linire commonitis, et ad te, cum expedit, correctionis paternae virgam extendere, ac illa feriente ad te indecentia quaeque prorsus excutere, vt illis expiatis munde reniteas Deo, Patri, et nobis filius praesenteris electus, et exultent corda fidelium in lumine vultus tui, tuque prospere procedens et regnans, tandem participationem aeternae gloriae merearis: et si qua forsan ex nostris eloquiis amara colligeres, tenere te volumus,

-mus, quod ex amoris dulcedine talis amaritudo procedit, et finaliter a te grate perceptadulcescet.

Licet itaque in primo ipsius legati progressu, displicuerit nobis et merito, quod, sicut audiuimus, tu eius reformidans aduentum, et ingressum forsitan dubitans, illum dicebaris (quod inuite referimus) impedire; cum non deceret de patre filium dubitare, nec opinari, seu debere praesumere, quod Romana Mater Ecclesia (quae munifica singulis non solum filios benedictionis gratae complectitur, et dulcedinis lactat vberibus: verum etiam aberrantibus, vt neminem suae relinquat benignitatis expertem, potius mansuetudinis sinum pandit ad gratiam, quam in illos iudicium exerceat vltionis) in te saeuiens quidquam tibi nociuum transmitteret, vel Celsitudini Regiae, ac Regno praedicto, quod in memoria nostra tenemus acceptum, quod Christi Ministros producit electos, et viros religione foecundos, inclytos Catholicae fidei professores; et in quo degit catholicus populus mandatorum Domini sectator eximius, peregrinationibus, poenitentiis, et aliis piis vacans operibus, prout in pluribus experimur, fomenta negaret propinare salutis; tamen resumsimus in mente laetitiam gratanter audito, quod tu postmodum, ingressu dicti Legati percepto de ipsius inductionibus, et salutaribus monitis conformasti, et animum tuum ad omnipotentem Dominum, vt videbatur, de-

uote concurrens, dicta tibi per eundem legatum tam super obseruatione fidei, ac decretorum, et consuetudinum progenitorum tuorum, et conseruatione libertatis Ecclesiasticae; quam haereticorum expulsione de regno praedicto seruare, ac in terris tuis seruari facere, super altare, tactis Euangeliis, promisisti: quodque ipsius legati monita super liberatioue Christianorum, quos Cumani, et alii Pagani sub seruitute tenebant, benigne recolligens, quod Christianos a Cumanorum obsequiis retraheres, quod compelleres Cumanos ad habitandum in domibus solo fixis, et ex eis baptizatos potissime ad destructionem cogeres Idolorum; nullum etiam infidelem, vel quem scires excommunicatione ligatum in Officialem Regium, vel Familiarem admitteres, quod tam in te, quam in illis in regno tuo, dimisso paganorum abusu, resumeres Christianorum habitum tam in vestibus, quam capillis; Cumanos insuper restituere monasteria, et Ecclesias, occupata per ipsos, ac apostatas dicti Regni ad ordines redigere compelleres, cum ab eorum Praelatis existeres requisitus, et quaedam alia directionem Regni et salutem continentia status tui coram ligno crucis solemniter in altari, primo, et iterum regia fide data Vngarico more iurasti. Et dum exspectaretur, quod in huiusmodi proposito salutari concresceres, praedicta sic promissa pluries, et iurata per te non fuerunt, proh dolor!

vt

vt ſperabatur impleta, quamquam Cumanorum Nuncii certos recepiſſent, et adprobaſſent articulos, vno excepto, videlicet de barbis radendis, et crinibus breuiandis, ad quod te Praelatis, et Baronibus Regni praedicti, eundem legatum inducentibus, tu eidem legato, quod cetera alia ſeruari faceres, promiſiſti coronam et Regnum tuum propter hoc ſpecialiter obligando. Et poſtmodum pro eo, quod praemiſſa, quae promiſeras, et iuraueras, vt praedicitur, adimplere diſtuleras, te grauiter deliquiſſe humili ſpiritu recognoſcens, iterum cum obligatione ſimili per manum dextram regia fide data, Vngarico more ſimiliter, et denuo te excommunicatum, et regnum tuum propter hoc iuſte interdicto fuiſſe ſuppoſitum recognoſcens, tactis ſacroſanctis Euangeliis iuraſti, et renunciando adpellationibus, exceptionibus, et impugnationibus quibuslibet promiſiſti etiam implere per omnia ſupradicta.

Sed nec iis, non ſine nota tui nominis, prout decuit, obſeruatis, miramur, et mirando tibi compatimur, et compatiendo dolemus, quod te famam regalis nominis reprehenſiue inconſtantiae, in Principe maxime, lacerari remorſibus negligentiae ac in vetita toties, non ſine Dei offenſa, et inconſtantia notabili, relabente, praedicta ſic per te iurata toties, et promiſſa, et obligationibus roborata, ne dicamus contemta, reperiuntur omiſſa: et demum

audito, quod te improuide adpellationis refugio, immo potius diffugio commiseras, et praetextu adpellationis huiusmodi, quasi baculo arundineo incautus inhaerens, non solum legato non parebas eidem secundum te ipsum, nec non et alios ab eius praelatorum sibi adhaerentium obedientia, non absque notae macula interdum comminationibus, inductionibus, interdum poenarum inflictionibus retrahebas; in eo potissime tanto grauiori dolore perpungimur, et anxiamur angustia, quanto incautius super his te ipsum, animam, et regnum tua diceris inuoluisse: vnde progredi videris indeuium, et nisi resilias, in ruinam.

Nos itaque more pastoris de commisso nobis grege dominico, et salute tua, iuxta officii nostri debitum, ne videamur in te, ac regno praedicto negligere, quod in Catholicis Christianis amamus, sedulo cogitantes; ac licet nondum ad nos ex parte tua super prosecutione adpellationis huiusmodi nuncii, seu procuratores tui venerint, praemissis absque intermissione tempore occurrentes, te ne sub talibus nubibus cespitando praecipites, pastoris ministerio non adiutus; ad tuam et regni tui salutem sub spe summi Patris promptis adhibitis studiis praeuenimus. Adtende igitur, Rex inclyte, cogita, et reuolue, quo duceris, et a quibus: quid postposueris, et cui, vel quibus inhaeseris. Adtende te ipsum, et vide, quod dicitur, dum auditur, quod regalis Domus Vngarica,

quae

quae consueuit athletas Christi contra infideles producere, ac insurgere ad reprimendam astutiam Barbarorum; et quae viros enutriuit electos Catholicae fidei professores, Deum, et matrem Ecclesiam reuerentes, vltores iustitiae, religionis Christianae seruatores praecipuos, et piorum operum sedulos sectatores; tali, et tanto, quod ex praemissis colligitur, nefando contagio maculetur. Adtende, quod in praesenti negotio agitur causa Christi, a quo non est adpellationibus diuertendum: nam ipse scrutator cordium iudicat illos Deus. Quibus adlegationibus te munies, dum, vt dicitur, iuramentorum, et tot promissorum violator, maxime contra fidem, libertatem Ecclesiasticam, in notoriis insuper in eo etiam, quod est tempore periturum, contra renunciationem tuam, ac salutem propriam, sub pallio talis adpellationis inobediens, coram Christi Vicario praesentaris? Respuunt interdum in talibus adpellationes, ne dum diuina, sed humana iudicia. Quibus te poteris apud iustum iudicem excusare suffragiis, dum salutem tuam, et regalis nominis famam postposuisse sic diceris; et pateris, quod sub tuo praetextu in regno sic catholico, vnde conscripta Sanctorum merita colit Ecclesia, fluctuet fides Christi? Quibus defensionibus poteris coram illo subsistere, qui patiens et humilis miseretur, et commodat: et tandem prouocatus ad iram mucrone durae sententiae ferit, et deprimit obsistentes?

Absit,

Abſit, quod tu talibus contracteris inſultibus. Abſit, quod tantum Principem, et ſic electum regnum, ſicque copioſam fidelium multitudinem periclitari noſtro tempore videamus. O quanta producimus, et quam amara ſuſpiria, dum te addictum regnum, ſic nobis chara, tantis videmus ſubiacere periculis! O quam profunde diſtrahimur, dum aſtutis infidelium ſubtilius iudicamus, et quanto languore diffundimur, dum timemus nequitiam ſitientium Chriſtiani populi colludere veritatem! Nam ipſi Schiſmatici tecum barbarico more luctantes, tibi ſe ipſos ſeditioſa calliditate ſubiiciunt, vt tandem ſibi ſubiiciant tui nominis claritatem. Ad quae diuinam clementiam orationum ſuffragiis humiliter imploramus, vt dignetur ab oculis tuis omnem nubem excutere, per quam poſſet in te ſuperioris luminis beneficium impediri: vt excluſa tenebrarum caligine, quid ſis, et vbi, quid agas, quidque tuis merearis artibus, tam exteriori, quam interiori lumine contempleris. Et nihilominus illius vices gerentes in terris, qui pro oue deperdita ad flagella duci, clauis adfigi, et tandem mortem ſubire voluit, vt mortem noſtram moriendo redimeret, et quas protoplaſti delicto meruimus, miſerias tolleret infernales; nos et fratres iidem, non ſolum in his adhibere, quae videbantur opportuna remedia; ſed nos ipſos etiam, prout tenemur, pro conſeruatione catho-

licae,

licae fidei, ſi expedierit, exhibere proponimus, vt tuam, et regni praefati ſalutem, et ſi oportuerit non ſolum ſpiritualibus, ſed temporalibus correctionibus procuremus.

Et licet ſperemus in bonorum omnium directore, quod ipſe te reducet ad gratiam, et diriget per ſuorum ſemitam mandatorum: ſi tamen, quod abſit, in praeſenti varietate calleſceres, firma fide tenemus, quod nobis aderit ipſe propitius, et ſua potentia praeualebit. Digne quoque confidimus ſic Praelatos, Barones, et populum regni praefati ad Deum, et matrem Eccleſiam ſincera deuotione feruere, et in diuinis beneplacitis radicatos, quod non ſolum te in talibus non confouerent flagitiis, ſed zelo fidei, et feruore Chriſtianae religionis accenſi potius in tuos actus reprobandos inſurgerent pro conſeruanda gloria Redemtoris.

Exſurge igitur per te ipſum, et imbutus ſpiritu ſalutari, mente conſurge: animum tuum regali conſtantia, et ad Creatorem tuum ſerena magnanimitate reforma; et illi pure, ac ſimpliciter irrefragabili ſoliditate ſtudioſius te conforma, et eius nutibus dirige actus tuos, a quo dependent omnium mors, et vita. Exſurge, ne tepeas illius te beneplacitis humili ſpiritu deuouere, cuius eſt proprium miſereri ſemper, et parcere. Conſurge fortis, et prudenter audi verba, quibus te Chriſti Vicarius adloquitur. Illa ſume, ſumtaque diligenter adten-

adtende: nam te dant causam, deducunt ad verbera, vt te ipsum correctione paterna reformes, nec auertas mansuetudinem matris Ecclesiae filium trahentis ad vbera, vt ipsum materna dulcedine liniat, et reficiat gratia salutari. Et exsurgens humiliter de tua, vel cuiuscuis alterius contra Deum potentia non confidas: sicque faciens sicut Catholicus Christianus regalibus circumfultus virtutibus, de quadam Deo placita necessitate virtutem; et in dicto legato personam nostram deuote contemplans, sicut nobis in praedictis, et aliis legato parere, praetextu cuiusquam adpellationis indebitae, vel incauti consilii, non dimittas eidem: sed ei potius sic promte, ac humiliter adquiescas, promtitudine regali corrigas per te in hac parte commissa, et poenitudine plena, et intentione perfecta places altissimum, quod nos, et dicti fratres per ipsius Legati, tuas, Praelatorum, et Baronum regni praefati literas, et alias etiam optata, et Deo accepta gaudia cum efficaci, et deuota regali promtitudine de tuis actibus, dante Domino velociter colligamus: ipse quoque pius pater tibi placatus adrideat, solium, et regnum praedicta solidet, dirigat, et reformet; ac te dictumque regnum vbertate foecundet: tuque progenitorum tuorum sequens clara vestigia, quolibet nubilo fugato reluceas, et plene percipiens nominis diuini fragrantiam, et efficacius ad amorem eius adlectus, ad dona

coele-

coelestis gratiae valeas tanquam benedictionis filius peruenire: nec cogamur, quod facere-mus inuite, circa haec alia remedia cogitare. Datum Romae apud S. Petrum V. id. Decembr. anno II.

Quae Pontificis insignis moderatio ita mouit Regem, vt factum ipse suum publice redargueret. ap. KOLLAR. cit. loc. f. 188.

Ladislaus Dei gratia Vngariae, Dalmatiae, Croatiae Ramae, siue Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex omnibus, ad quos praesens scriptum peruenerit, salutem in auctore salutis.

Cum ad Catholicos, et Deo deuotos Principes, et quoslibet alios Christianae fidei professores principaliter quasi exspectare noscatur, culpas suas agnoscere, et Ecclesias, ac alia pia loca ad vsum pauperum, et egenorum, ac infirmorum Christi aedificare; notum fieri volumus vniuersis, quod cum tempore sacri Concilii per venerabilem patrem Dominum Philippum Dei gratia Firmanum Episcopum, Apostolicae Sedis Legatum, in castro Budensi deuote, et solemniter celebrati, nos feruore iuuentutis contra nostram salutem accensi, et quorumdam prauorum consiliis deprauati, atque seducti in nostram hoc inferri iniuriam aestimantes, quod erat ad propagationem virtu-

tum

tum, exclusionem etiam vitiorum; iudici et ciuibus dicti castri Budensis sub grauibus poenis dedimus in mandatis, vt praelatos regni nostri, ad mandatum Domini Legati praefati ibi occasione dicti concilii congregatos, de castro ipso excluderent, nec aliquos in dictum castrum permitterent introire; quodque eis, et familiae eorundem victualia, et venalia prohiberent. Tandem paterna mansuetudine ab ipso Domino Legato pie, et leniter informati, ad eruditionem, et frequentem inductionem ipsius excessum nostrum in huiusmodi cupientes misericordiae operibus expiari; cum crimina eleemosinis redimantur, in perpetuam eleemosinam ad mandatum ipsius Domini Legati donamus, concedimus, atque offerimus eidem reuerendo patri Domino Legato, recipienti nomine, et vice egenorum, ac pauperum, et infirmorum Christi centum marchas argenti annis singulis perpetuis temporibus ipsorum pauperum et egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas; ad opus construendi vnum hospitale pro sustentatione dictorum pauperum, egenorum, ac etiam infirmorum, et in solatium eorumdem in regno nostro vbi, quando, et sicut praefato Domino Legato videbitur expedire, et per se vel per alium duxerit ordinandum: irrefragabiliter statuentes, quod dictae centum marchae per nos, et successores nostros annis singulis perpetuis temporibus persoluantur de argentifodina

dina nostra Quiyluylchbana vocata circa Scepes, qui per ipsum, vel alium, qui de mandato ipsius, aut per venerabilem patrem Lodo, Dei gratia Strigoniensem Archi-Episcopum ad curam, ministrationem, et gubernationem dicti hospitalis fuerint deputati; nos, et cameram nostram, nostrosque successores ad praedicta omnia, et singula per praesens priuilegium obligantes. Quod si casu aliquo dictam argentifodinam deficere, diminui, vel deperire contingeret, quod dictae centum marchae de ipsius argentifodinae prouentibus solui non possent, adsumimus, promittimus, ordinamus, atque statuimus, nos, et cameram, et aerarium nostra, vt supra obnixi obligantes, quod dictae centum marchae de camera, vel aerario nostris annis singulis persoluantur; tam pro satisfactione praefatae iniuriae, et offensae per nos Deo, et Ecclesiae irrogatae, quam pro nostro, et progenitorum nostrorum remedio peccatorum. In cuius rei memoriam sempiternam, et perpetuam firmitatem praesentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Dat. per manus discreti viri magistri Bartholomaei, aulae nostrae Vicecancellarii, dilecti, et fidelis nostri, anno Domini MCCLXXX. XV. Kal. Septembris, regni nostri anno VIII.

Verumtamen inquietum ſemper fuiſſe LADISLAI imperium; iuraque eius regia ſaepius fuiſſe impedita toto reliquo tempore, quo NICOLAVS III. vixit, ſatis conſtat. De quibus regiae coronae illatis iniuriis queſtus eſt apud MARTINVM IV. Succeſſorem NICOLAI, eamque Pontifex occaſionem nactus eſt admonendi regis. Epiſtolam Pontificis hoc exemplo edidit Raynaldus. vid. ap. KOLLAR. pag. 192.

Regi Hungariae Illuſtri.

Paterna nos monet adfectio, zelus tuae ſalutis inducit, tua regnique tui deſiderata proſperitas interpellat, vt exacta pericula, quae per opitulationem ſolius diuinae gratiae ſuperaſti, repetitione ſummaria tuae mentis obtutibus exponentes, excellentiam regiam ad debitam de tanta tibi conceſſa gratia gratitudinem excitemus, te proinde in concedentis beneplacitis confortantes. Et quidem, fili chariſſime, ſi multiplicata in te tui beneficia Redemtoris ſcrutinio ſolerti recenſeas; ſi praeteritorum euentuum qualitatem deuota meditatione recogites; habes procul dubio, vnde Creatori tuo humiliato ſpiritu in vocem confeſſionis erumpas, ſoloque ipſius beneficio te viuere, ac regnare humiliter fatearis. Recogita itaque, quam paratus eras ad caſum, quam diſpoſitus ad ruinam, quando regno tuo diuerſarum guerrarum conuulſo diſſidiis, et quaſi totaliter tuae ditioni ſubtracto, in manus, tuam quaeren-

rentium animam incidisti. Recognosce, quam gratiose te, iniquorum seductionibus impulsum, et versatum, vt caderes, quam benigne suscepit. Quomodo ipsius dextra, tecum virtutem faciens, te a rugientibus ad escam paratis eripuit, praefatum regnum tuum tranquillitati restituit, et in eo regium solium ad exaltationem status soliti praeparauit; excellentiae tuae satis certis iam datis auspiciis, quod te in suorum mandatorum semita persistente, thronum tuum in statu consuetae altitudinis solidabit.

Persta igitur, et ab omnibus, quae contrarii possent suspicionem inducere, mentem tuam prorsus auerte, teque diligenter adtendens de Sanctorum stirpe progenitum, abhorre ab eorum laudabilibns semitis deuiare: sed eorum vestigia imitanda prosequere, fidemque Catholicam totis viribus deuotus amplectens ad dilatationem illius solerter intende. Mores ab illa quomodolibet, etiam in cultu corporis, et habitu, alienos penitus aspernare. Prauos consiliarios abiice, consilia illorum obaudi: iusti, et in fide sinceri vias tuas regant, et dirigant; nec impinguet peccatoris oleum caput tuum. Adsuesce virtutibus; illis ita iuuenilem animum imbue, vt eas in prouectiori aetate praesentet. Illis taliter adsuesce, quod per consuetudinem mores fiant, nec ab ipsis facile possis auerti, conuersis quodammodo in naturam. Nec excellentiam regalem deterreant

literae quaedam, quas ſuper tuis corona, et regno per miniſtrorum tuorum malitiam conquereris fraudulenter extortas: ſciturus, quod non eſt intentionis Eccleſiae in iura celſitudinis regalis obrepere, vel tecum agere captioſe; imo potius, tuis ad id concurrentibus meritis, velut chariſſimum filium, prout eam decet, apoſtolico fauore protegere, ipſiuſque vberiate quaſi maternis vberibus conuouere. Dat. apud Montemflaſconem II. Kal. Octobris anno II.

§. XII.

Ladislao Rege an. MCCXC. in pugna a Cumanis interemto graues turbae regnum Hungariae exceperunt. Etſi enim Lodomerivs Strigonienſis Archiepiſcopus voluntate Procerum, ac populi Andream Venetum ſolemni ritu Regem inauguraſſet; breui tamen regni aemulos nactus eſt Carolvm Martellvm, et Albertvm Auſtriae Ducem. Iura vtriuſque deſcripta vide ſis ap. cl. Kollarivm *Hiſt. diplom. Lib. III. cap. V. pag. 194.* Moritur anno MCCXCIX. Lodomerivs, cui praeter Regis Andreae voluntatem Bonifacivs VIII. ſuffecit Gregorivm, quem tamen neque Andreas vnquam, neque ſucceſſor eius Wenceslavs pro Metropolita habuerunt. Quae poſt haec geſta ſunt,

non

non describo, quippe turbarum plena. Neque tamen praetereundae fuerunt Constitutiones, quas Fr. GENTILIS Cardinalis, Legatus Apostolicus Ord. Min. in maximis regni dissidiis perferre tentauit iure regio non minus, atque illae Philippi, de quibus supra, contrariae. Eas vulgauit PETERFIVS Conc. Hung. P. I. pag. 141. Quidquid autem de his sit constitutionibus, illud sane certissimum est, nunquam aliter neque receptas fuisse, neque vero recipi etiam potuisse, quam salua Ecclesiae Hungaricae libertate, ac saluo Regum iure. Atque si demus etiam iurasse CAROLVM, Legati eius constitutiones perpetuum esse valituras: nihil tamen eo iuramento Regum iuri detrahi HONORIVS III. P. docuit in *cap. 33. de iureiur.*

Si positus in dignitate alienat bona dignitatis, non valet alienatio, et ipsemet reuocare debet non obstante iuramento de non reuocando, maxime si prius iurat, non alienare.

Intellecto iam dudum, quod charissimus in Christo filius noster Hungariae Rex illustris, alienationes quasdam fecerit in praeiudicium regni sui, et contra Regis honorem. Nos eidem Regi dirigimus scripta nostra, vt alienationes praedictas, non obstante iuramento, si quod fecit de non reuocandis eisdem, studeat reuocare.

Quia cum teneatur, et in ſua coronatione iurauerit iura regni ſui, et honorem coronae adligata ſeruare, illicitum profecto fuit, ſi praeſtitit de non reuocandis alienationibus huiusmodi iuramentum, et propterea penitus non ſeruandum.

Verba Conſtitutionis FR. GENTILIS ita ſonant ap. PETERF. P. I. f. 154.

De ordinatione vacantis Eccleſiae per prouiſionem, electionem, aut poſtulationem facienda.

Sciendum eſt volentibus Eccleſias vacantes ordinare, quod altero de tribus modis ipſis vacantibus prouidetur: aut enim ordinatur vacans Eccleſia per prouiſionem, *aut* electionem, *aut* per poſtulationem ſolemnem. *Prouiſio pertinet ad ſuperiorem, in qua non eſt neceſſaria forma Concilii; electio autem, et poſtulatio ad inferiores, in quibus forma Concilii Generalis neceſſario eſt ſeruanda. Forma autem ipſius Concilii triplex eſt: ſcilicet forma ſcrutinii, compromiſſi, et inſpirationis, vel quaſi; ſecundum alteram iſtarum, quicunque vult eligere, vel ſolemniter poſtulare in Eccleſiis cathedralibus, regularibus, et collegiatis, debet de neceſſitate procedere.*

Per

Per formam autem ſcrutinii, proceditur modo ſubſcripto. Eccleſia enim paſtoris regimine deſtituta, Capitulum, ſiue Canonici praeſentes, ſtatuent terminum ad electionem celebrandam, de quo fiet publicum inſtrumentum, in quo narrabitur, quo, die cedente, vel translato, vel defuncto tali Praelato talis Eccleſiae, eiuſque corpore Eccleſiaſticae tradito ſepulturae, capitulum, ſiue Canonici, qui tunc praeſentes erant conuenientes in vnum, talem terminum cum continuatione ſequentium dierum ad electionem vnanimiter ſtatuerunt, qui terminus erit competens, quod infra illum abſentes, qui vocandi ſunt, citati commode venire poſſint, conſideratis locorum diſtantiis, et perſonarum qualitate, et temporis, non tamen nimis longum, quia in electione mora eſt periculoſa. Et ſi vocandus ſcitur vbi, perſonaliter eſt vocandus; ſi vero neſciatur, vocetur in loco, vbi morari conſueuit, per edictum publicum. Vocatio autem fiet ſub hac forma. P. Praepoſitus, et Capitulum Strigonienſis Eccleſiae, Canonico Strigonienſi, Colocſae moranti ſalutem in Domino. Diſcretioni veſtrae ſignificamus, quod bonae memoriae R. quondam Archi-Epiſcopus noſter, die - - fuit viam vniuerſae carnis ingreſſus, et corpus eius cum debita reuerentia Eccleſiaſticae traditum ſepulturae. Ne igitur Eccleſia noſtra propter diutinam vacationem grauem patiatur in ſpiritualibus, et temporalibus lae-

laesionem, diem - - cum continuatione dierum sequentium, ad tractandum de electione futuri Pontificis, et ad Electionem celebrandam duximus statuendum. Quocirca vos requirimus, et peremptorie citamus; quatenus die ipsa nobiscum conuenire curetis, alioquin nos ex'unc ad eam procedere curauimus vestri absentia non obstante. Quod si vero iusto impedimento detenti venire nequiueritis, et velitis alicui de Canonicis committere vices vestras, ad nos vestrum specialem nuncium, et idoneum transmittatis, qui iuxta statutum Concilii Generalis, de ipso impedimento faciat plenam fidem. Datum etc Hae autem literae erunt apertae, et de praesentatione ipsarum fiet publicum instrumentum, ne possit malitiosè negari citatio, prout aliqui iam fecerunt. Debent autem conuenire in Ecclesia, vel in Capitulo, si possunt, vel in alio idoneo loco, si ibi conuenire non possunt. Sed ex causa, solitus locus mutatur, et locus, et causa in citatione inseratur. Omnibus autem in loco statuto conuenientibus, diligenter deliberent, an per viam scrutinii, an per viam compromissi, procedere velint. Si ergo etiam eligant, de electione huiusmodi, fiat publicum instrumentum, in quo contineatur, qualiter diligenti deliberatione adhibita, placuit omnibus, et singulis, et concorditer omnes consenserunt, per viam scrutinii procedere.

Quo

Quo facto ſi procedant: eligantur enim ex ipſo collegio, et non aliunde, tres fide digni, vel plures, vel pauciores, licet ſit melius, quam tres tantum iuxta Concilium Generale, de qua etiam electione fiat publicum inſtrumentum, quibus detur poteſtas, per idem publicum inſtrumentum, vel per ſcripturam alias authenticam, examinandi vota ſua, et aliorum nullo omiſſo ſecreto, et ſingillatim, et in ſcriptis ea redigendi, et redacta mox in communi publicandi, vt ſciantur, qui in quem conſenſerunt, et meriti ad meritum, et zeli ad zelum, et numeri ad numerum collationem faciendi, et collatione per eos diligenti habita, electionem faciendi, et eum eligendi, in quem omnes inuenerint et maiorem, et ſaniorem partem Capituli conſenſiſſe, ita quod unus ipſorum ſcrutatorum de conſenſu, et voluntate aliorum duorum, vice ſua, et collegarum, et aliorum omnium, qui in eis conſenſerint, electionem pronunciet in ſcriptis, et ſolemniter celebret, et alia faciat, prout compromittentibus placuerit. Huic autem inſtrumento ſuper poteſtate tradita confecto omnes ſubſcribent ſic: Ego talis - - praedictus interfui, et conſenſi, et praedictam poteſtatem eis contuli: et poſtea ſigilla omnium, et etiam Capituli apponantur. Hoc facto iſti tres trahant ſe ad partem, et primo ſcrutentur voces eorum, ita, quod duo ſcru-

 ten-

tentur tertium. Post hoc seriatim, et singulariter vocabunt quemlibet, de capitulo solum, per se, et primo illum, qui habet in electione primam vocem de consuetudine, et dicent ei secrete exemplo Danielis: Frater in electione praesenti habens Deum prae oculis, cuius nunc causa tractatur, non te decipiat odium, amor, vel fauor, non pecunia, quae humanos peruertere solet sensus, non lucro tuo prospicias, sed vtilitati communi: ideo adiuramus te per Deum viuum, et in virtute Spiritus Sancti, et sub periculo animae tuae, quod consentias in eum, et eum nomines, quem ex voto credis utiliorem, et meliorem Ecclesiae, et per quem iura Ecclesiae possunt melius defensari, et tunc ille dicat: Et ego credo P. meliorem, et utiliorem, et in eum consentio, et eum nomino eligendum in Episcopum, et Pastorem, tam interrogatio, et adiunctio, et responsio redigantur in scriptis. Et hoc per Tabellionem Clericum, vel si non possit haberi Tabellio, duo ex eis haec scribant. Completo scrutinio, ipsi scrutatores, mox in illo actu, contrario intermedio redibunt ad Capitulum, et ipsi, vel vnus eorum, aliorum mandato, vota singulorum in communi publicabunt, et praesente Capitulo dicent: Nos examinauimus vota vestra, et singulorum, secreto, et singillatim; placet vobis, quod explicemus? et illi dicent, placet; et publicabunt sic, id est: publice legent, vt, quod secrete

actum

actum est, ab omnibus sciatur. Publicatione facta, collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, et meriti ad meritum fiet per ipsos scrutatores sic: si vota Canonicorum diuersa fuerint, id est, plures, surgent in medio capituli, et publicatis votis incipient a capite, et legent sic: A. B. C. consenserunt in P. item ex altera parte legent D. E. F. consenserunt in M. et sic computabunt dicentes: Nos inuenimus maiorem numerum consensisse in P. Nam cum in vniuersum 40. sint, Canonici 25. consenserunt in ipsum P. et 15. in M. Item inuenimus: quod tot Personae Personatus, seu dignitates habentes consenserunt in P. et plures quam in M. Item inuenimus meliorem zelum ex parte eligentium P. quam ex parte eligentium M. Nam illi elegerunt bonum et vtilem virum, istis autem caro, et sanguis reuelauit suum consanguineum eligendo; item inuenimus P. maioris esse meriti, quia literatior, prudentior, honestior, sanctior, et melior, ac potentior ad iura Ecclesiae conseruanda, quam M. Vbi autem vnus solus est in scrutinio nominatus, non habet locum collatio, numeri ad numerum, vel meriti ad meritum, vel zeli ad zelum; fiet tamen tunc collatio talis per eum, qui maior est, vel per scrutatores. Si vir S. nominatus, sit de legitimo matrimonio natus, competentis scientiae, sufficientis aetatis, et in sacris ordinibus constitutus, et si ista concurrant, proceda-

datur ad electionem, et duo ex ſcrutatoribus, quibus data a Capitulo poteſtas eligendi, tribuant poteſtatem, tertio electionem pronunciandi, et publicandi nomine ſuo, et omnium conſentientium, qui vnus debet eligere, et in continenti electio, et pronunciatio fiet in capitulo primo, in hac forma: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Anno menſe, et die: ego vnus ex ſcrutatoribus a noſtro Capitulo nominatus, et electus ad faciendum ſcrutinium, et electionem futuri Pontificis, ſecundum formam ſuperius praetaxatam, ipſa ſeruata in omnibus, de voluntate, conſenſu, et mandato collegarum meorum, et ex poteſtate mihi tradita, inuocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei, et glorioſae Matris eius, et S. noſtri Patroni, et omnium Sanctorum. P. in quem collatio eſt facta, reperimus omnes, vel maiorem, et ſaniorem partem Capituli noſtri in ſcrutinio conſenſiſſe, in noſtrum, et Eccleſiae noſtrae Epiſcopum eligo, et in Paſtorem, eandemque electionem in his ſcriptis pronuncio. Poſt hoc pulſentur campanae, vt populus congregetur, et populo congregato, per alterum ex electoribus ad hoc, per Capitulum deputatum, publicetur electio in communi, id eſt, coram Clero, et populo, et cantetur: Te Deum laudamus, ſolemniter, et electus, ſi praeſens eſt, deportetur ante altare, inthronizetur. Forma autem publica nominis hu-

huius, erit talis: Recitetur totus processus, sicut iam in forma pronunciationis dictum est, et ultimo sic adiiciet: Quam electionem vobis denuncio, et in praesentia omnium dico solemniter publicandam. Igitur celebrata, et publicata electione, decretum electionis fiet sic: Sanctissimo, ac Beatissimo Patri, et Domino suo Domino, Diuina Prouidentia Sacro - Sanctae Romanae ac vniuersalis Ecclesiae summo Pontifici P. Praepositus, et Capitulum Strigoniensis Ecclesiae eius humiles, fideles, ac deuoti filii, pedum oscula Beatorum. Sacris Canonibus nouimus esse cautum, quod vltra tres menses vacare non debeant Ecclesiae Cathedrales, ne propter defectum Pastoris, Dominicum gregem lupus rapax inuadat, et viduata Ecclesia in suis facultatibus graue dispendium patiatur. Eapropter bonae memoriae R. Archi-Episcopo nostro, anno, mense, et die, sicut Domino placuit, viam uniuersae carnis ingresso, ipsius corpore, vt moris est, cum reuerentia Ecclesiasticae tradito sepulturae; Nos, qui tunc, praesentes eramus, conuenientes in unum, ad electionem futuri nostri Pontificis Canonice celebrandam, terminum cum continuatione sequentium dierum statuendum duximus; citatis igitur interim, et tunc praesentibus omnibus, qui electioni celebrandae debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, in Ecclesia nos conuenimus de electione futuri Pontificis tractaturi.

turi. Sane poſt diuerſos tractatus inter nos habitos, et nominationes diuerſarum perſonarum ſimplices, ac diſcuſſiones, ac inquiſitiones multiplices, tandem placuit nobis, vniuerſis, et ſingulis per viam ſcrutinii noſtrae Eccleſiae prouidere, et eligentes tres S. A. B. et C. de noſtro collegio fide dignos, dedimus eis plenariam poteſtatem, vt ſecreto, et ſingillatim vota cunctorum primo intra ſua, et poſtea noſtra diligenter inquirerent, et ea ſcriptis redigerent, et in ſcriptis redacta, mox in communi publicarent, et tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum, per eos habita collatione diligenti, illum eligerent, in quem inuenirent omnes, vel maiorem, et ſaniorem partem noſtri Collegii conceſſiſſe; ita quod vnus ipſorum de voluntate, et conſenſu aliorum duorum ſcrutatorum vice ſua, et collegarum, et aliarum omnium electionum, eandem pronunciaret, in ſcriptis, et ſolemniter celebraret. Qui ſecedentes in partem primo vota ſua, ita, quod duo ſcrutabantur tertium, ſecundo tres ſimul vota omnium aliorum, ſicut nobis poſtea retulerunt, ſecreto, et ſingillatim diligenter inquiſiuerunt, et in ſcriptis redacta, mox in communi publicarent, et in noſtra praeſentia, per eosdem, ſecundum formam eis datam, tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum collatione habita diligenti vnus de ſcrutatoribus ante dictis, de voluntate, conſenſu, et

mandato aliorum, in quem repertum fuit, omnes, vel maiorem partem, et saniorem nostri Collegii, seu Capituli in scrutinio consensisse vice sua, et collegarum, et omnium aliorum, in his consentientium, inuocata Spiritus Sancti gratia, in nostrum, et Ecclesiae nostrae elegit Episcopum; et Pastorem, virum vtique plenae, et maturae aetatis, vtique, qui trigesimum annum aetatis suae exegit, de legitimo matrimonio procreatum, et in sacris ordinibus constitutum, vita, et moribus, ac literarum scientia commendatum, in spiritualibus, et temporalibus circumspectum, et electionem pronunciauit in scriptis, et eam publicauit hoc modo: In hoc mense, et die. Ego vnus de scrutatoribus a dicto nostro Capitulo nominatis, et electis ad faciendum scrutinium, et electionem futuri Pontificis secundum formam superius praetaxatam, ipse seruata in omnibus, de voluntate, consensu, et mandato, collegarum meorum, et omnium in his consistentium, et ex potestate mihi, et ipsis inuocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei, et Gloriosissimae Virginis Matris eius, et Sancti, in cuius honorem Ecclesia nostra est constructa, Dominum P. in quem collatione facta, reperimus omnes, vel maiorem partem, et saniorem nostri Capituli, seu Collegii, quorum scriptiones inferius continentur, in scrutinio concessisse, in nostrum, et Ecclesiae nostrae Episcopum eligo, et Pastorem, eandemque electio-

nem in scriptis pronuncio. Dictam vero electionem sic canonice, et solemniter celebratam, et publicatam in communi omnes recipimus, et adprobauimus, Te Deum laudamus more solito, cum cordis iubilo decantando, idem vero electus sibi etc die electione huius praesentata licet, et huiusmodi humilitate se insufficientem, et indignum asserens, se multipliciter excusaret, nobis tamen vehementer instantibus, timens diuinis dispositionibus contraire, inuocato Diuinae pietatis auxilio, die dicta, electioni consensit, non tam timide, quam deuote electionem ipsam, officium, onusque impositum, vt prodesse valeat, suscipiens, et acceptans. Vestrae igitur beatitudini duximus vnanimiter supplicandum, vt electionem sic praedictam canonice, sic solemniter celebratam dignemini confirmare, vt electo ipsi consecrationis munus fauorabiliter impertiri possit, quatenus nobis velut Pastor idoneus, et toti Prouinciae praeesse vtiliter valeat, et prodesse. Nosque, et alii sibi commissi, sub eius sacro regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ad huius autem confirmationem nomine nostro a vestra Sanctitate petendam, et nostros Canonicos, et Co-Electores, Inscrutatores, et Procuratores ordinauimus, et constituimus, et propter hoc eos ad vestrae Sanctitatis pedes duximus destinandos; dantes eis plenam, et liberam potestatem petendi confirmationem, et, si necesse fuerit,

rit,

rit, prouisionem, et iurandi in animas nostras, si visum fuerit expedire, promittentes nos votum, et gratum, et firmum perpetuo habituros, quid quid per eos in praedictis, vel aliquo praemissorum extiterit procuratum. Vt autem omnium nostrorum vota, et praedictis omnibus, et singulis in hac electione, et petitione concordasse noscatis, Sanctitati vestrae hoc canonicum decretum mittimus roboratum propriis manibus, et subscriptum. Ego Praepositus Strigoniensis Ecclesiae, supradictis omnibus, et singulis consensi, et consentio, manu propria signo, et subscribo. Ego vice scribere nescientis, de mandato subscribo. Notarius autem in fine dicet: Acta sunt haec, Anno, mense, die, et loco.

Per viam compromissi procedatur, modo subscripto: Canonici vacantis Ecclesiae statuant terminum ad electionem celebrandam. Interim vocatis omnibus absentibus, et in termino conuenientibus, qui possunt, debent, ac volunt commode interesse, maior de Capitulo, vel alius, cui Capitulum committit, quaerat a singulis, si placet eis per viam procedere compromissi. Singulorum autem consensu requisito, et habito, tractetur de persona, cui committant; deinde singulis super requisitis, et in vnam personam, cui committatur, conuenientibus, vnus de mandato Capituli dicet: Ego vice Capituli committo, seu do A. si est vnus,

vel A. B. et C. ſi in plures compromittant, poteſtatem prouidendi Eccleſiae noſtrae de Paſtore. Illi autem, in quos compromittitur, ſi plures ſint, quia poſſunt eſſe duo, tres, quinque, et ſeptem, trahent ſe ad partem, et ſimul deliberent poteſtate recepta, et conferant de perſona eligenda, et ſi concordauerint, redeant ad Capitulum, et forma eis a Capitulo tradita in omnibus obſeruata, vnus eorum electionem pronunciet, et publicet ſub hac forma: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Anno N. menſe N. et die N. ego de voluntate, et conſenſu collegarum meorum, in quo vnanimiter compromiſſum fuit a Capitulo, in quos poteſtatem prouidendi Eccleſiae tranſtulerunt, vice mea, et ipſorum, et omnium aliorum in electione ius habentium, et hic praeſentium, ex poteſtate, et authoritate ſupra dicta mihi, et aliis meis collegis conceſſa, inuocata Spiritus Sancti gratia, P. in quem nos A. B. et C. compromiſſarii ſupradicti ſimul conuenimus in noſtrum, et Eccleſiae noſtrae Epiſcopum eligo, et Paſtorem, et de ipſo prouideo dictae Eccleſiae in Paſtorem, et ipſam electionem, et prouiſionem in his ſcriptis pronuncio, et ſolemniter publico in communi.

Haec forma ſeruanda eſt, quando compromiſſarii ſunt de Collegio, prout dicit Concilium. Si vero eſſent extra collegium tunc ſufficit dicere: Ego vnus de Compromiſſariis ſupradictis,

de

de voluntate, et consensu ipsorum, vice totius Capituli, P. in quem omnes conuenimus, eligo, seu prouideo in Ecclesiae Episcopum, et Pastorem, et in hoc quasi totum Capitulum concordat, nam vno contradicente, non potest per viam compromissi procedere. Postmodum vero coram Clero, et populo, publicent electionem, siue prouisionem, et postea fiat decretum ipsius electionis, siue prouisionis hoc modo: Almo, et Beatissimo Patri, et Domino Domino, Diuina Prouidentia Sacro-Sanctae Romanae, ac vniuersalis Ecclesiae summo Pontifici P. Praepositus, et Capitulum Ecclesiae Strigoniensis, eius humiles filii, et deuoti, pedum oscula beatorum. Cum propter vacationem diutinam, Ecclesiae pastorali solatio destitutae, in spiritualibus, et temporalibus dispendia patiantur, conditores canonum deliberatione prouida censuerant, vt vltra tres menses vacare non debeant Ecclesiae Cathedrales. Defuncto igitur bonae memoriae R. Archi-Episcopo nostro, anno, mense, et die, sicut Domino placuit, ipsiusque corpore cum reuerentia tradito Ecclesiasticae sepulturae, nos Canonici Strigoniensis Ecclesiae, qui tunc praesentes eramus, conuenientes in vnum ad electionem futuri Pontificis celebrandam, terminum cum continuatione dierum sequentium duximus statuendum, citatis interim, et tunc praesentibus omnibus, qui electioni celebrandae debuerunt,

voluerunt, et potuerunt commode interesse in Capitulo.

Nos recepimus de electione futuri Pontificis tractaturi, et post diuersos tractatus inter nos habitos, placuit tandem omnibus, et singulis, per viam compromissi, nostrae viduatae Ecclesiae prouidere, considerantes in vnam difficulter multitudinem conuenire, et saepe in paucos spiritum sanioris consilii residere, dedimus plenam, et liberam omnes, et singuli vnanimiter potestatem A. B. et C. vt iidem, vel maior pars ipsorum vice sua, et nostra per electionem canonicam, vel postulationem concordem Ecclesiae nostrae supradictae vacanti, Deum, ac bonum statum ipsius Ecclesiae habentes prae oculis, de persona idonea prouiderent, omnem potestatem, et vicem nostram, super hoc eis committentes, ita, quod vnus ipsorum de consensu aliorum compromissariorum, vel maioris partis ipsorum conuenirent, eligerent, et electionem in praesentia nostra solemniter publicarent, qui secedentes in partem, et Spiritus Sancti gratiam inuocantes, deuote post tractatus diuersos, et varios de diuersis personis inter se habitos, vt nobis postmodum retulerunt, tandem in Magistrum P. Praepositum Strigoniensem in Sacerdotali ordine constitutum iidem vnanimiter conuenerunt, virum vtique plenae et maturae aetatis, vtpote qui 30 Annos aetatis suae exegit, de legitimo matri-

matrimonio procreatum, vita, et moribus, et literarum merito ſcientia commendandum, in ſpiritualibus, et temporalibus plurimum circumſpectum, quem ſecundum formam in compromiſſa appoſitam, in hunc modum elegit: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen, anno, menſe, et die. Ego N. vnus de compromiſſariis ſupradictis de voluntate, et conſenſu collegarum meorum, iuxta formam compromiſſi mihi, et eis traditam, vice mea, et praedictorum collegarum meorum, ac omnium de Capitulo, et poteſtate mihi, et praedictis meis collegis ab vniuerſis, et ſingulis de ipſo capitulo tradita, inuocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei, et glorioſae Matris eius, et Sancti Patroni noſtri, et omnium Sanctorum, magiſtrum P. Praepoſitum Strigonienſem, in quem nos Compromiſſarii ſupradicti vnanimiter conuenimus, in noſtrum, et Eccleſiae noſtrae eligo Epiſcopum, et Paſtorem, et de ipſo prouideo dictae Eccleſiae in Paſtorem, eandemque electionem, ſeu prouiſionem in his ſcriptis pronuncio, et publico in communi publicatam omnibus vnanimiter recepimus, et approbauimus more ſolito pulſatis campanis cum cordis iubilo, Te Deum laudamus ſolemniter decantando, conſequenter autem conueniente populo ad pulſationem campanarum. R. de mandato noſtro dictam electionem ipſi populo publicauit. Idem vero electus ſibi

die . . electione huiusmodi praesentata, licet se multipliciter excusaret, tandem nobis vehementer instantibus, inuocato diuinae pietatis auxilio, die . . dictae electioni consensit. Sanctitati igitur vestrae duximus vnanimiter supplicandum, vt electionem supradictam sic canonice celebratam, dignemini confirmare, et electo nostro praedicto munus consecrationis misericorditer impertiri, quatenus authore Deo nobis, et toti Prouinciae velut Pastor idoneus, praeesse valeat, vtiliter et prodesse, nosque, et alii sibi commissi sub eius sacro regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ad huius autem confirmationem, et consecrationem nomine nostro a vestra Sanctitate petendam A. et B. de nostro Capitulo nostros procuratores, et etiam instructores ordinauimus, et constituimus, et propter eos ad vestrae Sanctitatis pedes duximus destinandos dantes eis plenam, et liberam potestatem petendi confirmationem, et consecrationem, ac si necesse fuerit, dispensationem, et prouisionem, et iurandi in animas nostras, si visum fuerit, expedire. Promittentes nos ratum, gratum, ac firmum habituros, quidquid per eos in praemissis, vel aliquo praemissorum fuerit procuratum. Vt autem omnium nostrorum vota in praedictis omnibus, et singulis concordasse noueritis, et in hanc electionem, et petitionem venire, hoc canonicum decretum Sanctitati vestrae mittimus roboratum propriis

mani-

manibus, et subscriptum, et ad maiorem cautelam sigillo nostri Capituli, et etiam propriis sigillatum. Ego Archidiaconus Strigoniensis supra dictis omnibus, et singulis consensi, et consentio, et propria manu scribo.

Per inspirationem fit electio, si dum Canonici primo intrant Capitulum pro electione celebranda, nullo specialiter tractatu praecedente, quasi diuina reuelatione, et inspiratione omnes, nullo contradicente, consenserint in aliquem repente, et simul eum eligant, et nominent dicentes vna voce: Eligo P. Eligo P. et talis electio dicitur facta per inspirationem; et ex quo Canonici omnes vno ore, et vno spiritu eligunt, non est vis, si dicant eligo, siue eligimus. Quia vna est censenda electio propter vnanimes voluntates, et conformabitur sic decretum.

Sanctissimo Patri, et Domino suo Domino C. Diuina prouidentia Sacro-Sanctae Romanae, ac Vniuersalis Ecclesiae summo Pontifici P. Praepositus, et Capitulum Strigoniensis eius Ecclesiae humiles filii, et deuoti, pedum oscula beatorum. Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax inuadat, aut in spiritualibus, et temporalibus Ecclesia viduata graue dispendium patiatur; conditores Canonum deliberatione prouida statuerunt, vt vltra tres menses vacare non debeant Ecclesiae Cathedrales. Eapropter bonae memoriae R. Archi-Episcopo nostro, anno, mense, et die, sicut Do-

mino placuit viam vniuerſae carnis ingreſſo, ipſiusque corpore, vt eſt moris, cum reuerentia Eccleſiaſticae tradito ſepulturae: Nos Canonici Strigonienſes, qui tunc praeſentes eramus, conuenientes in vnum ad electionem futuri noſtri Pontificis canonice celebrandam, terminum cum continuatione dierum ſequentium duximus ſtatuendum; citatis igitur interim, et tunc praeſentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode intereſſe, in Eccleſia nos recepimus de electione futuri Pontificis tractaturi; nobis in vnum locum, et propoſitum congregatis, vnusquisque Diuina inſpiratione repente, nulla nominatione, nulloque tractatu alio praecedente in P. virum vtique plenae, et perfectae aetatis, vtpote qui 30. Annos aetatis ſuae exegit, legitimo matrimonio natum, vita, et moribus, et literarum ſcientia commendandum conſenſit, et vna voce ſimul, ac vnanimiter omnes et ſinguli in Epiſcopum elegerunt, et pulſatis campanis, Te Deum laudamus ſolemniter decantarunt, conſequenter autem conueniente populo etiam, et vt ſupra in forma proxima. Publicata 2. Idus Iulii. Datum Budae Anno Domini milleſimo, tercenteſimo, octauo, indictione ſeptima. 3. Non. Decembris. Pontificatus Domini Clementis Papae V. Anno quarto.

§. XIII.

§. XIII.

Atque ex his liquere puto manifeſte, quid ſit de literis capitulorum hoc temporis interuallo ad ſummum Pontificem ſcriptis, quae ſpeciem canonicae poſtulationis ad normam Eccleſiarum Germaniae praeſeferunt, ſentiendum? Quum enim contra morem maiorum, contra libertatem Eccleſiae, contra iura cum corona indiſſolubili nexu cohaerentia diſciplinae nouae inducendae teſtimonia ſatis perſpicua contineant, quid eſt reliquum, quam vt earum nullum eſſe robur, nullam vim, neque etiam fuiſſe vnquam ſtatuamus. Harum literarum exempla haec ſunt vulgata a PETERFIO Conc. Hung. P. I. pag. 73. a nobis iam §. X. adpoſita.

§. XIV.

Carolo An. MCCCXLII. e viuis erepto regnum filius eius LVDOVICVS obtinet cognomento MAGNVS. Is Eccleſiam Scepuſienſem in Epiſcopatum euectam voluit. Petitioni non adſenſit CLEMENS VI. P. de diſſecanda Strigonienſi Dioeceſi prius per arbitros acturus. Breue hoc eſt ap. Cl. KOLLARIVM cit. loc. pag. 204.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Quinqueeccleſienſi, et dilectis filiis Sancti Benedicti iuxta Gruon,

tum Sancti Andreae de Wissegrad Strigoniensis, et Vesprimiensis Dioecesis monasteriorum Abbatibus, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Petitio charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludouici Regis, et Elisabeth Reginae Hungariae illustrium, nobis nuper exhibita continebat: Quod, licet quaedam partes Regni Hungariae, quae Scespusiensis Prouincia communiter in Praedictis Hungariae, ac Poloniae regnorum confinibus constitutae, abolim fuerint syluosae, ac populis destitutae tamen posteaquam in Regno Hungariae praedicta pax viguit, et maxime Domini Ludouici, et clarae memoriae Caroli Regum Hungariae Patris, et Mariti, Ludouici Regis, et Reginae, praedictorum temporibus, refertae populis et habitatorum sunt multitudine decoratae, quodque licet in eisdem partibus secularis, et collegiata Scepusiensis Ecclesia Sancti Martini, per eorundem progenitores fundata consistat, ac per ipsius Ecclesiae Praepositum, qui est pro tempore, in instituendis, et destituendis Plebanis, et Rectoribus Ecclesiarum, ac visitandis, et corrigendis Ecclesiasticis et laicis, partium earumdem animarum cura geratur ex consuetudine adprobata; tamen dictarum partium populi, propter magnam distantiam ab eorum Ecclesia cathedrali tam in consecrandis, et reconciliandis Ecclesiis, ac cymeteriis, et confirmatio-

mationibus puerorum, et audiendis confessionibus, in casibus Episcopo reseruatis, quam in aliis ad officium Episcopale, et ordinem pertinentibus, magna dispendia patiuntur. Quare Ludouicus Rex, et Regina praefati cupientes huiusmodi obuiare dispendiis, ac in eodem Regno Hungariae Sarmaticis, et infidelibus, ac Tartaris circumsepti, vt asserunt, fidem Catholicam per multiplicitatem Ecclesiasticorum Praelatorum, et Praesulum adaugeri, ac dilecti Filii Capitulum ipsius Ecclesiae, nobis humiliter supplicarunt, vt eandem Ecclesiam in Cathedralem erigere, et Villam Scepusiensem, Ciuitatis insigniri titulo, ac partes Scepusienses praedictas, et certam terram, Liptouiensem prouinciam nuncupatam, Strigoniensis Dioecesis, ac vnam Dioecesim ex iisdem Partibus, et terram intuitu Ecclesiae memoratae, ipsi Ecclesiae pro Dioecesi adsignare: ac decimas, nec non alios fructus, et reditus, prouentus, ac obuentiones, et iura Praepositurae, ex qua ipse congrue sustentari, et alia eis incumbentia onera valeat subportare, Episcopali mensae deputare, ipsius Ecclesiae dignaremur. Nos igitur commendantes in Domino, tam laudabile, fauorabileque dictorum Regis, et Reginae in hac parte propositum, ac de praemissis notitiam non habentes, districtim per Apostolica scripta mandamus, quod vos, vel duo vestrum, vocatis Venerabili Fratre nostro Ar-

chi-

chi-Episcopo Strigoniensi, ac Domino Praeposito, ac aliis, qui fuerint euocandi, de praemissis, et vniuersis valuati eiusdem fidei, quod Ecclesia in Cathedralem erigatur, ac Villae praedictae, Ciuitatis titulo decorentur, et quota praeuiarum partium, et terrae praedictarum sufficiat Ecclesiae memoratae pro Dioecesi, iuxta statum, et conditionem Ecclesiarum Regni Hungariae; nec non de portione congrua decimarum, fructuum, redituum, peruentuum, iurium, et obuenientium praedictorum eidem Praeposito adsignanda, sicut praedicitur; ac de facultatibus, quas Episcopus, si ibi praeficiatur, habere poterit, et aliis circumstantiis in praemissis omnibus accedendis, diligenter et fideliter nos informare, et quidquid per informationem huius vos reperire contigerit, nobis per patentes literas vestras seu publicum instrumentum tenore praesentium continentes, seu continens fideliter intimare curetis. Datum Ameraci XVI. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno sexto, seu CIϽCCCXLVII.

Sed siluit controuersia ad annum vsque MCCCCXXXV. quo SIGISMVNDVS singularia Scepusiensi Praepositurae priuilegia indulsit.

§. XV.

Proxime de IOANNE HVNIADE dicam pro Ladislao Posthumo partium Transtibiscanorum gubernatore. Grauis eo tempore de

de regio hoc iure controuersia exorta est. HVNIADES, quum primum administrando regno admotus est, Varadiensi Ecclesiae, quae caeso ad Varnam an. MCCCCXLIV. Episcopo vacare coepit, consulturus IOANNEM eius Ecclesiae Praesulem elegit, deque ea electione Romam scribit, id quod literae HVNIADIS docent, a quibus, quae huius rei fidem faciunt, Cl. KOLLARIVS cit. op. pag. 219. descripsit. Eadem potestate anno MCCCCXLVI. Zagrabiensi et Agriensi Ecclesiae nouos Antistites dedit, quorum consecrationem a Papa literis petit. Pars epistolae huius haec est ap. KOLARIVM pag. 221. cap. XI. verbis: *Caeterum*, inquit, *in facto Zagrabiensis Ecclesiae, quae multis iam annorum spatiis male tractata vastatur, notificat suis literis Beatitudo vestra, contraria a me scripta accepisse, in quo quidem facto, votis meis clementer deferre volens, certiorari petit, de mente, et intentione mea, vt tandem prouisio ipsius Ecclesiae tranquilla ordinatione maneret. Contrarietas ista, vel potius varietas, Pater Beatissime, quoad praefatam Ecclesiam solui faciliter potest; quoniam intentio, ac voluntas mea, fauor, et promotio, quantum in me est, immutabilis steiit, et instat pro persona Reuerendi Patris Domini Demetrii Chupor, Episcopi Tininiensis, quem certe, et vita, et genere subleuandis dictae Ecclesiae*

clesiae

clesiae oneribus aptum semper reputaui. Verum de facto Agriensis Ecclesiae longe aliter confiteri habeo, cum expresse meminerim, varietatem illam aliis modis accidisse, quae quidem, si Beatitudinis vestrae animum turbauerit, aequanimiter nobiscum pati dignetur: ea enim tunc erat conditio temporis illius, quod plura poterat extorquere importunitas, quam mera voluntas praestare. Non de facili patiebatur subigi ceruix insueta paci, discordiae adsueta; opus erat alios terrore, alios fauore subducere. Prima adhuc ponebantur concordiae initia, feruebat ambitio, vnusquisque augere cupiebat propria, qui cogebatur aliena relinquere, sicque contigit saepius, praesertim necessitate facti, in vna eademque re, et illi praestitisse fauorem, et alteri non negasse; non quidem instabilitate nostra, sed vt minori inconuenienti, maiora tegeremus tamdiu, donec paullatim dono Domini subintraret iudicium, quo deliberatione magis solida discernere possemus, quid vnicuique rectius oportune expediat. Mira certe res, et diuino digna munere, cedunt arma, longo nutrita tempore, silent bella intestina, frenantur dissidia, concordia pedetentim inducitur, sola forensium adhuc insultatorum saeuitia, minas exaggerat. Ego vero etsi ista eo modo iam stare conspiciam, minus tamen sperare poteram, tam cito futuram mutationem hanc dextrae excelsi, et ob hoc etiam

impor-

importunitatibus aliquorum resistere, tunc accommodum non satis putaui, exoptans finaliter fauore furorem collidere. Sic igitur, loquendo apertius, duae certabant partes pro Ecclesia Agriensi memorata vtraque adlegato iuri confisa, adhaerentia cuique grandis erat. Petebat vna sibi fauorem dari, altera pariter non negari; satius ergo visum est petita ipsa, quam dissidia, admittere, quoad vsque, vt praemissi, ad vlteriora discretis dari posset. Quam ob rem, si excusationi locus est, supplico Beatitudini vestrae, vt his praemissis considerationibus, immo potius necessitate, pensatis, neque sibi ex his scriptis contrariis turbationem, nec nobis notam ingerat: quoniam deinceps, quantumcunque obseruari poterit, deliberatum est, vt simili varietate Sanctitatis vestrae aures et animus non turbetur, quo equidem pacto, quantum et ad praescriptam Ecclesiam Zagrabiensem, intentionem confirmans, his scriptis Sanctitati vestrae iterato deuotius supplico, quatenus iuxta priora scripta mea, ipsi Zagrabiensi Ecclesiae, de persona memorati Domini Demetrii Episcopi prouidere non differat, quem cum mero adfectu diligamus, meritis suis statum aequare optaremus, quem etiam vita, conuersatione, peritia, et regendi facultate, ipsi Ecclesiae aptum, et idoneum iudicauimus. Data die XVII. mensis Octobris, Anno Domini CIƆCCCCXLVI.

Quod

Quod quum non obtineret, vt debebat, grauiter apud Pontificem questus est, petiitque, vt causa ita componeretur, ne regni Hungariae libertas quidquam damni pateretur. Epistola HVNNIADIS haec est ap. KOLLARIVM pag. 224.

Beatissime Pater, et Domine metuendissime!

Non credo ignotum esse apud Beatitudinem vestram, quot, quantaeque turbationes in Regno hoc pro facto Zagrabiensis Ecclesiae ortae, traductaeque sunt, pendentque adhuc in altiora verisimiliter euasurae, nisi de remedio opportuno per Sanctitatem Vestram prouisum exstiterit, prout super his cum Reuerendissimo Domino, et Patre nostro Iuliano Cardinali S. Angeli, Sanctitatis Vestrae Legato, personaliter collocutus sum. Vnde et nescire me fateor, quorsum conuertam culpam, quod TRANSLATIO *illa, quae de Persona Reuerendi Patris Domini Demetrii Episcopi primum per Dominum Eugenium facta, et deinde per Sanctitatem Vestram confirmata, effectum consequi non potuit, per quam, credo, tantis dissensionibus finem quandoque potuisse dari, praesertim cum in ea translatione* LIBERTATI *huius Regni bene satisfactum fuerit. Sed quia et translatio ipsa, et prouisio dictae Ecclesiae, hactenus impedite stetit, Regnum hoc notabilem patitur iniuriam in ipsius Ecclesiae turbationem, propter quam, vt praemisi, poterit verisimiliter maior dissen-*

sio suboriri. Quocirca Beatitudini Vestrae, supplico humiliter, quatenus dignetur causam eiusdem Ecclesiae diligenti cura in manus desumere, taliterque omnibus litibus amputatis prouidere, vt et praefati Domini Demetrii Episcopi IVRA, et Regni huius LIBERTAS offensa non videantur. Ad quod quidem faciendum, magna praefatae Ecclesiae in spiritualibus, et temporalibus ruina Beatitudinem Vestram commouere poterit, cuius praesertim interest, talibus defectibus sine personarum acceptione prouidere. Data apud Villam Kowinii die 6ta Septembris, Anno Domini CIↃCCCCXLVIII.

§. XVI.

Non minus auctoritate sua vsus est HVNIADES an. MCCCCXLIX. quo MATTHIAM Episcopum Transiluaniensem ad Colocensem Archiepiscopatum, et NICOLAVM Transiluaniae Decanum in eius locum suffici a Pontifice petiit: Epistola ea de causa ad Papam scripta est haec. ap. KOLLARIVM Hist. dipl. pag. 225.

Beatissime Pater, et Domine metuendissime!

Si culpa est vacantes pastoribus Ecclesias negligere, satis putauerim huius me expertem culpae. Insteti enim magnopere, quo minus id fieret, optimum ratus, vt ad directionem status Regni huius hoc quoque accederet, ne his

officii mei temporibus viduatae sedes, abusu illo veteri, longae vacationis cogerentur subire incommoda. Itaque inter alias, potissime circa prouisionem Colocensis Ecclesiae, non defuit opera mea, vt turbatae illi, mox vacanti, ac nonnullorum claua potius quam claue expetitae, Pastor dari, non ingeri videretur. Scripsi, supplicaui, instantiam dedi, bonis rationibus, et respectibus, ardenterque hactenus hoc ipsum effici per Sanctitatem Vestram praestolatus sum; vnde, si querelae locus esset, conquererer digne, in ea re me non exauditum eo vsque, in qua, vt peteretur, vrgeri, quam retardari magis debueram: inuitus quippe cerno, orbam illam tot mensibus Metropolim, temeritate quorumdam inquietari, quam sane tuendo, tenendoque manibus meis, nec importunitati quorumpiam, sed nec turbinibus cedere statui. Soli respectus illi, quos prioribus literis meis expressi, sed et merita virorum, pro quibus supplicatum est, eam e manibus meis excutere poterunt, nam aptum, adcomodumque semper, et religioni nostrae, et Reipublicae existimaui, si Ecclesias Regni huius meritum, non temeritas possideret. Quamobrem quocunque pacto haec ipsa dilatio euenerit, nihil praeter nocumentum adtulit; quoniam id, quod a pluribus adpetitur, a me quoque difficilius custoditur. Enimuero poterat Beatitudo Vestra de me habere opinionem, vt in facto

cto

cto praemisso nihil sine bono, et stabili fundamento scripserim; quia licet et in nouissima congregatione nostra, pro praefata Ecclesia certi concurrentes adstiterint: finialiter tamen ex consilio Dominorum Praelatorum, et Baronum in eo remansi, vt iuxta priora scripta mea Reuerendus Dominus Matthias Episcopus Transiluanus, ad ipsam Metropolitanam Ecclesiam Colocensem transferatur, quodque eo translato, Venerabilis Pater noster, Dominus Nicolaus Decanus eidem in ipsa Transiluana Ecclesia succedat, vtpote quam suae paci, quietique aequam, et rectam futuram credidimus. Quocirca supplico Beatitudini Vestrae hac iterata vice, omni diligentia, et maiori, qua possum, quatenus non differat amplius praemisso modo, et ordine, non dico personis, verum potius Ecclesiis prouidere, ne tribuatur locus amplior incommodis occurentibus, quae vacantes Ecclesias concomitare solent, neue opus sit libertatem Ecclesiasticam tueri prius, quam custodire. Conseruet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter regimini Ecclesiae suae sanctae. Datum Budae 25. die mensis Iunii. Anno Domini CIƆCCCCXLIX.

Ioannes Gubernator.

Eodem anno aliam idem epistolam ad Pontificem dedit pro Episcopo Waciensi hoc exemplo ap. KOLLARIVM cit. loc. pag. 227.

Beatissime Pater, et Domine metuendissime!

Quid circa prouisionem Ecclesiae Colocensis, item, subsequenter in facto Ecclesiae Transiluanae, vtilius senserim optauerimque, aliis literis expressi votum meum. Verum si Venerabilis Dominus Nicolaus Decanus ab illa promotione, quam sibi fieri optauimus, aliqua intentione, vel fortuna animum reuocauerit, extunc, ne apud Sanctitatem Vestram in dubium veniat, quid in facto illarum Ecclesiarum amplius geramus in votis, volui Sanctitatem Vestram auisare. Itaque hoc casu deliberatum est, vt loco ipsius Domini Nicolai Decani ad Transiluanam Ecclesiam Reuerendus Pater Dominus Petrus Episcopus Waciensis, Cancellarius Regni, transferatur, cuius cognitis virtutibus non est opus apud Sanctitatem Vestram verba addere; quo translato, ad Waciensem Ecclesiam, Honorabilem Vincentium, Canonicum Ecclesiae Waradiensis in Sacerdotali ordine constitutum, illi Ecclesiae, nostro iudicio, bene adcomodum, et sufficientem nominauimus. Quamobrem Beatitudini Vestrae humiliter supplico, quatenus occurrente casu praenotato, dignetur Sanctitas Vestra de personis praetactis contenta stare, easque mo-

modo, quo praemittitur promouere, ita, vt alterum transferendo, alterum vero creando, velit praefatis Ecclesiis, in Episcopos praeficere, et Pastores. Conseruet Dominus Sanctitatem Vestram. Datum Budae 25. mensis Iunii Anno Domini CIϽCCCCXLIX.

Quibus quum nihil impetrasset, belloque Bohemico ipse distineretur, Episcopo Varadiensi curam commisit iterum ad Papam scribendi; qui et morem gessit ap. KOLLARIVM cit. loc. pag. 228.

Beatissime Pater, et Sanctissime Domine!

Cum his diebus magnificus Dominus Gubernator regni, quibusdam suis expeditionibus occupatus, mandasset mihi, vt aliqua de rebus suis ac regni, item de intentione, quam circa translationem, nouissime, vt audiui, per Sanctitatem vestram de Domino Transiluano, et Domino Waciensi factam, haberet, quidque consequenter in votis gereret suo loco, et nomine ad Sanctitatem vestram scriberem, et eidem notificarem, quamuis res ipsa alium, et magis clarum relatorem apud Sanctitatem vestram exposceret, volui tamen in hac parte voluntati ipsius Domini Gubernatoris non abesse, ne forte negligendo viderer officere. Itaque nouerit inprimis Beatitudo Vestra, statum regni huius, et consequenter dicti Domini Gubernatoris satis turbulentum, tumultuosumque esse:

Pauoris, pressuraeque indicia plurima, non instant modo, sed exstant; nam infideles a foris, intrinsecus vero Bohemi Hussitae insultus, et parant, et inferunt, et quod his fere deterius, timetur tertium ruinae genus. Interna dissensio pro foribus seritur, quae, si exsurrexerit, nihil addi periculorum nostrorum cumulo poterit. Verum inter haec praefatus Dominus Gubernator, nunc aduersus ratos Hussitas parata arma exercet, vt si quomodo, vel sedare insultus eorum, vel extirpare posset, facile ceteris et occurrere, et opem ferre potentior videretur: quantum vero de parte Teucrorum, durant bella restantque. Nam licet considerata qualitate temporis visum nuper fuerit, treugas pacis tractare cum eis, ac suscipere; sed aduerso, vt ita dixerim, mediatore hactenus perperam vsi rem infectam retulimus: is etenim mediator, vti dicitur, nostra pace sibi bellum timebat conficere. Ceterum, quoad fatum praetactarum translationum, et Ecclesiarum expectabat ipse Dominus Gubernator, aliter voto suo satisfieri, prouiderique; vtpote de persona Domini Nicolai Decani, cuius promotio, vti sperabat, rebus suis opem, regno commoda, Ecclesiis vero ipsis quietem, pacemque adlatura erat. Sed postquam Sanctitatis Vestrae gratia, fortunaque sua emigrare eum ex nostri medio disposuit, contentus est idem Dominus Gubernator de translationibus

ipsis,

ipsis, secundum quod nunc, procurante dicto Domino Nicolao, Decano, factae sunt, cuius quidem iam saltem adfectum tenebimus, quem adligare corpore non potuimus. Ita ergo optat ipse Dominus Gubernator, ita desiderat, ita quoque in votis gerit, vt translationes ipsae per Sanctitatem vestram omnino manuteneantur. In quibus hic apud nos hoc solum deest, quod Dominus Transiluanus consentire non proponit, vt ab ipsa Ecclesia Transiluana transferatur, pro cuius consensu Sanctitatis Vestrae interest, modum, et ordinem dare, ita enim videbitur dictis Ecclesiis vtiliter esse prouisum. Postremo de Watiensi Ecclesia instat dictus Dominus Gubernator pro Magistro Vincentio Protonotario suo, iuxta ea, quae prius scripserat ad Sanctitatem Vestram, in quibus omnibus votiuam expeditionem expectat, optatque se habiturum. Haec sunt, Pater Beatissime, quae in rebus his de mente antefati Domini Gubernatoris accepi, de quibus etiam late contuli cum Venerabili Patre meo, Fratre Valentino Poenitentiario Sanctitatis Vestrae, ex cuius relatibus poterit Beatitudo Vestra his clariora accipere. Cuius pedibus me humiliter recommitto. Ex Waradino. XX. die Mensis Octobris anno Domini CIƆCCCCXLIX.

Ioannes
Waradiensis Episcopus.

At quum Matthias Tranſiluaniae Epiſcopus onus Colocenſis Metropolis ferre iam recuſaret; alium viduatae iam dudum Metropoli Praeſulem dare conſtituit, eaque de cauſa Epiſtolam ad NICOLAVM P. dedit hoc exemplo ap. KOLLARIVM pag. 229.

Beatiſſime Pater, et Domine.

Iam pridem ſolicitatam ſaepe, et magnopere Eccleſiae Colocenſis prouiſionem, quo ſtudio, et ordine, quo denique adfectu conſequi optauerim, recte quidem Beatitudini Veſtrae patefactum non dubito. Auidus quippe publici noſtrae religionis commodi, inter cetera meritorum, quam perſonarum magis, vti par eſt, rationem contuli, quo aptius adflictam ſatis Eccleſiae illius faciem rediuiuo decori condonarem, ſimul vti quantocius manus meas ab eius conſeruatione abſoluerem, vtpote cuius ſedulo malim vſui fore, quam oneri. Itaque inprimis Venerabili Patri, ac Oratori noſtro Domino Nicolao Decano Cracouienſi de ea optio data fuit; poſt in fauorem eiusdem de Domino Tranſiluano concordatum, vt vel ſic in ipſarum Eccleſiarum alterutra, virtutibus eius digna, noſtrae beneuolentiae conſortia praeberentur. Verum inter haec rebus cum tempore vices verſantibus altioris forte, ſed vtinam! quietioris gratiae conuiuio in partem ipſius Domini Decani interceſſit, ita, vt eo euocato reſtabat tertius gradus, quem pro perſona Reueren-

uerendi Patris Domini Petri Episcopi Waciensis, quasi quodam praesagienti animo institueram, in quo solo videre videor votis meis satisfactum. Nam vti didici, antefatus Dominus Decanus promotus redditur patriae suae, Dominus vero Transiluanus ad dictam Colocensem Metropolim, ceterum ipse Dominus Waciensis, vt in Transiluania succedat, pronunciati sunt. Haeserat animo, Beatissime Pater! has prouisiones, dispositionesque Beatitudinis Vestrae, vtpote a me eo, quo praedixi, ordine expetitas omnino manutenere, et ad effectum vsque conducere, praesertim cum pacata res ipsa vtilisque dictis Ecclesiis videbatur; sed quoniam egesto plurimo labore, et studio, nullo pacto adduci flectique potuit praefatus Dominus Transiluanus, vt translationi de se factae consentiret, persuasum est mihi multis respectibus, quatenus eidem vel inferre, vel procurare vim abstineam. Parui facile rationibus, statuique ipsum suae paci, suoque arbitrio relinquere, atque pro ea rursum, quae adhuc relicta exstat, Colocensi Ecclesia apud Sanctitatem Vestram operam renouare.

Cum itaque his diebus regressus prospere ab armis, quorum vsum opportunitas, furiaque domesticarum rerum exegerat, pro eiusdem Ecclesiae Rectore idoneo institissem, requisito Dominorum Praelatorum, et Baronum consilio, visum fuit saluberrime communi de-

liberatione omnium praefatum Dominum Waciensem conuenire, suisque humeris iugum oneris potius, quam honoris, viduae illius metropolis imponere: quae quidem licet olim egregii, magnique decoris locum tenuerit, ab olim tamen omni idoneo cultu, et cura ita neglecta est, vt recte laborem culmen eius praeseferat; pondus haud impar, quam decus. Renitebat, fateor, vir ipse diebus plurimis, vtpote integra pace contentus habito munere, item, et ceteris pluribus adlegatis respectibus, verumtamen frequens, et solida instantia nostra piam eidem quandam vim inferens, prolicit tandem virum, vt consentiret his votis, quamprimum super id Apostolicae Sedis mandatum, gratiam, patrociniumque susceperit. Igitur gratam huius concordiae vicem omnium consensu adprobante, magnae opinionis, et bonae spei de hoc viro fiduciam omnes suscepimus, et praesertim ego, qui eius praeteritis operibus condelectatus, multa, cum de Ecclesiae cura, et exemplari prouidentia, tum denique de publico communis status ministerio familiarissima testimonia et video, et complector, quemque ceteri Praelati regni huius vltro proferunt virtute imitabilem, et nulli integritate secundum, Ecclesiae quoque illi pro sui status loco, cura, et ope egenti recte praeesse, et vere prodesse idoneum.

Quam-

Quamobrem si iam superioribus instantiis meis alio, quam expetitum erat, fortuna flexit iter, praesens votum offero tanto fiducialius, quanto et diutinae expectationi nostrae commodius; adtentissime, et diligentissime supplicans Sanctitati Vestrae, primum ne pigeat varietatis, si quae hoc praesenti refugio rerum potius, quam mentis varietate intercedit, vtque deinde praefato Domino Petro Episcopo, a vinculo, quo alterutro Transiluaniae, et Waciensi Ecclesiae praedictae tenetur, absoluto, eundem nostrae potius communis, quam suae priuatae vtilitatis respectu, ad ipsam Colocensem, item Bachiensem Ecclesias canonice vnitas transferre, ipsiusque, et toti prouinciae earundem in Archiepiscopum praeficere dignetur, et Pastorem, prouiso, ne fiat vacationis eiusdem Metropolis productior cumulus, cuius incommodo vix quidquam adiici poterit, si contigerit seram magis eius prouisionem expectare. Conseruet Altissimus Sanctitatem Vestram feliciter, cuius me pedibus humiliter recommitto. Datum Budae XVIII. die mensis Ianuarii, Anno Domini CIϽCCCCL.

Eo-

Eodem menſe HVNIADES Epiſcopum Vacienſem in locum PETRI ſuffectum conſecrari petiit literis ad Pontificem datis ap. KOLLAR. pag. 232.

Beatiſſime Pater, et Domine!

Poſtquam in facto Colocenſis Eccleſiae ſuperiori labore infecto noua diſpoſitio ſequuta eſt, exindeque iuxta Dominorum Praelatorum, et Baronum conſilia ad Sanctitatem Veſtram pro perſona Reuerendi Patris Domini Petri Epiſcopi Wacienſis ſcribere decreueram, ſucceſſit cura de Wacienſi Eccleſia, quae per translationem eiusdem, quam omnino votiue futuram omnes ſperamus, vacatura eſt. Itaque ſuperuenit in animum, Honorabilis Vincentius Canonicus Eccleſiae Waradienſis, et plebanus oppidi de Riuulo Dominarum, cuius promotioni ob reputata a me eius merita dudum intenderam. Hunc igitur de vita circumſpectione, et prouidentia mihi notum, ab experto teſtimonium ferens, recommendo, eumque ad Eccleſiam Wacienſem praefatam, de conſenſu Dominorum Praelatorum, et Baronum electum, ac nominatum, Sanctitati Veſtrae praeſento promouendum; ſupplicans eidem Sanctitati Veſtrae, quatenus confecta translatione praefati Domini Petri iuxta vota, et ſcripta noſtra cum his emanata dignetur conſequenter praefatum Dominum Vincentium, dictae Wacienſis Eccleſiae in Epiſcopum praeficere, et paſtorem,

vt-

vtque eidem Domino Petro, cum omni iuris plenitudine ſuccedat, promouere, quem certe pro ipſa Eccleſia, et eius regimine hoc maxime tempore idoneum reputaui. Recommitto me pedibus Sanctitatis Veſtrae, quam Dominus feliciter dignetur conſeruare Regimini Eccleſiae ſuae ſanctae. Datum Budae 28. die menſis Ianuarii, Anno Domini CIƆCCCCL.

Qua eadem ſuper re aliae publicis e regni comitiis literae ad Pontificem datae ſunt. ap. KOLLAR. pag. 233.

Beatiſſime Pater!

Verſatum hactenus diſtinctis gradibus apud Sanctitatem Veſtram factum Colocenſis Eccleſiae, perperam proceſſit vacationis eius incommodo perdurante; demum coactis in vnum omnium noſtrum votis concordibus, quid nunc in eo facto, pro perſona Reuerendi Patris Domini Petri Epiſcopi Wacienſis deliberatum ſit, et exoptetur, ex literis Magnifici Domini Ioannis Gubernatoris noſtri, Beatitudo Veſtra aperte colligere poterit, videreque pariter ordinem, et reſpectum, quem circa Eccleſiae illius magis, quam perſonae nominatae quietem, tenuimus. Quocirca ſupplicamus Sanctitati Veſtrae deuotius, quatenus pro communi noſtro, et nihilominus praefatae Eccleſiae commodo, dignetur Beatitudo Veſtra praefati Domini Guber-

bernatoris, ac nostris in ea re votis quantocius satisfacere, vt Ecclesia ipsa ampliori vacationis tenore soluta, recreationis suae sumat initia properata, in quibus recte quidem nobis, et Ecclesiae illi magis, quam personae prouisum reputabitur. Ceterum quia post translationem praefati Domini Petri Episcopi, Ecclesia Waciensis vacatura est, praefatus Dominus Gubernator, de consensu nostro, honorabilem Vincentium, Canonicum Ecclesiae Varadiensis, ad ipsam Waciensem nominatum Sanctitati Vestrae praesentauit, in qua re dignetur etiam Beatititudo Vestra iuxta praesentationem eandem ipsi Ecclesiae prouidere. Datum Budae in Conuentione nostra XXIX. die mensis Ianuarii, Anno Domini CIↃCCCCL.

Ex quibus rei gestae series satis, vt arbitror, dilucide, intelligi potest. Historiae causa adiicio alias tres, quarum prima est ad collegium Cardinalium ab Huniade data ap. KOLLAR. pag. 234.

Reuerendissimis in Christo Patribus Dominis, Sanctae Romanae Ecclesiae sacro Cardinalium Collegio, Dominis meis honorandissimis.

Reuerendissimi Patres!

Dudum incoeptam, et pluribus iam instantiis deductam operam, pro consequenda prouisione Colocensis Ecclesiae, cum in cassum venire, atque tum ex rerum, tum vero animorum

morum mutatione, in eis viris, pro quibus supplicatum iri placuerat, interueniente, desertari cognouissem: operae pretium fuit, de facto eiusdem Ecclesiae in hac contentione Dominorum Praelatorum, et Baronum de nouo concordare, et nouam pro ea dispositionem a sancta Apostolica Sede expetere. Itaque scripsi superinde nouas literas de consilio ipsorum Dominorum Praelatorum, et Baronum sanctissimo Domino nostro summo Pontifici, item, et pro causa Waciensis Ecclesiae, ex quibus pariter Reuerendissimae Paternitates Vestrae de intentione, et votis omnium nostrum clare poterunt informari. Quocirca adtentissime rogo, et obsecro Reuerendissimas Paternitates Vestras, quatenus tam in facto praefatae Colocensis, quam etiam successiue in facto Waciensis Ecclesiarum dignentur, et velint Reuerendissimae Dominationes Vestrae apud sanctissimum Dominum nostrum suas partes, et operas interponere, vt voti compotes simul omnes effecti, congratulari dictarum Ecclesiarum commodo valeamus. Datum Budae XXVIII. Ianuarii, Anno Domini CIƆCCCCL.

Altera *ex parte* IOANNIS GVBERNATORIS ad Nicolaum Decanum Oratorem ap. KOLLAR. pag. 234.

Venerabilis Pater!

Mutationem rerum de statu vestro, quo animo feramus, ex adfectione nostra coniecturam

ram

ram habere poteſtis; quo enim vobis coniungi optabamus cordialius, eo disiungi taedioſius erit. Verumtamen omnia, quae vobis in melius ſuccedunt, ea nobis in congratulando vobiscum diuidua ſunt, quoniam haec diſtantia locorum eam vim non capiet, vt nos ab inuicem dilectione ſeparet, neue cogat in alterutrum vicaria defungi cura. Reſtat, vt nobis de intentione nobiscum remanendi, clarius mentem veſtram aperiatis, non deficiemus veſtro honori, et voto, credatis, modo cauete, ne oblata repudium patiantur. Ceterum in factis regni, et noſtris, propter rerum, et articulorum inuolucra, vobis praeſentibus ſingula notificare non poſſe viſum eſt; dedimus tamen ſcripturam memorialem ſignatam huic Magiſtro Petro cuſtodi, et Canonico Waradienſi, Capellano, et Nuncio noſtro, qui vobis per ſingulos articulos omnia ea, quae hac vice per Paternitatem veſtram apud Apoſtolicam Sedem expedire optamus, oſtendet, et notificabit. Quocirca rogamus eam Paternitatem Veſtram diligentiſſime, quatenus viſis, et auditis his, quae dictus Magiſter Petrus vobis de mente, et informatione noſtra oſtendet, et aperiet, velitis, vti cordialiter confidimus in vobis, diligentes operas veſtras adponere, vt eorum omnium votiuum conſequamur effectum. Itidem et circa facta Eccleſiarum Colocenſis, et Wacienſis rogamus exequendum, prout in literis deſuper miſſis vi-

debi-

debitis contineri. Datum Budae XXIX. Ianuarii, Anno CIↃCCCCL.

Tertia Episcopi Waradiensis ad NICOLAVM ibidem f. 235.

Venerabilis Pater mi!

Quid senserim de illa promotione vestra, vel potius remotione quoad nos, superioribus literis significaui; nunc quid sentiam, in idem venit, et paullo plus, quod scribere non valeo; dolor enim est, qui quidem magis tegi poscit. Vnum restat adhuc, quod si aequanimiter ferretis, cuperem adiicere. Recte equidem vobis fortunam interdum irasci, qui fortunae fauores abnuitis. Magni facio in omnibus modestiam, magnanimitatemque vestram, rerum in hoc vno, vt ex passione quadam loquar, parum nimis, vbi facitis difficultatem in his rebus, in quibus prudens difficultas procul abesse debebat. Plura dicere cuperem, et dicam, si datum fuerit aliquando praesenti videre faciem vestram; verum haec locutus, sileo amplius de hoc, ne forte obducta exulcerem. Sed de literis vestris, quas nudius tertius a quodam familiari, vt dicebat vestro, continuante iter versus Poloniam, habui, respondere quidem mibi multa veniunt in animum: verum opto, vt vosmet superinde vobiscum loquamini, quid dicere, aut sentire expediat de intentione, ani-

mo, fide, et adfectione meis? ego hunc fructum satis me habere reputabo ex nunc, si ita iudicatum de me fuerit, sicut me ipse iudico, vnde et cum plura super his articulatim scribere vellem, visum est, vt is Magister Petrus voces respondeat, et declaret, quod cupio, et dicere, et consequi. Datum Budae XXIX. Ianuarii, Anno Domini CIↃCCCCL.

§. XVII.

Omnium grauissima fuit controuersia de Praeposito Demesiensi, in qua conseruandae libertatis iuris patronatus regii caussa haec est ad Pontificem scripta litera HVNIADIS ap. KOLLAR. pag. 237.

Beatissime Pater et Domine.

Defungi properabam negotiis validioribus, quorum vis plus turbarum adlatura timetur, operae pretium ducens, non ad arma solum spectare iam vsum mei, sed ad pacis quoque negotia. Ea cura dum communi quieti auxilium ferre paro, intercessit ecce! res quaedam auribus sane nostrae communitatis insueta, quae satis potens fuit eiusdem animum, mentemque adeo percellere, vt intima vere eius sensum attigisse videatur, non abs re quidem, quoniam inexplorata grauedo, plus magisque animos defatigare solet. De facto Praeposituare

De-

Demesiensis loquor, et his, quae pro fratre Valentino, Sanctitatis Vestrae Poenitentiario, et ab eodem in id ipsum acta tentaque fuere, ac praesertim super censuris, et processibus illis, quos exinde nunc superinductos vulgo ferunt: in qua re, Pater Beatissime, quid dicere, aut quid polliceri mihi expediat, non facile inuenio, quandoquidem et persona illa mihi grata existat; et haec res tot iam sit irritamentis vexata, vt posse eum possessorem existere voti sui, omnino fides abierit. Noui quippe communitatis nostrae mentem, his censuris magis fore duratam; noui denique, quot, qualesque inuentiones, meo quoque officio exaggerant, rati, incuria aliquali rem istam turbulentam adoleuisse, vtpote cui ad prima principia expandi prouisionem maluissent, vt IVS, MOS, LIBERTASQVE PATRIAE IN TVTO FORENT. *Et quidem effugere quodammodo ea verba vix possum, libens tamen confiteor superiori congregatione generali, qua praefatus frater Valentinus pro hac re coram quoque aderat, cum pro reuerentia Apostolica, tum vero ob charum personae adfectum, lentius me suis votis restitisse. Sed quoniam tarde moliri, seramque prosecutionem agere videbatur, parum illi etiam opitulari poteram, vtpote iam perfunctus officio, quod mihi in ea re,* EX IVRE PATRONATVS REGIO *incumbebat. Cum itaque eo quoque tempore idem prospexisse potuit,*

alia se dispositione praeuentum, inuisam omnibus rem geri; praeterea Ivs Patronatvs Regivm, *ac* Libertatem Regni *anteferri, ceterum sic vt Apostolicae auctoritati derogari nolle, ita nec nostram abrogari placere, aliaque in identidem obiici, ob hoc modestius actum foret, si in ea re amplius nec impedientem se, nec impediendum praestitisset porro, in qua sibi, veluti flagrantibus omnium votis, praepedito incerta spe certus labor succresceret. Nunc vero, quo in id ipsum rapidius fertur, eo minus sustineri poterit, cum et ego contra publica vota iuraque regni votis suis de cetero adfinis esse non valeam.*

Inter haec igitur cogitanti mihi, quonam pacto, et Apostolicae auctoritati honor, et paci nostrae, libertatique consultae suus vigor seruaretur, occurrit salubrius, rationes nostras omnes obuias ad preces conuertere, atque ab eo expetere remedia, qui et suae causae auctor, et nostrae moderator, potens vnus, atque solus praesidet. Itaque in primis ego, qui vsum quemdam accepti beneficii pro idoneo obside Apostolicae gratiae adipiscendae possideo, in hac, et pro hac re ad pedes Sanctitatis Vestrae recurro, eandem tam pro suo interesse, quam pro nostra causa tuenda, humiliter inuocans, et supplicando exorans, quatenus ne sinat rem hanc in altioris differentiae cumulum progredi, vt videatur occasu libertatis alienae licentia cui-

piam,

piam, beneficiumque ortum. Ita enim Beatituto Veſtra et ſuam auctoritatem, et noſtras partes recte condecoratas faciet, ita denique quaeſtionem hanc aptiſſime enodem reddet, ſi hac in re, ceterisque ſimilibus et praeteritae quietis noſtrae ſuperſtes fore dignabitur, et auctrix futurae. Reuera enim haec ipſa cenſurarum inquietudo opportunae paci noſtrae conſentanea non exiſtit. Cum autem diſpoſitio illa, quam in facto dictae Praepoſiturae magis pro Eccleſia illa, quam perſona tunc nominata, Sanctitati Veſtrae iam dudum obtulimus, multum cordi, deſiderioque omnium noſtrum inſideat; optime ſatisfactum exiſtimabimus rebus, votisque noſtris, ſi his, quae hactenus impedimento fuere, expeditis, diſpoſitionem ipſam de gratia Apoſtolica optato effectui reſtituendum decerneret, quo quidem certe ſolidior, ac magis ſtabilis Eccleſiae ipſi nusquam poterit adhiberi.

Nam vt iterato ad factum antefati Patris noſtri, fratris Valentini ſermonem cum corde vertam, rectius ſane hoc tempore prouidebit quieti ſuae, ſi ſe ad religionem ſuam, ea cura magis, quam Eccleſia abſolui patietur, quippe ad quam ſibi tot obicibus iam quodammodo iter obſeptum videre videor. Si vero adhuc inuitis amplius neceſſitatem ſubiiciet, haec ſane neceſſitas non erit idonea, nec diuturna ad diligendum Magiſtra, quandoquidem ex hoc coniecto,

 et

et religionem ipſam, quae in hoc regno magis, quam in aliqua Chriſtianorum parte foecundior, feraciorque pullulat, plurimum odii, aut forſitan etiam inuidiae contracturam. Recte igitur et in hac parte opus eſſe arbitror, vt Beatitudo Veſtra religionem ipſam hac labe, vel potius tabe exſortem efficiat. Mihi vero non inter poſtrema praecipuus fauor accedet, ſi ea cura de cetero ſolutus, ad alias turbas, vti praefatus ſum, propulſandas liberius pergam. Recommitto me pedibus Sanctitatis Veſtrae, quam Dominus conſeruare dignetur feliciter regimini Eccleſiae ſuae ſanctae. Datum in congregatione generali Peſtienſi XI. die menſis Iunii, Anno Domini CIϽCCCCL.

Et altera Ordinum regni.

Beatiſſime Pater!

Impendet cura haud minor caeteris, quarum inuolucra rebus noſtris hactenus inquietudinem praeſtiterunt, quae cum nos ex inſperato moueat, ingerit pariter occaſionem publicam, vt inuiſae cauſae inuiti *obuiam ſuccedamus. Quippe ne ampliori ſilentio in ea ipſa cauſa tranſigere videamus, quae profecto noſtra patientia, curſum viresque nacta, eo euaſit, vt in ſolo iam noſtro graui praeiudicio finem conſtituat: ſicque laceſſiti vix tandem proloquimur, vt apud Beatitudinem Veſtram, vel*

nunc

nunc post principia moti sera potius, quam nulla remedia perquiramus. Res autem suadet aperta fronte differere, vtpote vbi pro libertate agitur, *pro qua nemini mortalium probro ducitur, si ampliori licentia parumper, vel opera, vel verba effuderit.*

Igitur in facto Praepositurae Demesiensis quid ex deliberatione nostra communi ordinatum sit, quidque iuste, et rationabiliter disponi optauerimus superioribus magnifici Gubernatoris nostri, ac simul nostrae communitatis literis Beatitudo Vestra intelligere potuit. Et quidem postquam Praepositura ipsa, discessu quorumdam fratrum de monte Olivueti, qui eam per certa tempora, sicut ab initio improuisa, sic demum instabili sede possederant, non resignata modo, sed aegre, misereque derelicta fuerat: mox curam eius suscipi disposuimus, et ne de caetero variis titulis, manibusque diuersa, cum nomine dotem quoque perderet, pro illa, vt ad primaeuae fundationis originem, nomen, et statum reduceretur, pia rectaque intentione institimus. Ceterum indemnitati, iuribusque eius vtilius prouidere cupientes, simul, vti fauoribus regiis propinquior, digniorque exsurgeret, deliberatum fuit, vt cuidam Capellae regiae, quae apud castrum Budiense decora structuris, verum dote vacua consistit, pro Dei, et regni nostri honore adnecteretur, ac si demum honorabili Magistro

Stephano, Praepoſito S. Thomae de Strigonio, Protonotario regni, recte, et bene prouiſa conferatur: qui videlicet idoneus, potensque apud nos viſus eſt, eiusdem iam pene neglectae, ac non parum deformatae Eccleſiae, et reformare ſtatum, et dignitatem iuraque reducere: quodque potiſſimum eſt, omnem in id ipſum opportunum ſibi noſtri parte fauorem, et patrocinium promereri.

In qua re, cum ſatis quidem nouerimus, nihil Apoſtolicae Sedis repulſa dignum egiſſe, nihil denique vendicaſſe, quod nobis hac tempeſtate curandum non incumbat; credebamus deuota fiducia ad rem ipſam a Sanctitate Veſtra NON VT PRAECARIAM SED MAGIS VT DEBITAM *opem expoſcere. Verum fides noſtra in hoc nobis parum felix fuit; nam contra euenit, Praepoſitura ipſa in Prioratum Ordinis Fratrum Heremitarum S. Pauli erecta dicitur, huicque Prioratui Frater Valentinus eiusdem Ordinis, vnus ex minoribus Sanctitatis Veſtrae Poenitentiariis, perpetuo beneficio inſtitutum ſe refert. Super quibus ita actis protulerat idem in congregatione noſtra, quae ante hanc proxime annua fuerat, certas literas, et Bullas Sanctitatis Veſtrae, ex quibus recte, nimirum eo quoque tempore nobis viſum fuerat, vt ſi Beatitudo Veſtra de conditione Eccleſiae ipſius, item de cauſa, voto, et diſpoſitione noſtra ordinatius informata fuiſſet, nequa-*

qua-

quaquam indignitatem illam crescere pateretur, vt Ecclesia ipsa ad impetens dicti Fratris regimen, infirmamque praeceps manum caderet, vtpote in qua actiuae forte haud minus, quam contemplatiuae vitae studia requiruntur. Qui quidem habuerat eo tunc familiare super his responsum, prout et Apostolicae Sedis reuerentia, et nostra rationabili excusatione dignum videbatur. Rogatus praeterea fuerat, ne hanc turbandae LIBERTATIS *nostrae non suspicionem modo, sed apertam speciem, obuersari amplius ante oculos sineret, neue eam sibi hoc aditu compareret notam, vt opinaremur eundem per speciem alienae fungendae vicis, non religionis, sed suas opes expetere. Itaque his habitis reuoluitur annus, nobisque nunc institutam conuentionem generalem iterato agentibus, vulgatum fuit in medio nostri, auditumque cum ingenti taedio, in facto prioratus praenotati amplius, processum fuisse, multiplicesque sententias, ac censuras, item aperta grauamina, fulminatas, ac etiam promulgatas, per quas praefatus Frater Valentinus magis magisque instare videtur ad consequendum votum suum; neque id, quo pacto adsequeretur, quidquam pensi habere, quandoquidem* LIBERTATI NOSTRAE, AB OLIM VINCI NESCIAE: IMMODERATA VIS INDICITVR.

Indigna, Beatissime Pater! deuotione, fideque nostra haec ipsa turbulenta nouitas, quae

post aliorum plurium quietem turbinum exoriens, rem, magno interuallo disuetam vsurpat. Nam satis quidem domitos reputabamus animos, mentesque nostras ad omnem reuerentiam Apostolicae Sedis confouendam, quibus hoc genus coercendi parum scimus an licuisset adiicere, vt in sui, PATRIIQVE IVRIS IACTVRAM *supra debitum tenderentur. Et recte quidem supra debitum, vbi pati compellimur,* IVRA, DIGNITATEMQVE CORONAE NOSTRAE, *et nos pariter contemnere inuicem, et contemni. Quo sane facto, cum apertius iam consueti status nostri fragos increpuerit,* MOS, LEXQVE *aspernabantur,* LIBERTAS *labet, aequa restitutioni nostrae remedia curare opus habuimus. Verum inprimis querelas superinde, refugiaque nostra confidenter ad sanctam Apostolicam Sedem referimus, cuius praecipue interest,* VT SVBIECTA SIBI REGNORVM IVRA CONSERVET PRIVS, QVAM MODERETVR, *praetendentes palam, proponentesque, ac etiam* MANV VSQVE TENENTES *circa omnium huius regni beneficiorum* DISPOSITIONEM, ET COLLATIONEM IVS PATRONATVS REGIVM, LIBERTATEM REGNI, AC PRIVILEGIA LEGEMQVE, *vt ita dicamus, supra hominum memoriam adprobatam, et nihilominus toleratam. Accedit et* CONSVETVDO, *cui superiorum Pontificum temporibus incorrupto hactenus fauore delatum nouimus. Quibus omnibus paterno iudicio acceptis,*

ceptis, placeat Beatitudini Veſtrae, haec noſtra quoque tempora, hoc impedimento abſoluere, in quo non ipſi Stephano Praepoſito, ſed communi noſtrae LIBERTATI *viam graſſari ad iniuriam conſpicimus; nec in re ipſa ſinat* IVRA CORONAE REGIAE, *ſicut contemni hactenus, ſic deinceps ludibrio fore: Ita enim et praefatae Eccleſiae, et noſtrae expectationi vere prouiſum reputabimus, ſi ſubmotis cenſuris, ac proceſſibus praenotatis, ipſa vexata Eccleſia nomini ſuo, et ſtatui originali, item praetacto Rectori reſtituetur; ſicque eo ordine iuxta diſpoſitionem Gubernatoris noſtri, et noſtram ſupratactam non Apoſtolica auctoritas ſed noſtra inquietudo minorabitur. Quae quidem vt Sanctitas Veſtra decernere, et inſtituere dignetur, iterum, ac iterum deuotiſſime ſupplicamus; quibus rebus nihil ſolidius, nil denique in perdurando praeſtantius, eidem Eccleſiae adferri, et prouideri poterit. Nam ſi Beatitudo Veſtra antefatae religioni, vel dicto fratri Valentino adeo adficitur, vt eius ſinum amplificare libeat; alia certe dote noua opus eſſet: in hac enim veteri commodius erit omnium noſtrorum* LIBERTATEM, *quam vnius palam* LICENTIAM *malle. Enimuero caſu, quo in re ipſa, et hac vice, neglecti fuerimus, idemque frater Valentinus antedictus proceſſibus, et cenſuris inniti ſtatuerit, aperta facie dicimus, proſequi quidem poterit, ſed an adſequi etiam,*

in

in dubio ſitum eſt, praeſertim ſi LIBERTATE LAESA, IVRI PATRONATVS QVOQVE REGIO VVLNVS ADIICIET. *Verumtamen hoc vnum, ſalua Apoſtolica auctoritate, et reuerentia ſine dubio nouerit, ita induxiſſe in animum, ita denique omnium generalem voluntatem eſſe, vt in dicta Eccleſia* HOSTI PRIVS, QVAM TALI HOSPITI LICEBIT PORTAS PATEFACERE, QVIQVE LIBERTATI IN REGNO FINIS, IDEM REGNO FIET. *Proinde Beatitudo Veſtra, ſi deuotam ſibi fide, et officio ſaluam cupit eſſe Vngariam, patiatur et liberam fore, de cuius tuenda cauſa iam forte latius prolocuti ſumus, dum nos eiusce illatae turbationis piget, taedetque. Conſeruet Dominus Sanctitatem Veſtram feliciter regimini Eccleſiae ſuae ſanctae, cuius pedibus nos humiliter recommittimus. Datum in Conuentione noſtra Generali Peſtienſi XII. die menſis Iunii, Anno Domini MCCCCL.*

E. V. S.

Deuoti Oratores et Serui,

PRAELATI, BARONES, COMITES, MILITES
ET
PROCERES REGNI HVNGARIAE VNIVERSI.

Ex quibus intelligi poteſt, quanta animorum fortitudine Maiores noſtri pro libertate Eccleſiae Hungaricae contenderint. Cuius conſtantiae vere ſpecimen etiam exhibet eius-

eiusdem CORVINI ad ARAGONIVM an. MCCCCLXXXIII. data epiſtola, cuius pars ius hoc Regum Hungariae mirifice illuſtrat: Eſt autem iſtud: verbis:

Nobis, inquit, *non deeſſet ſtudium, et ardor ad defenſionem Chriſtianam, dummodo aliorum quoque animi pari voto tam ad neceſſarium, piumque, et ſanctum opus concurrerent. Sed profecto dolemus, nos poſt multos, et adſiduos labores, quos ſine intermiſſione pro fide, et defenſione Chriſtiana ſuſcipimus, ſaepius a Pontifice, a quo aliam gratiam mereremur, conturbari; et antequam iuſtitia noſtra cognoſcatur, ipſum in aliorum tranſire ſententiam, quemadmodum fecit, dum quae a nobis inique per Venetos occupata omnem illis fauorem Pontifex contra nos oſtendit, et nobis inauditis illorum ſuggeſtionibus inclinatus eſt. Fuit, et hoc nobis graue, quod ius noſtrum, in electionibus Praelatorum regni noſtri, a praedeceſſoribus noſtris Regibus deuolutum ad nos, turbare voluit; cupiens aliis, cum noſtro praeiudicio, et iuris noſtri detrimento, de Epiſcopatu Modruſienſi, qui ad noſtram electionem ſemper pertinuit, et pertinet, complacere. Nec conſiderat, quantum nobis ea res praeiudicii inferat, et quam impoſſibile ſit nobis in ea re Pontifici morem gerere, et id tolerare. Credimus id non faceret, ſi ſciret, quanti momenti ea res apud nos Vngaros reputatur.*

Quod

Quod quidem in his diebus patuit, cum certos regnicolas harum partium feceramus conuenire, a quibus tanti clamores ſunt contra nos habiti, quod nos iura noſtra negligamus, vt profecto veritiſſimus, ne populus omnis in ſeditionem verteretur. Et vt aperte cognoſcat, certo ſcire Pontifex debet, duplicatam illam crucem, quod regni noſtri eſt inſigne, gentem Hungaricam libentius triplicare, quam in id conſentire, vt beneficia, et Praelaturae, ad ius Coronae ſpectantes, apud Sedem Apoſtolicam conferantur.

Neque ſane aut olim vnquam aut eſt hodie alia Hungarorum ſententia, quam quod liberum ſit in nominandis Praeſulibus Regum Hungariae arbitrium. Iuuerit hoc loco in horum omnium confirmationem dignum memoria Cardinalis Pazmani Archi-Epiſcopi Strigonienſis viri rerum Hungaricarum peritiſſimi Ferdinando II. datum reſponſum ſubiicere. ap. Peterf. P. I. f. 75.

APPENDIX II.

Pazmanus certe Apostolicae Sedis obseruantia non minus, quam rerum domesticarum notitia instructissimus, dum semel iterumque nominari a Ferdinando II. Hungariae Episcopos, Roma quaereretur; ne quid infirmari in concesso Diuis Regibus priuilegio sineret, erudita aeque, ac neruosa dissertatione, quae coram est, religiosissimum Principem excitauit; e qua abunde elucebit, quid iuris S. Stephano et Successoribus a Sede Apostolica in distribuendis Ecclesiarum Praefecturis indultum sit. Sic enim ad quaestionem a se motam: *An Regia Maiestas, more aliorum Patronorum tantum, habeat ius praesentandi, et nominandi, vel potius iure peculiari Coronae, possit eligere Praelatos, et conferre beneficia Ecclesiastica?* respondit: *Iure communi, verba sunt Pazmani, nulli laico conceditur collatio beneficiorum ecclesiasticorum, vt constat ex c. dudum, 81. §. caeterum. cap. nullus, 17. de iure patronatus, et saepe alibi: Quocirca Patroni Ecclesiarum, ratione fundationis, vel dotationis, habent quidem ius nominandi, et praesentandi ad beneficia, ius tamen conferendi*

rendi beneficia, omnium iure non habent. Viri nihilominus docti fatentur, laicos ex consuetudine, vel priuilegio posse conferre extraordinarie beneficia. Quocirca Gregorius Tolosanus in Syntagmate iuris notat, de facto Reges Galliarum in certis Ecclesiis, quae iuris regalis sunt, conferre beneficia, pluresque auctores pro hac sententia recensens, haec ipsa verba Concilii Basileensis, de taxatione quintae partis beneficiorum agentis subnectit. EXCEPTIS BENEFICIIS, QVORVM IVS PATRONATVS, PRAESENTATIO, COLLATIO, INSTITVTIO, VEL PROVISIO AD REGEM, IVRE REGALIAE, VEL ALIAS PERTINENT. *Et certe, cum haec omnia ad beneficiorum collationem spectantia, sint iuris ecclesiastici, positiui, potuit vel ex pacto Regum, Ecclesias fundantium, vel ex paterna summi Pontificis indulgentia, vigor iuris communis quibusdam Regibus relaxari, illisque concedi, vt, salua summi Pontificis auctoritate in electione ad consecrationem, et in confirmatione: Reges nonnulli possint eligere Praelatum eo modo, quo capitula solent eligere Episcopos in Germania. Nec adducor, vt credam, hodie quoque summum Pontificem, Orientalibus Principibus hanc facultatem non concessurum, si ipsi subditos populos, hac expressa sub conditione, vellent Ecclesiae Catholicae aggregare.*

Quae-

Quaestio igitur restat solum: An defacto Reges Hungariae habeant hanc potestatem non solum nominandi, ac praesentandi, verum etiam eligendi, et conferendi? Et quidem in corpore iuris Vngarici diserte habetur, collationem beneficiorum ad Regem spectare: summum vero Pontificem praeter confirmationem nullam in hoc regno iurisdictionem exequi circa beneficia. Idque operose admodum, quatuor rationibus comprobatur, quas breuitatis causa in pauca contraham. PRIMA: *Quia Reges Vngariae soli fuerunt fundatores omnium Ecclesiarum, et Episcopatuum, eo pacto fundationes instituerunt, vt omnem facultatem nominationis, et collationis beneficiorum sibi reseruarent.* SECVNDA: *Quia S. Stephanus, qui primus Episcopatus, Abbatias, Praepposituras fundauit, non per Apostolicae Sedis praedicationem tantum, sed per institutionem etiam propriam, ad Christianitatem adduxit Vngaros. Et ab ipso praelaturarum fundationis initio, ex nutu summi Pontificis idoneis, quibus voluit, ipse solus contulit Praelaturas. Quod constat partim ex prosa in festo S. Stephani Regis Vngariae cantari solita, partim ex priuilegiis eiusdem S. Regis super Ecclesiarum fundationibus emanatis.* TERTIA: *Iure praescriptionis id sibi vendicant Reges Vngariae; nam ab annis sexcentis in reali, et pacifico vsu, ac possessione collationis beneficiorum fuerunt.*

QVARTA: *Quia ista libertas regni, quantum ad collationem beneficiorum, vna cum aliis compluribus libertatibus huius regni in Concilio Constantiensi corroborata, et iurisiurandi religione firmata fuit, prout in Bulla superinde confecta clare continetur.* Huc vsque ius Vngaricum. *Et sane: adeo semper iuris istius fuere Vngari, vt nullam vnquam praeuentionem (quae solet in nudis patronalibus vsurpari) admiserint, quam potius (ecclesiasticis licet reclamantibus) in leges retulerint.* DECRET. II. VLADISLAI. ANNI 1492. ART. 31. QVI AB ALIIS, QVAM A REGE BENEFICIVM ECCLESIASTICVM PROCVRARET, IN PROFLVENTE DEMERGERETVR. *Quocirca vsus in Vngaria obtinuit, vt quamprimum Regia Maiestas aliquem Episcopum nominat, ea quidem, quae ordinis sunt, nullo modo attingat, quae tamen ad iurisdictionem spectant, omnia exequatur. Nam beneficia confert, reditus percipit, habitu Episcopali vtitur, ab omnibus electus Episcopus scribitur locum, ac ordinem in sedendo, et sententiis dicendis, sicut in Comitiis regni, sic et in Synodis seruat. Per abusum vero nonnunquam accidit, vt consecrationis gratiam a Sede Apostolica non modo tribus mensibus, sed ne quidem tribus annis procuret.*

His

His praemissis, mea hac de re sententia in his consistit, PRIMO: *Praelatos Vngariae nec posse, nec debere vsitatum loquendi modum immutare, sed loqui debere, vt plures; nimirum: quod Rex Vngariae det, donet, conferat beneficia. Ratio est; nam leges Vngaricae criminis laesae Maiestatis reum faciunt, qui contra publicum statum regni sese erigit. Cum igitur publicum regni statutum sit, Regem conferre beneficia, summum Pontificem tantum habere ius confirmandi: certe hisce temporibus in summum discrimen adduceretur, qui a veteri, et recepta loquendi formula recederet. Quae causa fuit, cur Praelati Vngariae, dum vna simul essent in Synodo Prouinciali Tyrnauiae, nihil in hac re sentiret innouandum.* SECVNDO: *Rebus ita se habentibus, prout quatuor illis rationibus in iure adlegatis referetur, nimirum, quod Reges Vngariae in prima Ecclesiarum fundatione in pactum deduxerint, ius collationis; quod S. Stephanus nutu Pontificis hoc iure vsus sit; quod per annos sexcentos in pacifica possessione fuerint; quod Martinus PP. V. Bulla iurata hoc priuilegium confirmarit; rebus inquam ita se habentibus omnino certum est, Reges Vngariae non tantum vt ceteros Patronos habere ius praesentandi, sed etiam eligendi, ac conferendi beneficia.*

Et *quamuis Archiua Regum Vngariae perierint, eo tamen tempore, quo lex illa ſcribebatur, extabant; et Bullae, ac cetera documenta, quae illis rationibus adſumuntur, haberi poterant. Nec poteſt prudenter in dubium vocari, an ea, quae illis quatuor rationibus adſumuntur, vera ſint, nec ne? ſiquidem iis temporibus lex illa conſcripta fuit, quibus nulla erat exortarum nuper haereſum ſuſpicio: ſumma erat Vngarorum in Sedem Apoſtolicam pietas; et credibile non eſt, Regnum vniuerſum vna cum Rege, ac Praelatis in has argumentorum probationes conſenſurum fuiſſe, niſi illis certum, exploratumque eſſet, et Bullam exſtare, et cetera, quae adſumuntur, vera eſſe. Vnde ſi Hiſtorico vel Doctori alicui in rei geſtae narratione, plurimum fidimus, certe regni vnius multo grauior eſſe debet teſtificatio, ſummaeque inſaniae eſſet, manifeſti mendacii tot, ac tales ſimul accuſare. Eapropter licet Bullae illae, ac cetera documenta, quae illis rationibus citantur, produci non poſſint, direpta a Turcis Buda, Regalis Archiui ſede; in re tamen morali ſufficientiſſimum videtur teſtimonium totius regni tunc Catholici ad perſuadendum, Reges Vngariae reuera habere ius eligendi Praelatos, et conferendi beneficia. Saluo iterum manente iure Prontificis, in eligendo ad conſecrationem, et in confirmando, ſi dignus ſit, quem Rex elegerit: vel*

in

in repellendo, ſi manifeſte indignus probetur. Haec Pazmanus.

Altera emerſit quaeſtio de Epiſcopatibus *Titularibus*, quorum collationem, vtpote ab Hungaria, temporum calamitate, et bellorum viciſſitudine, auulſorum, ad ſe recidiſſe Romana Curia contendit. Sed pari facundia, pro hoc etiam domo, Pazmanus noſter perorauit. En neruum argumentorum! Sellya 16. Iunii 1635. Ferdinando miſſorum.

Diſcurſus breuis circa motam in Curia Romana difficultatem de Titularibus Epiſcopatibus Vngariae.

Quid leges Vngarica e habeant, de auctoritate Regiae Maieſtatis, Epiſcopatuum Vngariae collationem, ſeu nominationem, tranſcriptis ipſiſſimis legum Vngariae verbis, ſuae Maieſtati tranſmiſi iam pridem.

Ego ex principiis generalibus exiſtimo, Maieſtatem Regiam conſentire nec poſſe, nec debere, vt nominatio cuiuſcunque Epiſcopi titularis ad Coronam Vngariae ab antiquo ſpectans, a ſua Maieſtate transferatur; ſed poſſe ac teneri ad inſtar praedeceſſorum ſuorum eiuſmodi collationes, vel nominationes pro ſancta Corona reſeruare, ob has ſequentes rationes.

PRIMO. *Quia Reges Vngariae in continuato vſu, et reali poſſeſſione fuerunt huius collationis, vel nominationis: vt ſola praeſcriptione tutari ſe poſſe non immerito poſſint. Nec credendum eſt, ſuam Sanctitatem, vel cogitando quidem, hiſce tam exulceratis temporibus, odioſis materiis difficultates augere velle, ſed potius praedeceſſorum veſtigiis ſapientiſſimo conſilio inſtituram.*

SECVNDO. *Vſus iſtius fundamenta authentica ſunt, et Sedis Apoſtolicae indulta, et Conciliorum adprobationes, et Ius, ac titulus fundationis, et pacta cum Sede Apoſtolica inita, tempore reductionis gentis Vngaricae ad fidem Apoſtolicam. Quorum omnium documenta ex authenticis legibus Vngariae, ante haereſes exortas, praeſentibus nec abnuentibus Sedis Apoſtolicae legatis, promulgatis peculiari ſcripto ad verbum ex legibus excerpto, Maieſtati ſuae antehac tranſmiſi.*

TERTIO. *Debitus honor Bullis Clementis VII. ac Iulii III. habeatur, vbi receptae, ac contrario vſu abrogatae non ſunt. Certum tamen eſt, a Sede Apoſtolica in regno Vngariae contrariam conſuetudinem vſu continuo adprobatam eſſe. Et nominationes a Regibus Vngariae factas pro Epiſcopatibus olim ad Vngariae coronam ſpectantibus admiſſas, et adprobatas fuiſſe. Quo ipſo continuo vſu, apertoque, ac manifeſto Sedis Apoſtolicae conſenſu, adprobatum, ac declaratum eſt, quod Bullae non praeiudican-*

Re-

Regi Apostolico, vel pactis cum Sede Apostolica initis tempore reductionis gentis Vngaricae ad fidem Catholicam. Nam si hodie Rex Angliae, vel Scotiae pactum iniret cum Sede Apostolica, vt si ad Catholicam reducet errantes, ipse solus nominare Episcopos possit, (salua electione ad consecrationem, quae Sedi Apostolicae competit) seruare hoc pactum teneretur sancta Sedes, nisi iuridice ob graues causas successor aliquis hoc iure priuaretur,

QVARTO. *In regno Vngariae Principes praetendisse ius nominationis, et prouisionis colligi potest ex multis, ac seuerissimis legibus ante haereses exortas, in Vngaria latis, quibus sub amissione vitae sanxerunt, ne a Sede Apostolica (praeter confirmationem) beneficia obtinerentur. Praesentes fuere Apostolici Nuncii, dum hae leges ferrentur: Catholica erat tota Vngaria, et tamen Sedes Apostolica nullam hac de re litem mouit.*

QVINTO. *Si toto regno Vngariae Catholico existente, Sedes Apostolica nec habuit, nec praetendit ius nominationis vllius Episcopatus Vngariae Coronae adnexi, nunc, dum magna pars haeretica est, dum etiam Catholici putant Regiam Maiestatem teneri ius veterum Vngariae Regum manu tenere, omnino incredibile est, quod vlla nouitas, induci possit. Itaque nolle Regibus permittere consuetam nominationem, nihil aliud est, quam velle totaliter ab-*

rogare, ac delere huiusmodi Episcopatus. Nam licet ecclesiastici regni Vngariae mandato] suae Sanctitatis obediant, [nemo tamen secularium vel titulo agnoscet Episcopum, quem Rex non nominabit; nemo ad vllos publicos consessus tanquam Episcopum admittet, nemo locum in comitiis, ac iudiciis illi permittet. Quo facto, et Sedis Apostolicae dignitas, et personae nominatae existimatio (si non vita) periclitabitur.

SEXTO. *Titulares Episcopi Vngariae, non sunt sicut titulares, quos Sedes Apostolica in partibus infidelium nominat: vt Patriarcha Constantinopolitanus, Antiochenus, Episcopi Ephesiorum etc. hi enim nomen gerunt, nullum realem actum ecclesiasticum, vel politicum retinent, quem antea, dum in sedibus erant, retinebant. Ideoque sunt meri titulares. In Vngaria nullus est talis titulatus: nam hi Episcopi, locum, sessionem, ius suffragii in comitiis, ac iudiciis aeque retinent, atque dum residebant; nec vllus illorum est, qui non ouibus aliquibus sui Episcopatus e vicino aduigilet. Itaque Bullae, quae de nudis titularibus Episcopis editae sunt, ad hos Episcopos Vngariae in odiosis extendi nullo modo possunt, cum non sint nude titulares.*

SEPTIMO. *De Episcopatus Transiluaniae statu informati non sunt Romae. Transiluania, aeque ac Posonium subiecta fuit, est et Re-*

Regibus Vngaria a temporibus S. Stephani vsque ad tempora Solymani Turcae, qui pro Ioanne Scepusio, armata vi, ac iniuste Transiluaniam a Corona separauit: de iure tamen non separauit. Exclusus tunc fuit Episcopus ex Transiluania, et prouentus Episcopatus fisco addicti: semper tamen Reges Vngariae retinuerunt ius nominandi Episcopum, et sine intermissione nominarunt. Princeps Sigismundus Bathory, obtenta a Sede Apostolica dispensatione, vt bona Episcopatus Albensis retinere pro fisco posset; obtulit Episcopo Albensi sat honesta bona pro sustentatione: Et pro persona Sigismundi, tanquam adfinis, permissum fuit a Rudolpho Caesare, vt illum, quem ex Praepositura Agriensi illuc amandaret Caesar, nominare Episcopum Albensem posset. Ceterum et leges scriptae, et Archiua omnia habent, Episcopatum Transiluaniae nec secus ac reliquos Episcopatus Vngariae adnexos esse.

LIBER II.

TITVLVS I.

De iudiciis.

I. EX SYNODO STRIGON. Nat. ſub COLOMANNO R. et Seraphino A. E. Strigon. editarum Conſtitutionum circa Annum 1103. Cap. XXV. ap. PETERF. P. I. f. 57.

De Clericis, vel Abbatibus ſeculare iudicium quaerentibus.

Si quis vero Clericum, vel Abbatum in cauſis eccleſiaſticis relicto Epiſcopali iudicio Regalem curiam, aut ſeculare iudicium adierit, cauſam perdat, aut ſe paenitentia emendet.

II. SIGISMVNDI Imp. et R. Decret. II. ſeu Minoris A. 1405. Art. 3. in Corp. I. H. Tom. I. f. 179.

Notarii publici non valeant procurare inter duos laicos in iudicio ſeculari.

Decreuimus inſuper, quod nullus *publicus Notarius* in cauſis, quae inter duos laicos vertuntur, ſiue coram iudice eccleſiaſtico, ſiue ſeculari procurare audeat, vel vllatenus aduocare: ſed tantum in foro ſpirituali

rituali, ſeu Vicariorum curiis locum habeat.

III. EIVSD. Decret. Art. 14. ibid. f. 181.

Eccleſiaſtici profanas, ſeculares vero iudices eccleſiaſticas cauſas non diiudicent, neque cognoſcant.

Diſpoſuimus etiam de modo, et conſuetudine ab antiquo ſolitis obſeruari: Quod Praelati, et quipiam viri eccleſiaſtici, cauſas aliquas inter regnicolas noſtros motas, amodoque et in antea, qualitercunque, et vbicunque mouendas, et ſuſcitandas, vt puta iudicium ſeculare concernentes, iudicare, et definire minime valeant, neque poſſint.

§ 1. Et e conuerſo Barones, Comites Prouinciarum, et alii regni noſtri Nobiles, ciuesque, et Hoſpites cauſas aliquas, ſeu quaeſtiones, forum videlicet eccleſiaſticum tangentes, diſcutere, et iudicare non debeant, neque praeſumant.

§. 2. Et ſi inter ipſos Dominos eccleſiaſticos ab vna, parte vero ex altera iudices ſeculares praetaxatos ſuper aliquibus cauſis in eorum praeſentia vertentibus circa ipſarum cauſarum iudicium, cui videlicet ipſarum iudicium pertineat? Diſcordia, ſeu diſceptatio aliqualis extiterit ſuborta; Ex tunc partes eaedem cauſas, ſeu cauſam hu-

ius-

iusmodi litigiosas in specialem nostram praesentiam (vbi DEO duce pro tunc fuerimus constituti) cum Praelatis, et Baronibus dirimendas, transmittere teneantur: Vbi decernentes sanciemus, ad cuius partis iudicium, seu forum spectare debeant, et pertinere causae praenotatae.

Hic Articulus pene verbatim repetitur in SIGISM. *Decreto III. Art. 12. Conf.* MATTH. *R. Decret. 3. Art. 17.*

IV. MICHAEL SZILAGY Gubernatoris Decret. Vn. A. 1458. Art. 9. in Corp. I. H. Tom. I. f. 214.

Quales causas ecclesiastici possint iudicare?

Item quod iudices *ecclesiastici*, neque Archiepiscopi, et Episcopi vel eorum Vicarii iudicare valeant, nisi dotes, et res paraphernales, iura quartalitia, factum decimarum, effusiones sanguinum, et verberationes ecclesiasticorum, et mulierum, nec non testamenta, et matrimoniales causas, ac de periurio: prout in canonibus expressum est.

V. MATTHIAE I. seu CORVINI R. Decret. I. A. 1462. Art. 3. in Corp. I. H. Tom. I. f. 216.

Causae forum spirituale concernentes.

§. 1. Omnes causae circa Mysteria, et defectus Sacramentorum.

§. 2. Item causae in facto fidei, et causae haeresum, seu suspectorum de haeresi.

§. 3.

§. 3. Item causae testamentariae, et earumdem accessoria.

§. 4. Item causae Matrimoniales, et accessoria earumdem: specialiter autem dotis, et rerum paraphernalium, donationum propter nuptias, et iuris quartalitii, si non intentetur pro haereditate possessionaria adipiscenda.

§. 5. Item causae decimarum realium, et personalium, et accessoria earumdem.

§. 6. Item Causae vsurarum.

§. 7. Item causae viduarum, et miserabilium personarum, si non agitur pro possessionibus, et praediis adipiscendis.

§. 8. Item causae fidei violatae, et omnium periuriorum: Et causae, quarum finis tendit ad correctionem peccato.

§. 9. Item omnem causae, in quibus quis incidit in sententiam excommunicationis hominis, vel canonum.

§. 10. Quibus quidem articulis praemissis modo praemisso Nobis praesentatis, supplicauerunt nobis dicti Praelati, Barones, et Nobiles regni nostri, vt eosdem articulos regio consensu adprobantes dignaremur deinceps facere obseruari.

§. 11. Nos itaque supplicationibus eorumdem Praelatorum, Baronum, Procerum, et Nobilium dicti regni nostri inclinati praedictos articulos, et quemlibet eorum ac-

cep-

ceptantes, et adprobantes, decreuimus deinceps inuiolabiliter obſeruandos: obſeruabimusque, et obſeruari faciemus cum effectu.

§. 12. In quorum omnium praemiſſorum teſtimonium praeſentes literas noſtras *ſecreti ſigilli* noſtri, quo vt Rex Vngariae vtimur, munimine roboratas; vniuerſitati dictorum Praelatorum, Baronum, Procerum, et Nobilium praedicti regni noſtri duximus concedendas.

§. 13. Datum Budae vigeſima die congregationis generalis ſupradictae *Anno* Domini *Milleſimo*, *Quadringenteſimo*, *Sexageſimo ſecundo.*

VI. Matthiae I. R. Decret. II. A. 1471. Art. 16. ibid. f. 220.

De cauſis forum eccleſiaſticum concernentibus.

Item praeter factum teſtamenti, matrimonii, dotum, et rerum paraphernalium, periurii, verberationis, et ſpoliationis clericorum, et mulierum, ac praeter illas alias cauſas, quae profanae non eſſent, *in foro ſpirituali* nulla cauſa tractetur.

VII. Eivsd. Decret. III. A. 1471. Art. 17 eod. loc. f. 223.

In foro ſpirituali non iudicentur aliae cauſae, praeter illas, quae expreſſae ſunt in ſecundo Matthiae Decreto.

Quod illae cauſae in foro, et *ſede ſpirituali* tractentur, et iudicentur; quae in dicto

cto Decreto nostro tempore coronationis nostrae edito continentur, et aliae non.

§. 1. Et vbi contrarium acceptaretur, pro habendo superinde remedio, petatur Regia deliberatio.

VIII. EIVSD. Decret. V. A. 1481. Art. 17. §. 3. ibid. f. 232.

Causae mere ecclesiasticae primum apud cuiusuis Ordinarium prosequi debent.

Si vero aliquae essent causae *mere ecclesiasticum forum* concernentes, in his vnusquisque secularium, vel ecclesiasticarum personarum coram *Ordinario suo* primum prosequatur: Et deinde si contentus illius iudicio non fuerit; ad suum *Metropolitanum* adpellet, et sic consequenter.

IX. VLADISL. II. R. Decret. I. siue Maioris A. 1492 Art. 45. in Corp. I. H. Tom. I. f. 266.

In Romanam Curiam, aut in praesentiam Legati, vel Nuncii Apostolici suo Dioecesano neglecto, conuenire aliquem in iudicium non licet.

Quia nonulli Clerici, et alterius conditionis plerique homines tam Nobiles, quam ignobi-

biles in *Curiam Romanam*, vel dum aliquis Legatorum Summi Pontificis in hoc regnum Vngariae miſſus introierit, in eius praeſentiam incolas huius regni, praeſertim ſimpliciores, exquiſitis quibusdam occaſionibus, interdum etiam calumnioſis citare, et eos lite mediante magis, ac magis vrgendo, et vexando ad ſolutionem alicuius ſummae compellere, ſicque ſuam vitam *criminoſè* nonnunquam per fas, et nefas alere, et ſuſtentare conſueuerunt.

§. 1. Propterea vt talium ſceleratorum, lucro gaudentium illicitus quaeſtus, et via calumniandi ceſſet inpoſterum; per Barones, Proceres, et communitatem totius regni huius ordinatum eſt, et ſtatutum.

§. 2. Quod deinceps, nullus omnino hominum, quempiam ratione alicuius negotii in *Curiam Romanam* vel praeſentiam cuiusuis Legati citare praeſumat, niſi primum coram ſuo Ordinario Dioeceſano, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, aut eius Vicario in cauſa conuenire, et cum eo iuridice procedere, tandemque dum aliqua partium iuſtitiam ſibi vel denegatam, aut alias ſe indebite adgrauari, et condemnari ſentiret, cauſam huiusmodi in *Curiam Romanam*

nam, vel praesentiam ipsius Legati per viam adpellationis, et non aliter prouocare, deducereque, et prosequi valeat, atque possit.

X. EIVSD. Decret. eod. A. et loco Art. 46. f. 267.

Causae ecclesiasticum forum concernentes. Vicarii ad mandatum Iudicis Ordinarii causas in Curiam Regiam sub poena amissionis beneficiorum transmittatur.

Praeter factum testamenti, matrimonii, dotum et rerum paraphernalium, ac iurium quartalitiorum, periurii, verberationis, et spoliationis clericorum, et mulierum, et praeter illas alias causas, quae profanae non essent; in *foro spirituali* nulla causa tractetur, et e conuerso.

§. 1. Casu autem, quo aliquis Iudicum ecclesiasticorum causam non ad suum forum spectantem coram se reciperet, et ad *literas praeceptorias* in praesentiam iudicis secularis competentem, non transmitteret; Ex tunc talis iudex ecclesiasticus beneficio sit priuatus, et Regia Maiestas beneficium, siue officium illius alteri conferre possit ipso facto.

§. 2. Iudices autem ecclesiastici in hoc casu intelligantur *Vicarius*, et *Officiales Praelatorum.*

§. 3. Si autem iudex ſecularis cauſam aliquam per iudicem eccleſiaſticum ſuam praeſentiam tranſmiſſam; forum eccleſiaſticum concernere cognouerit; rurſus in praeſentiam ipſius iudicis eccleſiaſtici remittere debeat, et teneatur.

XI. VLADISL. II. R. Decret. III. ſiue Minoris A. 1498. Art. 61. in Corp. I. H. Tom. I. f. 303.

Cauſis in profanis nemo cogatur reſpondere coram iudicibus ſpiritualibus.

Iudices ſpirituales neminem compellant ad reſpondendum coram ſe in cauſis profanis ſub poena excommunicationis, vel aliter.

§. 1. Alioquin dato, quod quiſpiam hominum errore, vel ignorantia ductus, vel metu ſententiae reſpondeat, nullius ſint momenti.

§. 2. Et propter excommunicationem *homagium excommunicati* perſoluat: Quia regnicolae per ipſos iudices ſpirituales per tales coactiones, et *illicitas excommunicationes* plurimum adgrauantur.

XII. VLADISL. II. R. Decret. VI. A. 1507. Art. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 320.

Citationes in foro eccleſiaſtico cum expoſitione decernantur.

Citationes in *foro eccleſiaſtico* non niſi cum expoſitione amodo in poſterum decernantur.

§. 1.

§. 1. Et, si ex huiusmodi expositione causa ipsa profana esse, aut alias forum ecclesiasticum non concernere agnita fuerit, Vicarii causam ipsam in eorum praesentiam nullatenus acceptent: sub poena in minori Decreto expressa.

XIII. FERD. I. Imp. et R. Decret. XIII. A. 1552. Art. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 448.

Ecclesiastica iudicia (praeterquam tempore belli) continuo fiant: Et inuocato brachio Regali executioni demandentur.

Iudicia etiam *ecclesiastica*, processusque *per censuras*, per iudices ecclesiasticos fieri; inuocatoque *auxilii brachii secularis*, ad effectum perduci continue debeant; modo, et ordine super his ab antiquo obseruato.

§. 1. Ita tamen; vt quo tempore *secularia iudicia* propter bella celebrari non possunt, etiam *ecclesiastica iura sileant.*

XIV. EIVSD. Decret. XIV. A. 1553. Art. 22. ibid. f. 457.

Ecclesiastica iudicia secundum canones continue iudicentur.

Iudicia etiam *spiritualia* continue *secundum canones, quibus ab antiquo Ecclesia vsa est*, continuentur, in omnibus causis *forum ecclesiasticum* concernentibus.

XV. EIVSD. Decret. XVIII. A. 1557. Art. 9. ibid. f. 481.

Ecclesiastica iudicia sine intermissione fiant.

Iudicia etiam *ecclesiastica in omnibus causis*, quae forum spirituale concernunt, sine intermissione per Vicarios Dominorum Praelatorum iuxta contenta priorum Articulorum, et constitutiones, more alias obseruato teneantur.

XVI. EIVSD. Decret. XIX. A. 1559. Art. 40. ibid. f. 491.

Iudicia ecclesiastica suum cursum habeant secundum Decreta MATTHIAE, *et* VLADISLAI *Regum Vngariae.*

Ecclesiastica quoque *iudicia*, in quibuscunque causis ad forum, et sedem spritualem pertinentibus, iuxta continentias Decretorum MATTHIAE, et VLADISLAI Regum, et aliorum quoque *per Vicarios Dominorum* Pralatorum continuo in terminis suis consuetis adiudicentur.

XVII. Ex Synodo Dioeces. Prouinc habita sub FERD. I. H R. et Nicolao Olàho A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. April. A. 1560. Cap. XXXIII. ap. PETERF. P. II. f. 119.

De violatoribus iurisdictionis Ecclesiae Strigoniensis. Querela iusta Archiepiscopi.

§. 1. Cum intelligamus quosdam Dominos territoriales, et seculares iudices, tum

tum aliorum locorum, tum maxime quarumdam ciuitatum noſtrae Dioeceſis : imo quosdam, quod magis damnabile eſt, eccleſiaſticos etiam viros, plebanos, et alios eccleſiarum Rectores, iura, priuilegia, ac ſpiritualem iurisdictionem ſanctae Eccleſiae Strigonienſis, de iure Communi, et laudabili quoque conſuetudine regni praeſcripta, eidem competentia, in eorum Comitatibus, et Parochiis temeraria quadam praeſumtione, et defacto impedire, vel potius in animarum ſuarum diſpendium annihilare, et quantum in ipſis eſt, adeo ſibi vſurpare: vt eos, qui cauſam aliquam agere volunt, ac ſua iura in noſtra metropolitana ſede proſequuntur, impedire, et ab earum proſecutione interdicere, et prohibere, modis omnibus ita ſtudeant, vt cauſantes in ipſorum damnum, et iurium Eccleſiae noſtrae violationem, et iniuriam a litibus, et huiusmodi cauſis ſuis ceſſare compellantur.

Quae cauſae ad forum eccleſiaſticum deferendae?

§. 2. Nos veſtigiis maiorum noſtrorum inhaerentes, noſtra, et praedictae ſedis noſtrae Strigonienſis priuilegia, iura, et iurisdictionem, cuius regimen, et gubernatio in ſpiritualibus, et temporalibus, praeuia nominatione regia, per ſanctam Sedem Apo-

ſtolicam nobis eſt conceſſa, nolentes negligere: praeſertim cum alios etiam ſubditos noſtros ſoleamus in ſua iuſtitia confouere, praeſenti ſynodali conſtitutione, iuxta SS. Patrum decreta, ſub infra ſcripta poena more anteceſſorum noſtrorum ſancimus, et ſtatuimus denuo, vt nullus inpoſterum, cuiuscunque ſtatus, aut gradus exiſtat, in Dioeceſis noſtrae ciuitatibus, locis, et iurisdictione poſt publicationem huius noſtrae conſtitutionis audeat in praeiudicium iurisdictionis noſtrae, ſeſe interponere, et in contentioſo iudicio de teſtamentis, dotalibus, quartis puellaribus, et aliis paraphernalibus rebus, de matrimoniis, vſuris, decimis, haereſibus, ſimoniis, adulteriis quoad ſeparationem, violatione Eccleſiarum, clericorum verberatione, et vulneratione, et aliis cauſis eccleſiaſticis ad Eccleſiae noſtrae cognitionem, tam de iure, quam antiqua, et laudabili regni conſuetudine pertinentibus, ſine noſtra, aut Vicarii noſtri generalis licentia, et ſpeciali commiſſione cognoſcere, vel iudicare: aut in illis iudicialiter ad impediendam iurisdictionem noſtram, ſeſe intromittere, aut immiſcere, nec aliquem ab actione, et in dicta Sede noſtra eccleſiaſtica cauſarum ſuarum proſequutione quouis modo deterrere, neque quiſpiam directe, vel indirecte, palam, vel occulte per ſe, vel

per

per alios vllo quaesito colore, et praetextu quempiam hominum cogere, et compellere praesumat, vt in foro seculari de praemissis causis, atque quaestionibus agatur; aut prohibere, quo minus in Sede nostra Strigoniensi, causantes omnes in his causis, quae, vt praemissum est, ad cognitionem eiusdem Sedis nostrae pertinent, iustitiam possint obtinere.

Censurae in violatores.

§. 3. Si quis vero contrafacere, ac contra iura, priuilegia, iurisdictionem, et immunitates nostras ecclesiasticas temerarie contrauenire, aut consilium, fauorem et auxilium dare praesumserit: excommunicationi nouerit se ipso facto subiacere; a qua nullatenus absoluatur, nisi tam Ecclesiae nostrae Strigoniensi praedictae, cuius iurisdictio fuerit impedita, seu vsurpata, quam parti, quae perturbata in prosequutione iuris sui fuerit, de iniuria, damnis, expensis, et interesse per eundem prius integre fuerit satisfactum.

Volumus autem praesentis constitutionis formam, et tenorem per Plebanos ciuitatum, et insignium locorum Dioecesis, et iurisdictionis nostrae in concione sua per se, vel per eorum concionatores, publicari,

et adnotatis teſtibus ſub eorum ſigillo, et manu propria de publicatione facta ad nos, vel Vicarium noſtrum referri. Hos autem, qui huiusmodi ſtatuto, et ſanctioni noſtrae contrauenerint, a die publicationis ſententiae praemiſſae obnoxios futuros declaramus. Quod ſi Parochi praemiſſa diligenter non fecerint, excommunicationis ſimiliter ſententiam incurrant.

XVIII. FERD. I. Imp. et R. Decret. XX. A. 1563. Art. 27. in Corp. I. H. Tom. I. f. 502.

Eccleſiaſtica iudicia ſecundum iura canonica iudicentur.

Iudicia ſimiliter *eccleſiaſtica* in ſuis de iure ſtatutis terminis *ſecundum iura canonica* ſemper iudicentur.

§. 1. Vt in vtroque foro, adminiſtratio iuſtitiae nemini deeſſe poſſit.

§. 2. Quemadmodum hoc ipſum, in priorum quoque annorum articulis fuit decretum.

XIX. MAXIMIL. Imp. et R. Decret. II. A. 1567. Art. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 528.

Eccleſiaſtica iudicia.

In foro etiam ſpirituali, et eccleſiaſtico prout antea ſuis modis, et temporibus, iudicia eo pertinentia iuxta canones ſuos ſemper celebrentur.

XX. RVDOLPHI Imp. et R. Decret. VII. A. 1596. Art. 55. in Corp. I. H. Tom. I. f. 597.

Decimas, et quartas ſoluere recuſantes citentur in forum ſpirituale, ibique ad eas reddendas iure compellantur: Et brachio Regali contumaces adigantur.

Poſtremo, quia dicuntur nonnulli, et ſignanter *Armales Nobiles*, *Decimas*, et Quartas Archiepiſcopatus, et aliarum perſonarum eccleſiaſticarum pro ſe vſurpare, aut plane ſoluere recuſare.

§. 1. Statutum eſt, vt tales Armales Nobiles Decimas, et Quartas ſoluere abnuentes, vel etiam alii, qui Decimas ſoluere ex antiqua regni conſuetudine obligantur, ad inſtantiam vel adminiſtratoris prouentuum Archiepiſcopatus, vel aliorum, qui Decimae, et Quartae Domini ſunt, non obſtante bellica expeditione *in forum ſpirituale citentur*, ibique ad reddendas eas iure compellantur.

§. 2. Sua vero Maieſtas Caeſarea in contumaces, *brachio ſuo Regio* (more antiquitus in foro eccleſiaſtico obſeruari ſolito) adeſſe velit, et *comitatus* etiam latas, et ibidem productas ſuperinde *ſententias exequi teneantur*.

XXI. FERD. II. Decret. III. A. 1630. Art. 13. in Corp. I. H. Tom. I. f. 749.

Mandata Declinatoria, in foro ſpirituali, quando non ſunt obſeruanda.

Occaſione ſuperabundantium mandatorum, ſtatuitur etiam *in cauſis fori ſpiritualis;* poſteaquam pars in cauſam adtracta, poſt receptionem parium, ad vlteriora proceſſit, atque in diſputationem ſe intromittendo deliberationem recepit; *mandatis Declinatoriis* nullo modo vti poſſit.

§. 1. Neque in tali cauſa, Domini Iudices Regni Ordinarii, eorumque Magiſtri Protonotarii, vel Secretarii, inſtantiis exponentium ſeſe ad elargienda Mandata Declinatoria induci patiantur.

§. 2. Sed nec ipſi Iudices fori ſpiritualis, poſt latas a parium receptione Deliberationes, eiuſmodi Declinatoriis mandatis, *ad transmiſſiones cauſarum obligentur.*

XXII. FERD. III. Decret. I. A. 1638. Art. 31. in Corp. I. H. Tom. I. f. 785.

Lites forenſes ad quas inſtantias ſedis aut fori adtrahi debeant.

Non absque aliquo cauſantium abuſu animaduertunt fieri Status, & Ordines; quod nonnulli ex Regnicolis, etiam in partibus Re-

Regni ſuperioribus degentes, per alios ſimiliter Regnicolas, obtentis Ordinariorum indultis per multas importunas ſollicitationes, vsque ad forum *Metropolitanae Eccleſiae Strigonienſis*, in litem pro prima inſtantia, adtrahuntur: Quorum cauſantium abuſui, relegatione inpoſterum cauſarum *ad forum primae inſtantiae*, ita vt illinc fiat ad ſuperiorem ſedem per viam adpellationis earundem cauſarum, prouocatio, obuiandum eſſe cenſetur: Quae autem in proceſſu eſſent, maneant iuxta eundem.

§. 1. *Declinatoriis* quoque Iudicum Regni Ordinariorum *mandatis*, in omnibus cauſis (*matrimonialibus* ſolummodo *exceptis*) iuxta Art. 70. Anni 1618. et 13. Anni 1630. locus detur.

§. 2. Capitula porro et Conuentus, Iudices etiam Comitatus, iuxta Art. 74. Anni 1609. §. antepen. *de pecuniis* tanquam *apud fideles manus depoſitis*, vigeſima ſaltem, idque ſemel pro ſemper, ſint contenti.

§. 3. Fidemque Articuli, prout et alii duo immediate antecedentes 72 et 73. ſuper *taxis literarum* emanati; inuiolabiliter obſeruentur.

§. 4. Vtque etiam *teſtamentis* quorumcunque decedentium, nonniſi *cum ſolennitatibus conſuetis*, emanatis, et emanandis, locus detur.

XXIII.

XXIII. EIVSD. Decret. II. A. 1647. Art. 15. ibid. f. 800.

De Caufis teftamentariis, praeter folennitatem teftamenti, in foro feculari diiudicandis. Mandatis fulminatoriis, ac declinatoriis.

Decernunt etiam Status, et Ordines Regni; vt Caufae *Teftamentariae*, factum bonorum mobilium, et immobilium, debitorum, ac aliorum fimilium negotiorum concernentes, in foro feculari ventilentur, et diiudicentur, iuxta Titulum 52. Part. 2 Tripartiti Salua duntaxat Reuifione *Solennitatis Teftamenti*, penes *forum Spirituale* remanente.

§. 1. *Fulminatoria* vero mandata, contra iudices feculares, in officiis procedentes expediri, iifdemque legitimi proceffus nullo modo inpofterum impediri poffint; et expedita, nullius fint vigoris.

§. 2. De mandatis porro *Declinatoriis*, ftrictiffime obferuetur Art. 70. Anni 1618. et 31. Anni 1638. Quibus, extra folas caufas Matrimoniales, *fub amiffione Beneficiorum*, locus detur: Quae etiam ex fuperabundanti cum Euocatione, Iudices Regni Ordinarii, eorundemque Magiftri Protonotarii, ad inftantiam Partium, ex debito officii ipforum extradere fint obligati.

§. 3.

§. 3. *Euangelicis* vero, de vigore Articuli, Anni 1680. ante Coronationem *ad primum* editi; in *Matrimonialibus* in vſu conſueto permanentibus.

XXIV. FERD. III. Decret. II. Art. 16. ibid. f. 801.

De cauſis, factum iurium poſſeſſionariorum: quorumcunque actuum potentiariorum, maiorum, et minorum: emendae linguae; et capitis: violationis ſedis: item dotum, rerum paraphernalium, quartalitiorum, decimarum, nec non caſuum, concernentibus; in foro ſeculari ventilandis.

Cauſae autem factum Iurium poſſeſſionariorum Vlad. Regis Decr. 3. Art. 62.

§. 1. Quorumcunque actuum potentiariorum *maiorum*; Tripartiti parte 2. Tit. 67. et 47. Vlad. Decret. 3. art. 8. et Decr. 4. art. 13. et *minorum*; Tripartiti partis 2. Tit. 67 et 47. Poſonienſ. 1609. art. 29 1613. art. 23.

§. 2. *Emendae linguae*; Trip. part. 2. Tit. 72. et A. 1635. art. 89.

§. 3. *Emendae Capitis*; Trip. part. 2. Tit. 42. 43. 44

§. 4. *Violationis ſedis*; etiam ex parte Clericorum emergentis. Trip. part. 2. Tit. 69. 1635. art. 89.

§. 5.

§. 5. Item *Dotum*; Vlad. Decret. 4. art. 16. et 1552. art. 28.

§. 6. Ac *rerum Paraphernalium* ; ibidem, in iisdem proxime citatis articulis.

§. 7. *Quartalitiorum*; Tyrnauienſ. 1545. art. 36.

§. 8. *Decimarum*; Poſonien. 1608. poſt Coronationem, art. 5. 1613. art. 19. 1635. art. 23.

§. 9. Nec non *Caſuum* ; Tit. 9. Decr. Trip. part. 1. ſpecificatorum; et aliae his ſimiles *profanae*, iuxta Vlad. Regis Decr. 3. art. 60. 61. et 62. ac Decr. Trip. part. 1. citato Titulo 9. et 12. Item 1609. art. 29. et 1613. art. 23. *in foro ſeculari ventilentur.*

§. 10. Vno enim, ac eodem Iuridico proceſſu, vna eademque lege, ac conſuetudine, vniuerſis Statibus et Ordinibus Regni vtendum eſt; Part. 1. Tit. 2.

§. 11. Et exceptis quibusdam caſibus, in Decreto Regni ſpecificatis; perſona Eccleſiaſtica, contra Secularem, et e conuerſo Secularis contra Eccleſiaſticam in omnibus cauſis aequali poenae, ac grauamini ſubiacet, eiusdem Decret. Tripartiti part. 2. Tit. 44.

TITVLVS II.

De foro competenti.

I. S. LADISLAI R. H. Decret. Lib. III. Cap. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 143.

De Iudicibus ſigillum mittentibus.

Poſſit Iudex ſigillum ſuum mittere ſuper quoscunque, exceptis Presbyteris, et Clericis, nec non Comitibus.

II. COLOMANNI R. Decret. L. I. cap. 5. in Corp. I. H. Tom. I. f. 145.

De citationibus Presbyterorum.

Epiſcoporum, et Comitum Capellani, vel reliquorum, per ſigillum Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi ad cauſandum cogantur.

III. EIVSD. Decret. Lib. cap. 6. eod. f.

De citationibus Presbyterorum, et Laicorum contra ſeſe.

Si vero Clericús cauſam habet cum Laico, per Iudicis ſigillum Laicus cogatur: Si vero Laicus habet cauſam cum Clerico, per ſigillum Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi, Cleri-

Clericus cogatur, ab eisque tanquam Iudice ſuo examinentur.

IV. EIVSD. Decret. Lib. eod. cap. 14. ibid. f. 146. et ap. PETERF. P. I. f. 42.

Quod Nullus Secularis Iudex Clerico det Sigillum.

Nullus praeſumat ſecularis Iudex Sigillum *Clerico dare.*

V. MATHIAE I. R. Decret. V. A. 1481. Art. 7. §. 2. in Corp. I. H. Tom. I. f. 232.

In leuibus cauſis vnumquemque ad ſuum Patronum remittant.

Et pro leuibus cauſis citationes non decernant, ſed vnumquemque ſiue ſecularium, ſiue laicorum ad ſuum *Patronum* remittant.

VI. VLADISL. II. R. Decret. III. ſiue Minoris A. 1498. Art. 60. in Corp. I. H. Tom. I. f. 303.

Cauſis in profanis nullus ad forum Spirituale citetur.

In cauſis ſeculare forum tangentibus neminem Regnicolarum Presbyteri, vel alii quicunque citare praeſumant ad *iudicium ſpirituale.*

§. I.

§. 1. Sed ſi ignobiles ſint citandi, in praeſentiam Domini terreſtris: Si vero Nobiles, in praeſentiam Comitis, vel Vice-Comitis, et Iudicum Nobilium illius Comitatus, in quo tales citandi commorantur, legitime requirantur.

VII. VLADISL. II. R. Decret. IV. A. 1550. Art. 33. in Corp. I. H. Tom. I. f. 313.

Ciues ciuitatum liberarum, in cauſis profanis ad Eccleſiaſticum Iudicem non citentur.

Articulus *ſexageſimus primus*: Quod in cauſis profanis nullus citetur ad iudicium ſpirituale, ſuo modo ſemper obſeruetur.

§. 1. Hic inſuper Articulus intelligatur etiam de Ciuibus Ciuitatum liberarum Regiae Maieſtatis, vt ipſi quoque in vniuerſis cauſis, inter ſeſe motis, et vertentibus, et non *ſpirituale forum*, ſed ſeculare iudicium concernentibus; non in alicuius Praelati, ſeu Vicarii, ſed in eorum Iudicis duntaxat praeſentiam citari poſſint.

VIII. EIVSD. Decret. Cap. 34. ibid. eod. f.

Fiſcales Eccleſiarum, ceſſare debere.

Item; quod *fiſcales* Eccleſiarum ceſſent, et in perpetuum aboleantur.

§. 1. In caufis autem, quae forum Ecclefiafticum, et quae feculare iudicium concernunt; iuxta formam huius decreti minoris quisque caufantium procedat.

IX. Ex Synodo Prouinc. habita fub FERD, III. C. H. R. et Emerico Lori Archiepifcopo Strigon. Tyrnauiae A. 1638. Cap. X. ap. PETERF. P. I. f. 372.

De foro iudiciali Dominorum Epifcoporum.

§. 1. Iudices caufarum in foro Dominorum Epifcoporum, Vicarii eorumdem in fpiritualibus generales effe confueuerunt; vnde etiam auditores caufarum nominantur. Hi vt periti fint in iure canonico, legibusque aliis, ac praefertim patriis, neceffarium eft, neque enim absque horum notitia caufarum adiudicatio expedita haberi poteft. Quapropter adhibeant omnem Domini Ordinarii operam, vt praedicti eorum Vicarii iuris fcientiae exornati habeantur, qui in tractandis, terminandis, ac definiendis caufis, aliorum quoque iuris peritorum confilio vti debebunt. Neque debebunt deeffe ex gremio Ecclefiae aliquot adfeffores, qui vna ad audiendas, ruminandas, ac decidendas caufas femper cum eo confideant, confultentque, ac deliberent in commune circa adlegata, difputata, producta, probata

cau-

caussantium, ac litigantium consilio suo maturo adiuuantes definitiuam sententiam ipsius Vicarii.

§. 2. Esse autem debet penes Vicarium praefatum, ad minus vnus iuratus Notarius, seu Actuarius, qui acta, et processus caussarum fideliter conscribat, ac Prothocolon horum diligenter, fidelissimeque adseruet. Qua in re, quia notabilem defectum sancta Synodus animaduertit, stricte praecipit Dominis Ordinariis, vt neglectum, qui in hac re hactenus existit, serio emendent, ac in suis processibus Ecclesiae metropolitanae sese conforment.

§. 3. Archiuum certe, in quo literarum monumenta quaeuis ad Ecclesiam pertinentia fideliter conseruentur, vt habeantur omnino e re est. Quocirca nullius Ordinarii, quin etiam aliorum Praelatorum Ecclesiae eo destituantur, diligenter erit curandum.

§. 4. Sacrum Concilium Tridentinum, vt litium, ac controuersiarum longiori protractioni obuietur, seuere cautum esse voluit, demandando hanc curam Concilio Prouinciali. Idcirco S. haec synodus monet Dominos Episcopos, eosdemque in Domino hortatur, vt diligenter inuigilent, ne caussae ac lites in eorum foro, vltra tempus a Concilio Tridentino praescriptum, protrahantur, irritatione totius adhibita, si secus fa-

ctum fuerit, absque legitima causa. Et quia Procuratorum variis, ac inutilibus exceptionibus protractio longior interuenire solet, eas quam diligentissime reprimi, et amputari mandent Domini Ordinarii.

§. 5. Adpellationibus non nisi a definitiua, vel definitiuae vim habente, vel cuius grauamen per adpellationem a definitiua reparari non potest, quatenus iura permittunt, deferatur, facta in tempore legitima adpellatione, extractisque intra fatales dies Apostolis, qui negari non debent.

§. 6. Taxae literarum, ac scripturarum conformentur taxis Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis; nonnulli enim abusus in hac parte irrepisse, quibusdam in locis perhibentur.

§. 7. Moderatio in salariis quoque adhibeatur Procuratorum, ne causantes nimium ab eis onerentur. Prouidendum etiam erit, ne ita aliquis procuratores omnes praeoccupet, vt litiganti ex aduerso non supersit procurator, qui eius causae defensioni praeesse possit. Imo miserabilium personarum intuitu ita erit res ordinanda, vt per vices earum causae agantur, ac defendantur per procuratores.

§. 8. In expensis quoque litium moderatio facienda est, ne praeter graues labores, ipsis quoque expensis nimium adgrauentur.

Qui

Qui in iudiciis diſceptant, quemadmodum victor ſuis legitimis expenſis fraudari minime debet, ita victus quoque vltra condignum expenſarum onere grauari haud debet.

§. 9. Solent nonnulli extortis per multas importunitates indultis Ordinariorum mediis praetermiſſis in ſuperiore ſede, ſuas cauſas frequenter ſolius vexationis cauſa mouere, quorum importunitati ne indulgeant Domini Ordinarii, ſerio admonentur: aliud eſſet, ſi grauis legitima, ac ineuitabilis neceſſitas indulta concedi ſuaderet.

X. Epiſtola Leopoldi I. C. et R. H. A. 1995. ad Emin. Card. de Goës data, eo cum effectu, vt Innocentio XII. PP. iubente Dom. Epiſcopus Apoſtolici Regis ſententiam rogare, et controuerſiae finem domi ſuae praeſtolari debuerit. apud Kollar. p. 272.

Regi Hungariae competit ius primo de cauſa, et lite cognoſcendi antequam ad Sedem Apoſtolicam adpelletur.

Leopoldus Dei Gratia etc. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Ioanni S. Petri in Monte Aureo, Presbytero Cardinali de Goës, Epiſcopo Gurcenſi, Nationis Germanicae apud S. Sedem Apoſtolicam Conprotectori, Amico noſtro chariſſimo: ſalutem et beneuolentiae noſtrae adfectum. Fidelis noſter Reuerendus Stepha-

nus Selisgenich, Episcopus Zagrabiensis, conquestus est Maiestati nostrae, qualiter Fidelis itidem noster alter, Reuerendus Nicolaus Plumbaeus, Episcopus Bosnensis certas Parochias ab antiquo semper ad Dioecesim Zagrabiensem spectantes inde abstrahere, et auellere, Dioecesique suae subiicere, et adunire cupiens; quamuis nos controuersiam hanc inter praefatos Episcopos adhuc tempore Praedecessoris moderni Zagrabiensis, per dictum Bosnensem motam, Authoritate Iuris nostri Apostolico-Regii, Archi-Episcopo eorumdem Metropolitano, accommodandam, et decidendam commisissemus, coram quo memoratus Zagrabiensis se sistere, iuraque, et priuilegia sua producere paratus esset: idem nihilominus Bosnensis praemissa hac legitima, et immediata instantia sua, in manifestum dicti Regni nostri Hungariae Priuilegiorum, legumque, quibus subiectus esset, praeiudicium, ac Maiestatis quoque nostrae Authoritatis, et iuris, quod in similibus quoque casibus, tanquam Rex Apostolicus haberemus laesionem, actu in curia Romana in eo laboraret, quatenus praefatus Episcopus Zagrabiensis iura, et priuilegia limitum Dioecesis suae, Romae producere debeat, sicque eidem non solummodo inanes, et graues expensas causare; verum a publici quoque boni, ser-

uitii-

uitiique nostri promptitudine, prout et necessaria Dioecesis illius in spiritualibus administratione, et instituendo, conseruandoque bono ordine, eundem auocare, et abstrahere vellet. Quia vero ex concessione Venerabilium Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, olim in Concilio Constantiensi constitutorum, praefatum Regnum nostrum Vngariae in eo priuilegiatum esse constat, ne vllus extra hoc Regnum ad iudicia authoritate literarum Apostolicarum, nisi cum causae aliquae, per adpellationem legitime fuerint ad Sedem Apostolicam deuolutae, adtrahantur; leges porro Regni seuerissime vetarent, ne vllus omnino Regnicolarum, siue sint Clerici, siue seculares, contra libertatem Regni, qua a tempore quondam sanctissimi Stephani Regis, illibate vtitur, quempiam ratione alicuius negotii in curiam Romanam citare praesumat, sed primum coram suo ordinario Dioecesano Archi-Episcopo, vel Episcopo, in causam conuenire, et cum eo iuridice procedere debeat: contrarium vero facientes, Beneficiati quidem praeter amissionem beneficiorum poena quoque captiuitatis puniendi sunt. Quapropter Reuerendissimam Paternitatem Vestram, amico cum adfectu duximus esse requirendam, quatenus memorato Episcopo Bosnensi (si

adhuc ibidem commoraretur , et praemiſſam incompetentem inſtantiam ſuam promoueret) intimari facere velit, vt eo facto a praedeclarata intentione ſua, tanquam Maieſtati noſtrae, legibus, et priuilegiis Regni, et ſacrae eiusdem Coronae ſumme praeiudicioſa, et derogatoria abſolute ſuperſedeat. Seque ad adminiſtrationem Epiſcopatus ſui, et concreditae ſibi Dioecefis illico conferat; ſecus namque nouerit ſe legibus Regni ſubiectum, poenae quoque in iisdem expreſſae, et ſuperius mentionatae obnoxium fore. Quod ſi vero, hac quoque Reuerendiſſimae Paternitatis Veſtrae, Nomine noſtro fienda commiſſione (quod non ſperamus) minus curata, intentionem, et inſtantiam ſuam importune vlterius etiam promotam iri vellet; pro ſua, qua plurimum pollet, authoritate, in eo ſedulo incumbere, ac noſtri quoque ob reſpectum, id omnino apud ſuam Sanctitatem efficere velit, vt idem Epiſcopus Boſnenſis, quoad praetenſam cauſam ſuam ad nos tanquam ad Regem Apoſtolicum per nos decidendam relegetur, et remittatur. Factura in eo Reuerendiſſima Paternitas Veſtra rem nobis ſumme gratam, ac per hoc inſperatas, ne fors, controuerſias auerſura. In reliquo eandem diu feliciter valere exoptantes, eidem Caeſareo, et Regio adfectu noſtro, ſemper propenſi

penſi manemus. Dabantur Viennae Auſtriae die 18vo menſis Iulii Anno Domini 1695.

TITVLVS III.

De libelli oblatione.

I. Conſtitutionum eccleſiaſticarum COLOMANNI R. H. editarum circa annum Chriſti 1103. Conſt. C. IV. alias V. ap. PETERF. P. I. f. 42.

De citationibus Presbyterorum.

Epiſcoporum, et Comitum capellani vel reliquorum per ſigillum Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ad cauſandum cogantur.

II. MATTHIAE I. Decret. V. A. 1481. Art. 17. in Corp. I. H. Tom. I. f. 232.

Citationes, et monitiones non generales, ſed expreſſis nominibus citandorum, ac expreſſa cauſa dentur ab eccleſiaſticis iudicibus.

Item, quot Praelati Eccleſiarum, et eorum Vicarii citationes, et monitiones generales non expreſſis illorum nominibus, contra quos huiusmodi citationes, et monitiones peterentur, dare non debeant: Neque etiam perſonas *laicas*, et *ſeculares*, pro

leuibus factis, et praesertim illis, quae ecclesiasticum forum non concernunt, aduocare.

§. 1. Sed cum citationes aliquas, vel etiam monitiones ad alicuius instantiam concedunt; expressis illorum citandorum, vel monendorum nominibus, et causis, pro quibus citari, vel moneri debent, concedant.

TITVLVS IV.

De mutuis petitionibus.

I. ALBERTI R. Decret. Vn. A. 1439. Art. 38. in Corp. I. H. Tom. I. f. 204.

De poenis, inter Ecclesiasticos, et Seculares impositis.

Item, quaecunque Ecclesiastica persona aliquem Nobilem, in praesentiam cuiuscunque Iudicis Ordinarii citauerit, vel euocauerit: Et, si idem Nobilis contra ipsam personam Ecclesiasticam, ordine iudiciario, in sententia conuictus fuerit.

§. 1. Tunc grauamina maiora incurrere non possit idem Nobilis, nisi *homagium suum*, scilicet *emendam capitis sui pretiosi*, eo modo, sicut ipsa Ecclesiastica persona.

§. 2.

§. 2 Et de damnis, tam ex parte Ecclesiasticarum, quam secularium personarum; iudex damnum patienti satisfactionem impendere teneatur.

II. MATTHIAE I. seu CORVINI R. Decret. II. A. 1464. Art. 14. in Corp. I. H. Tom. I. f. 219.

Ecclesiasticarum personarum, et secularium contra sese inuicem, agentium, aequalis mulcta.

Viri *seculares*, contra Viros *Ecclesiasticos*, in nullo facto, in lite seculari possunt magis adgrauari, quam Viri Ecclesiastici adgrauerentur, contra seculares.

III. EIVSD. Decret. VI. siue Maioris A. 1486. Art. 72. in Corp. I. H. Tom. I. f. 252.

Seculares personae contra ecclesiasticas in iudicis pari onere conuincantur.

Item quod seculares personae contra ecclesiasticas in iudicio in maiori onere non conuincantur; quam ecclesiasticae contra seculares conuincerentur.

IV. VLADISL. II. R. Decret. I. siue Maioris A. 1492. Art. 76. in Corp. I. H. Tom. I. f. 273.

Ecclesiasticarum, et Secularium personarum eadem poena in iudicio seculari.

Seculares personae, contra Ecclesiasticas personas, in quocunque iudicio, in

maiori

maiori onere non conuincantur; quam Ecclesiasticae contra seculares conuincerentur

TITVLVS V.

Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel sententiam definitiuam.

I. ANDREAE II. Decret. Vn. An. 1222. Art. 2. in Corp. I. H. Tom. I. f. 155.

Quod nemo condemnetur, nisi fuerit citatus.

Volumus etiam, quod nec Nos, nec posteri nostri, aliquo tempore seruientes capiant, vel destruant, fauore alicuius potentis: Nisi primo citati fuerint, et ordine iudiciario conuicti.

TITVLVS VI.

De iuramento calumniae.

I. MATTHIAE I. seu CORVINI R. Decret. V. A. 1481 Art. 17. §. 4. in. Corp. I. H. Tom. I. f. 232.

Exigatur iuramentum calumniae.

In decernenda tamen citatione, vel admonitione ab vnoquoque *iuramentum de calumnia* exigatur.

TITV-

TITVLVS VII.

De Feriis.

I. S. Stephani Decret. Lib. II. Cap. 7. in Corp. I. H. Tom. I. f. 128. et ap. PETERF. P. I. f. 8.

De obseruatione Dominicae diei, vt abstineatur a laboribus.

Si quis igitur *Presbyter*, *vel Comes*, siue aliqua alia persona fidelis, die Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur.

§. 1. Si vero cum *bobus*, tollatur sibi bos, et ciuibus ad manducandum detur.

§. 2. Si autem cum *equis*, tollatur equus, quem dominus boue redimat, si velit, et idem bos manducetur, vt dictum est.

§. 3. Si quis aliis *instrumentis*, tollantur instrumenta, et vestimenta, quae si velit cum cute redimat.

II. EIVSD. Decret. Cap. 8. ibid. eod. f.

Vt eadem die Dominica omnes concurrant ad Ecclesiam.

A Sacerdotibus vero, et Comitibus commendatur omnibus villicis ita, vt ipsorum iussu omnes concurrant die Dominica ad Ecclesiam, maiores, et minores, viri, et mulieres, exceptis illis, qui ignes custodiunt.

§. 1. Si quis vero obstinatus remanebit, ob negligentiam vapulet, et depiletur.

II.

II. S. LADISLAI. Decret. Lib. I. Cap. 12. in Corp. I. H. Tom. I. f. 135.

De celebratione Festiuitatum praedictarum

Si quis in his diebus *venatus* fuerit; canibus, et equo careat, sed equum boue redimat.

§. 1. Si vero Presbyter, aut Clericus fuerit venatus, ab ordine descendat vsque ad satisfactionem.

IV. EIVSD. Decret. Lib. eiusd. Cap. 15. ibid. f. 135.

De negligentia Festiuitatum ob negotiationem.

Si quis Dominicis diebus, vel in maioribus Festiuitatibus Ecclesiam negligens, mercatum frequentauerit, *equo* careat.

V. Eiusd. Decret. Cap. 16. ibid. eod. f.

De negligentia Dominicae diei.

Si quis die Dominica mercatum constituerit, praecipit S. Synodus, vt sicut construxit, ita destruat.

§. 1. Si autem quis renuit *quinquaginta quinque pensas soluat.*

VI. EIVSD. Decret. Lib. Cap. 26. ibid. eod.

De laboribus Iudaeorum in Festiuitatibus.

Si in die Dominico, aut aliis maioribus Festiuitatibus, Iudaeorum aliquem laborantem

tem aliquis inuenerit, ne ſcandalizetur Chriſtianitas, cum quibus inſtrumentis laborauerit, illa amittat.

VII. EIVSD. Decret. Lib. Cap. 38. ibid. f. 137.

De Sanctorum veneratione Feſtiuitatum.

Iſtae vero Feſtiuitates ſeruandae ſunt per annum. Natiuitas Domini, Sancti Stephani Proto-Martyris, Sancti Ioannis Euangeliſtae, Sanctorum Innocentum, Circumciſio Domini, Epiphania cum vigilia, Purificatio Sanctae Mariae, in Paſcha quatuor dies, Sancti Georgii Martyris, Philippi, et Iacobi cum vigilia, Inuentio Sanctae Crucis, Adſcenſio Domini, in Pentecoſte quatuor dies, Sancti Ioannis Baptiſtae, Petri, et Pauli Apoſtolorum vna die, Sancti Iacobi, Sancti Laurentii, Adſumptio Sanctae Mariae, Sancti Regis Stephani, Sancti Bartholomaei, Natiuitas Sanctae Mariae, Exaltatio Sanctae Crucis, Sancti Matthaei Apoſtoli, et Euangeliſtae, *Sancti Gerhardi Epiſcopi*, Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Simonis, et Iudae, Omnium Sanctorum, Sancti Emerici Ducis, Sancti Martini, Sancti Andreae, *Sancti Nicolai*, Sancti Thomae Apoſtoli, et vnaquaeque parochia ſuum Patronum, et dedicationem Eccleſiae celebret.

VIII.

VIII. Ex SYNOD. STRIGON. Nat. ſub COLOM. R. et Laurentio Archiepiſcpo Strigon. de An. IIII. Cap. II. ap. PETERF. P. I. f. 54.

De ſermone ad populum.

In omni Dominica die in maioribus Eccleſiis Evangelium, et Epiſtola exponantur populo, in minoribus vero fides, et oratio Dominica.

IX. EIVSD. SYNOD. ibid Cap. VIII. f. 55.

De annuis feſtis.

Si quis deſcriptas feſtiuitates non ſeruauerit, eadem lege, ſicut in praecedenti capitulo, iudicetur.

X. COLOMANNI R. Decret. Lib. II. Cap. 14. in Corp. I. H. Tom. I. f. 152.

De non celebrantibus Feſtiuitates.

Si quis deſcriptas Feſtiuitates non celebrauerit, ſic iudicetur in eum; vt ſi liber eſt, tribus diebus poeniteat: ſi ſeruus, ſeptem plagis mulctetur.

XI. ANDREAE II. Decret. A. 1222. Art. 1. in Corp. I. H. Tom. I. f. 155.

De ſolennitate Sancti Regis Stephani annuatim celebranda.

Statuimus, vt annuatim in Feſto Sancti Regis, niſi arduo negotio ingruente, vel infir-

infirmitate fuerimus prohibiti; Albae teneamur solennizare.

XII. MATTHIAE I. R. Decret. III. A. 1471. Art. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 220.

Dominicis diebus, et festis B. Virginis forum non celebretur.

Diebus dominicis, et in Festiuitate B. M. V. in hoc regno nostro, et eius partibus, nullum forum celebretur.

§. 1. Exceptis duntaxat (propter binas caussas) foris Dominorum Archiepiscopi Colocensis, et Episcopi Varadiensis, quae in bonis eorum celebrantur.

XIII. RVDOLPHI Imp. et R. Decret. IV. An. 1588. Art. 28. in Corp. I. H. Tom. I. f. 571.

De abolitione veteris Calendarii.

De *Calendario* etsi Status, et Ordines Regni mallent, vt *vetus Calendarium* a tot iam annis obseruatum, et cui se tam paupe- res, quam diuites longo vsu adcommodarant, in pristino suo statu permaneret; volentes tamen se, piae, et clementi suae Maiestatis admonitioni adcommodare, non refragantur quidem, vt deinceps *noui, et reformati Calendarii vsus sit.*

§. 1. Hoc tamen per expressum declaratum esse volunt; se illud, nullius alterius,

quam ſola, et vnica Regiae ſuae Maieſtatis auctoritate in productum admittere.

§. 2. Et maneant expeditiones, et iudicia, hactenus ſiue ſub nouo, ſiue ſub veteri Calendario factae, in ſuo vigore.

XIV. EIVSD. Decret. X. A. 1599. Art. 45. in Corp. I. H. Tom. I. f. 617.

Vſus veteris Calendarii, ſub poena mille florenorum Vngaricorum, penitus abrogatur.

Vt vſus *noui, et reformati Calendarii*, per omnes Regnicolas obſeruetur, veteris autem aboleatur, neceſſarium eſt.

§. 1. Cum autem vſum noui Calendarii potiſſimum *a quibusdam Concionatoribus* damnari, et interdici *inexiſtimatur*; ideo decretum eſt; vt ſi qui tales Concionatores publicae Conſtitutioni hac de re ſancitae, ſeſe opponentes, reperti fuerint; ii prouentus ſuos Eccleſiaſticos ſtatim, et de facto amittant.

§. 2. Ciuitates autem, et Domini terreſtres, ſi qui ſimiliter ſeſe eidem publico ſtatuto opponere auſi fuerint; ac *vetus Calendarium imprimi curare*, illoque vti comperti fuerint, puniat, ac mulctet eos ſua Maieſtas *in mille florenis*, toties, quoties contumaces fuerint.

XV. MATTHIAE II. Imp. et R. Decret. IV. A. 1618. Art. 70. in Corp. I. H. Tom. I. f. 704.

De caußis, ex ſede ſpirituali, ad mandata declinatoria, transmittendis: et temporibus, quibus ſedes ſpiritualis celebrari poſſit.

Quod quia hactenus in nonnullis *ſedibus ſpiritualibus* certi quidem abuſus irrepſerunt, quod videlicet cauſae *ad mandata* Iudicum Regni Ordinariorum *declinatoria* etiam ex ſuperabundanti emanata, minime fuiſſent tranſmiſſae, ac interdum tempore Meſſis, Belli, Vindemiaeque, denique Generalium Iudiciorum, et Comitiorum Regni, Iudicia celebrata fuiſſent; ad tollendos itaque eiusmodi abuſus, inpoſterum ad vniuerſae cauſae (demtis *matrimonialibus*) ad mandata declinatoria transmittantur, neque praeſcriptis temporibus ſedes quoque ſpirituales fiant.

XVI. Ex Synodo Dioeceſano Prou. habita ſub FERD. I. H. R. et Nicolao Oláho A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. Aprilis A. 1560. Cap. 26. ap. PETERF. P. II. f. 112.

De celebratione Feſtiuitatum Sanctorum, de Feſto SS. Corporis Chriſti, et dierum Rogationum.

§. 1. Quanto magis haeretici ſtudent populo Chriſtiano falſe, et impie ſuadere, ne feſta Sanctorum, Rogationum, et maxime Corporis Chriſti vlla ratione colant,

et celebrent, inique adſerentes, horribile id eſſe peccatum; tanto magis, maiorique cum deuotione, et pietate Chriſti, et Eccleſiae filii omnia illa feſta Martyrum, et alia, quae a diuis Patribus ſanctiſſime ſunt inſtituta, obſeruare tenentur.

Nam cum ex his, quae ſuperius in capite de Euchariſtia diximus, ſatis ſuperque conſtet: Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vere, ac realiter, quamdiu panis accidentia remanent, in hoſtia conſecrata eſſe, vereque ibi eum eſſe adorandum: hi certe ſathanica falſitate, ac haeretica prauitate infecti ſunt, qui vt haec ipſa negant, ita feſtum maxime Corporis Chriſti oderunt, deteſtanturque. Nos vero, qui Deum in hoſtia conſecrata vere, ac realiter, quemadmodum ſupra diximus, exiſtentem tota fide tenemus, et credimus, cur non eum ad populi excitandam deuotionem, atque pietatem circumferre debemus? Quare non adorabimus? Quid hic horribile eſt? imo id non agere, eſt horribile ſane, et ſceleratiſſimum. Cur deuotio, et auctoritas Eccleſiae ſanctae Catholicae haec inſtituere non potuit, vt in memoriam paſſionis ſuae, et ad excitandam, excolendamque populi deuotionem magna cum reuerentia, et ſolemnitate ſemel in anno circumferatur Corpus Domini, et Redemtoris noſtri? Nonne

Man-

Manna in arca foederis inclusa, quae sanctissimi huius Sacramenti figura erat, magno cum honore, reuerentia, atque tremore olim circumferebatur? Multo igitur praeclarius institutum est ab Ecclesia, et factum, vt arcae illius Dominus, sanctificaturus populum suum certo anni tempore magna cum reuerentia, et veneratione publice nunc quoque in memoriam passionis suae circumferatur?

Quod autem ad Rogationes, processiones, et lytanias adtinet, cur hinc frustra scandalizantur haeretici? Non est reuera contra Dei, et Christi Iesu honorem, vt proportionatus quidam honor Sanctis eius tribuatur, qui viua sunt eius membra, quique in aeterna vita, et gloria cum eo, tanquam Domino, et capite suo regnant. Neque enim Sancti aliter, quam fratres quidem nostri, sed veri Dei amici, ac domestici eius, inuocantur a nobis, aut honorantur: scimus etenim, solum Christum, auctorem, et mediatorem per se ipsum primarium nostrae redemtionis, et salutis esse; scimus eundem, aduocatum simul, et Dominum Reparatoremque, quae soli, simul iuncta competunt, nostrum esse, Patri suo super omnes dilectum; scimus datam eidem omnem potestatem in coelo, et in terra, scimus eum iudicem esse viuorum, et mortuorum. Verumtamen cum amicos eius, et membra,

ac fratres et patres noſtros interpellamus, vt a Chriſto Domino noſtro id impetrent, ne iudex potius noſter, merito ſeuerus, quam pius aduocatus, et pater, aut clementiſſimus Dominus eſſe velit, nulla profecto ei fit iniuria, maxime, quum in Sanctis ſuis ipſe laudetur. Rite igitur, ac merito in Eccleſia Catholica Sancti Dei tanquam interceſſionis, non abſoluti redemtionis mediatores inuocantur.

§. 2. Mandamus itaque Dominicos, et aliarum feſtiuitatum dies, ac eos praecipue, quae illis diſplicent, qui cauteriatam habentes conſcientiam, nominetenus, non re ſunt Chriſtiani, ſolenniſſime more maiorum noſtrorum obſeruari, cum omnibus etiam aliis, quas ſancta Mater Eccleſia Catholica, et Apoſtolica Romana, et noſtra Strigonienſis, iam inde a principio ſancte obſeruauit: Chriſti nempe, ac Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum eius iuxta deſcriptionem in fine harum conſtitutionum noſtrarum ſynodalium contentam. Cautum interim ſub excommunicationis poena eſſe volumus: ne aliquis ſanctis iis inuocationibus abutatur, neque ſacris iſtis temporibus multorum ſcandalo, ebrietatibus, commeſſationibus, inhoneſtis luſibus, et conuentibus ſeſe dedat. Non enim ſacris temporibus a ſeruili officio ex inſtituto Dei, et ſanctae Matris Eccle-

ſiae

ſiae, ſponſae ſuae ideo deſiſtitur, vt carnis deſideriis vacemus, atque ſtudeamus; ſed, vt Deus ſuper omnia benedictus cum Sanctis ſuis, hiſce ſolennitatum diebus, ſemotis omnibus carnis deſideriis ſanctius, et perfectius a nobis honoretur, et orationibus, pietatisque exercitiis tota mente operam nauemus.

TITVLVS VIII.

De cauſa poſſeſſionis, et proprietatis.

I. Lvdovici I. R. Decret. Vn. A. 1351. Art. 25. in Corp. I. H. Tom. I. f. 169.

Vniuerſae cauſae in facto poſſeſſionum, absque dilatione in tertio termino terminentur.

Vniuerſae cauſae in facto poſſeſſionum motae, vel mouendae, in tertio termino, absque dilatione, et prorogatione aliquali, terminentur.

II. Vladislai. II. R. Decret. III. ſiue Minoris A. 1498. Art. 62. in Corp. I. H. Tom. I. pag. 303.

Spirituales Iudices, factum iuris poſſeſſionarii non iudicent.

Si aliquis *Iudicum Spiritualium* quempiam Regnicolarum ratione iuris poſſeſſionarii coram ſe citauerit, et cauſam factum ipſius iuris poſſeſſionarii tangere agnoſcens, in huiusmodi cauſa ad vlteriora proceſſerit.

§. 1. Extunc, in aestimatione talis iuris possessionarii, coram *Iudicibus Regni Ordinariis* condemnetur.

TITVLVS IX.

Vt lite pendente nihil innouetur.

I. LVDOV. I. R. Articulorum nouiter conceptorum A. 1351. Art. 1. in Corp. I. H. Tom. I. f. 167.

Ecclesiastici Viri pendente lite, contra Nobiles, per censuras Ecclesiasticas, procedere non possunt.

Quod si Praelati, vel aliqui Viri Ecclesiastici, contra Nobiles Regni nostri, in aliqua causa in praesentia alicuius Iudicis Regni nostri processerint, et litem habuerint; tunc pro causa, pro qua agitur lite pendente, *interdictum* in eos ponere, vel contra ipsos *sententiam excommunicationis* non possunt promulgare (sicut hactenus vsi sunt, et consueti) absque scitu, et notitia Regiae Maiestatis.

§. 1. Et, si iidem Viri Ecclesiastici, seu Praelati *tramite iuris obseruato*, in alicuius Regii iudicis praesentiam de iure conuicti fuerint; tunc in eandem grauaminis poenam, qua eorum aduersarios intendebant adgrauare, incidant eo facto.

TITV-

TITVLVS X.

De sequestrationibus possessionum, et fructuum.

I. SIGISMVNDI Imp. et R. Decret. III. et eiusd. anni. 2. dum. A. 1405. Art. 2. in Corp. I. H. Tom. I. f. 185.

Arestrum quarumcunque rerum nullus propria auctoritate faciat, sub poena potentiae.

Porro nullus omnino hominum, cuiuscuius praeeminentiae, dignitatis, et conditionis existat in nostris Regalibus, et Reginalibus, seu Ecclesiarum, vel Nobilium possessionibus *pignora*, seu *vadia* pro quibuscunque factis aliquorum incolarum, seu *plebicolarum* nostrorum scilicet, et aliorum quorumcunque; eorum auctoritate mediante auferre, aut recipi facere valeat, neque possit.

§. 1. Horum contrarium facientes, *in facto potentiae* conuincantur.

TITVLVS XI.

De probationibus.

I. LVDOVICI R. Decret. Vn. A. 1351. Art. 20. in Corp. I. H. Tom. I. f. 169.

Ecclesiastici viri, cum tribus literis inquisitoriis possessiones adquirere non possunt.

Episcopi quoque, Capitula, Abbates, Conuentus, Praepositi, et ceterae possessionatae personae Ecclesiasticae, cum tribus literis inquisitoriis (nisi Regia Maiestas destinatis probis viris, quos maluerit, experiatur, et informetur; inter Nobiles, et Ecclesiasticos super possessionibus adquirendis) possessiones, nec requirere, nec retinere possint.

§. 1. Nisi cum literis priuilegialibus Regiis, vel Reginalibus, aut Iudicum vicem gerentium Regiae Maiestatis.

II. MATTHIAE I. seu CORV. Decret. VI. siue Maioris A. 1486. Art. 57. in Corp. I. H. Tom. I. f. 249.

Episcopi, Capitula, Abbates, Praepositi, et Personae Ecclesiasticae, more veteri, cum literis inquisitoriis, in adquirendis, et retinendis iuribus possessionariis procedere non possint: sed cum literis, priuilegiis, et instrumentis.

Vlterius; quod Episcopi, Capitula, Abbates, Conuentus, Praepositi, et ce-

terae

terae Eccleſiae poſſeſſionatae, cum *tribus literis inquiſitoriis* ſuper poſſeſſionibus adquirendis; niſi Regia Maieſtas deſtinatis probis viris, quos maluerit, experiatur, et informetur, inter Nobiles, et Eccleſias poſſeſſionem aliquam nec adquirere, nec retinere poſſint; niſi cum *literis priuilegialibus* Regiae Maieſtatis, aut Iudicum vices gerentium ſuae Maieſtatis.

§. 1. Prout haec omnia tempore quondam Sereniſſimi Domini Regis LVDOVICI decreta, et obſeruata fuiſſe dignoſcuntur.

III. EIVSD. Decret. VI. Art. 71. ibid. f. 252.

Priuilegia amiſſa adlegantes adteſtatione Nobilium citra ſexaginta annos factum probent.

Item concluſum eſt: Quod, ſi qui cuiuscunque conditionis, ſiue ſcilicet Eccleſiaſticae, ſiue ſaeculares perſonae exiſtant, cauſarentur priuilegia ſua, per *Turcos*, *Boëmos*, *Polonos*, *Theutones*, aut alios quoscunque hoſtes, et aemulos ablata, aut igne conſumta, et deperdita fuiſſe; vel etiam ſi quispiam Eccleſiaſticorum adlegaret, Eccleſiam ſuam apud manus laicales, prout nonnunquam factum eſt, diu tentam fuiſſe, et tunc per ipſos laicos iuribus, et priuilegiis ſpoliatam, vel aliter defraudatam fuiſſe; ſi tales ad *literariorum mandatum* Regiae

Maie-

Maiestatis, vel requisitionem aliorum Iudicum Ordinariorum, cum Nobilibus illius Comitatus, in quo bona illa, super quibus iura et priuilegia amissa causabantur, in rebus a sexaginta annis citra, ita actum esse comprobare poterunt; eiuscemodi comprobatio, et adtestatio Nobilium semper, et in omni iudicio pro principali, et capitali priuilegio teneatur, et reputetur.

IV. VLADISL. II. R. Decret. I. siue Maioris A. 1492. Art. 43. in Corp. I. H. Tom. I. f. 265.

De Capitulis, et Conuentibus, quales personae ad executiones emittantur? De iuramento Regii, et Capituli hominum: Poena falsae executionis, et hominis Regii nolentis ad executionem ire: ac de nominibus commentaneorum conscribendis.

Item; quia executiones Iudiciariarum deliberationum, in sede per Iudices Ordinarios fiendae, more semper consueto, per Regium et Capitulorum, vel conuentuum homines, fieri soleant.

§. 1. Ideo ad faciendum Inquisitiones, Admonitiones, Euocationes, Metarum Reambulationes, Reuisiones, communes Inquisitiones, et quascunque Statutiones, aliosque quoslibet iuridicos processus, cum hominibus, et testimoniis Capitularibus, et

Con-

Conuentualibus fieri ſolitos, quae communiter *Fidedignitates* vocantur; de Capitulis, et conuentibus perſonae, ſeu *homines ſimplices* non emittantur: ſed de ipſis Capitulis, *Canonici* ad minus, aut perſonae in beneficiis, et officiis conſtitutae; De conuentibus vero, *Monachi Conuentuales*, ſacerdotes deſtinentur.

§. 2. Qui quidem pro huiusmodi Teſtimoniis Capitularibus, vel Conuentualibus deputati, priusquam ad faciendum aliquas poſſeſſionarias ſtatutiones, metarum reambulationes, reuiſiones poſſeſſionarias, et communes inquiſitiones transmittantur, et procedant, iurare teneantur: Quod in eisdem factis, fideliter, et recte procedent, et veram relationem, ſeu faſſionem facient.

§. 3. Homines autem Regii, in praemiſſis procedentes, tempore reuiſionis eorum, ac faſſionis, ſeu relationis coram ipſis Capitulis, vel Conuentibus faciendae, ſimile iuramentum praeſtare teneantur.

§. 4. Quicunque autem contra ſuum iuramentum falſum proceſſum, vel falſam relationem feciſſe repertus fuerit; talis tanquam *falſarius*, *et periurus* poena amiſſionis beneficii ſui, ſi quod habuerit, puniatur.

§. 5.

§. 5. Et inſuper; ſiue beneficiatus, ſiue non beneficiatus exiſtat, *perpetuis carceribus* mancipetur.

§. 6. Homo vero Regius, ſi in praemiſſis poſſeſſionariis ſtatutionibus, metarum reambulationibus, aut reuiſionibus, ſiniſtre, vel falſe proceſſerit, in *facto periurii*, *poena capitis*, *ac amiſſione omnium bonorum* ſuorum conuincatur.

§. 7. Quicunque vero Nobilis per alium, ſeu alios quoscunque, mediantibus Regiis, aut aliis conſuetis literis, nomen ſuum continentibus pro homine Regio, cum Teſtimonio alicuius Capituli, vel conuentus requiſitus, onus huiusmodi proceſſus adſumere, et exequi recuſauerit; in *Birſagio* conſueto *ſex Marcarum*, ac expenſis requirendis per Comitem Parochialem indilate exigendis conuincatur eo facto.

§. 8. Statutiones autem poſſeſſionariae, reambulationes, et reuiſiones, aliter fieri non debeant; niſi vicinis, et commentaneis huiusmodi poſſeſſionum inibi legitime conuocatis.

§. 9. Et vt fraus, et dolus in talibus melius euitetur, nomina ſingulorum vicinorum, et commentaneorum tempore praemiſſorum proceſſuum illuc principaliter conuenientium, in literis Capitularibus, et Conuentualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur.

V.

V. EIVSD. Decret. Art. 44. ibid. f. 266.

In Conuentibus, quot personae sint, et quales? De potestate Praepositi, vel Abbatis in suos; et de modo extradandi literas ex Conuentibus.

Quia propter negligentiam Praepositorum Regularium, et Abbatum habentium sub se loca Conuentualia, sigillis testimonialibus vtentia, plurimi errores, et scandala quam plurima in emanationibus literarum fieri contingunt.

§. 1. Eo praesertim; quod ipsi Praepositi, et Abbates, parum Auctoritatis in Monachos suos sub se degentes, quantum ad conseruationem Sigilli habere dignoscuntur, patiunturque non tot personas, quot merito nomine Conuentus vti possent, sed longe pauciores, sub se degere. Illi vero in dispendium Regnicolarum sigillis eorum libere abutuntur.

§. 2. Ob hoc; vt talis praua abusio deinceps cesset, Regnicolisque tutior cautela praebeatur, conclusum, et ordinatum est; Quod de cetero ipsi Praepositi Regulares, et Abbates Sigilla testimonialia habentes, teneantur, et sint adstricti *decem*, vel *octo* Personas Religiosas, Sacerdotes illius Ordinis, vel ad minus *septem* et non pauciores, in eorum monasterio tenere, et conseruare,

et

et vna cum eisdem in emanationibus literarum ſolertem diligentiam adhibere.

§. 3. Vtque iidem Praepoſiti, et Abbates, liberius ſua auctoritate frui poſſint, ſtatutum eſt; Quod amodo deinceps, praedicti Monachi, vel fratres cuiuscunque Ordinis, ſigillis vtentes, ſub poteſtate et auctoritate ipſorum Praepoſitorum, et Abbatum ſuorum fore intelligantur, eosque iidem Praepoſiti, vel Abbates, iuxta eorum demerita, caſtigandi habeant facultatem.

§. 4. Ita; vt ſi quid erroris in emanationibus quarumcunque literarum fieri contingat, extunc Prior, et Cuſtos talis loci pro tali errore puniatur poena praenotata.

§. 5. Vt autem omnis ſuſpicio de cordibus dubitantium euellatur, placuit, vt nomina ipſorum Fratrum videlicet *Prioris*, et *cuſtodis* in fine quarumlibet literarum ante *data* earumdem, ſerioſius conſcribantur.

TITV-

TITVLVS XII.

De testibus, et adtestationibus.

I. S. STEPHANI R. Decret. Lib. II. Cap. III. in Corp. I. H. Tom. I. f. 127.

Quales debeant esse adcusatores, et testes? Et quod Laici Clericos adcusare non possint.

Testes autem, et adcusatores, sine aliqua sint infamia, vxores, et filios habentes, et omnino Christum praedicantes.

§. 1. Testimonium Laici aduersus Clericum nemo recipiat.

II. COLOMANNI R. Decret. Lib. I. Cap. 26. in Corp. I. H. Tom. I. f. 147.

De testibus confiteri debentibus ante adtestationem.

Si quis in testimonium adductus, alicuius veritatem, sua nititur adtestatione, probare, huius testimonium sic recipi iubemus, si praesertim sit confessus peccata sua Sacerdotibus. Si denique contrarium habeatur, et cautela sit veri testimonii per Sacerdotem in confessione, et mendacio culpae redemtio fiat cum possessione.

III. EX SYNODO STRIGON. Nat. ſub COLOMANNO R. et Laurentio A. E. Praeſide Cunone S. R. E. Card. Leg. Apoſt. A. 1111. Cap. LX. ap. PETERF. P. I. f. 61.

De teſtimoniis Clericorum.

Vt teſtes Clerici non ſint, niſi in teſtamento morientis, vel Sacramento, vel in iudicio.

IV. LVDOVICI R. Decret. Vn. A. 1351. Art. 21. in Corp. I. H. Tom. I. f. 169.

De teſtimoniis Capitulorum, et Conuentuum, et de ſalariis eorumdem.

Homines autem Capitulorum, ſeu Conuentuum, qui ex mandato Regio, pro teſtimonio ducuntur, non poſſint eſſe, niſi hi, qui dignitates habent, in eadem Eccleſia.

§. 1. Et ſi ipſius Capituli, vel Conuentus Teſtimonium, in equo ſuo proprio ductus fuerit; tunc per diem duos groſſos: ſi vero in equo ipſius Nobilis ducetur; tunc per diem, vnum groſſum ipſi, iidem Nobiles dare teneantur.

V. SIGISMVNDI Imp. et R. Decret. VI. ſiue Maioris A. 1435. Art. 8. in Corp. I. H. Tom. I. f. 195.

Capituli et Conuentus pro teſtimonio; quales perſonae emitti debeant.

Item ſtatuimus; quod ad faciendas Statutiones, Inquiſitiones, et Euocationes, et alios

alios quoscunque processus, cum hominibus, et testimoniis Capitularibus, et Conuentualibus fieri solitis (quae communiter *Fidedignitates* vocantur) de Capitulis, et Conuentibus *personae*, seu homines *simplices* non mittantur.

§. 1. Sed de ipsis Capitulis; *Canonici* ad minus autem personae in beneficiis, vel officiis constitutae: de Conuentibus vero; *Monachi Conuentuales*, *Sacerdotes* destinentur.

§. 2. Qui quidem pro huiusmodi testimoniis Capitularibus, et Conuentualibus deputati, priusquam ad faciendas aliquas possessionarias Statutiones, metarum reambulationes, reuisiones possessionarias, et communes inquisitiones transmittantur, et procedant; iurare teneantur; vt in eisdem factis, fideliter, et recte procedant, et veram relationem seu fassionem faciant.

§. 3. Homines autem Regii, in praemissis praecedentes, tempore reuersionis eorum, ac fassionis, seu relationis coram ipsis Capitulis, et Conuentibus fiendis, similiter iuramentum praestare teneantur.

§. 4. Quicunque autem contra suum iuramentum, falsum processum, vel falsam relationem fecisse, repertus fuerit; talis tanquam *falsarius* et *periurus* poena amissionis beneficii sui (si quod habuerit) puniatur: et

insuper, siue beneficiatus, siue non beneficiatus existat, perpetuis carceribus mancipetur.

§. 5. Homo vero Regius, si in praemissis possessionariis statutionibus, metarum reambulationibus, et reuisionibus sinistre, et false processerit, in facto periurii, poena capitis, et amissionis omnium bonorum suorum conuincatur.

§. 6. Quicunque vero Nobilis per alium, vel alios quoscunque mediantibus nostris Regiis, vel aliis consuetis literis, nomen suum continentibus, pro homine Regio, cum testimonio alicuius Capituli, vel Conuentus, requisitus, onus huiusmodi processus adsumere, et exequi recusauerit; in Birsagio consueto *trium marcarum*, per Comitem Parochialem indilate exigendarum, conuincatur eo facto.

VI. EIVSD. Decret. Art. 9. ibid. eod. f.

Vicinorum, et Commentaneorum nomina, in literis relatoriis Capituli conscribantur.

Statutiones autem possessionariae, metarum reambulationes, et reuisiones, aliter fieri non debeant; nisi vicinis, et commentaneis huiusmodi possessionum inibi legitime conuocatis.

§. 1.

§. 1. Et vt fraus, et dolus in talibus melius euitetur, nomina ſingulorum vicinorum, et commentaneorum tempore praemiſſorum proceſſuum, illuc principaliter conuenientium, in literis Capitularibus, et Conuentualibus, ſuperinde emanatis, ſeriatim conſcribantur.

VII. EIVSD. Decret. Art. 10. ibid. eod. f.

Literarum taxa: Et ſalarium fidedignitatum.

Et vt materia diſcordiae, ſuper facto redemtionis literarum Capitularium, et Conuentualium; nec non ſuper ſatisfactione viarum, ſeu laborum teſtimoniis Capitularibus, et Conuentualibus fienda, hactenus ſaepius ſuboriri conſueta, de cetero ceſſet, et ſuccidatur; praeſenti ordinatione antiquam tamen, et laudabilem conſuetudinem imitando.

§. 1. Statuimus, vt omnibus in locis, tam Capitularibus, quam Conuentualibus, pro qualibet litera *euocatoria*, per ſe videlicet Euocatoria prima, ſecunda, et tertia, in Capitulo, aut Conuentu ſimul cum eorum Notario, et ſcriptore, pro redemtione literae, recipiantur, ſeu ſoluantur ſinguli denarii *viginti quatuor* maioris monetae.

§. 2. *Item* pro qualibet litera *Proclamatoria* denarii centum.

§. 3. *Item* pro qualibet litera Procuratoria, denarii viginti quatuor.

§. 4. *Item* pro qualibet litera *Prohibitoria*, *Proteſtatoria*, et aliis ſimilibus, ſi patenter emanatur, denarii viginti quatuor; ſi vero clauſe, denarii duodecim.

§. 5. *Item* pro qualibet litera *Faſſionali*, emanata *priuilegialiter*, denarii centum; *Patenter* vero: denarii viginti quatuor; *Clauſè* autem, denarii duodecim.

§. 6. *Item*, pro qualibet litera *inquiſitoria*, ſiue patenti, ſiue clauſa, denarii viginti quatuor.

§. 7. *Item* de *paribus antiquarum literarum*, in Conſeruatorio requiſitarum, cuſtodi, ſeu requiſitori, per ſe denarii centum: Et pro redemtione literae requiſitae, ſi non habuerit multum de ſcriptura, et patenter confecta fuerit, denarii viginti quatuor: ſi vero labor ſcribendi fuerit magnus, et litera priuilegialiter confecta, denarii centum.

§. 8. *Item* de ſimplicibus transſcriptis, ſeu *tranſumtionalibus* literis patenter emanatis; vbi labor ſcribendi magnus non fuerit, denarii viginti quatuor; vbi autem litera fuerit prolixa, aut priuilegialiter emanata, denarii centum.

§. 9.

§. 9. *Item*, de litera Statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarii viginti quatuor. De literis vero *Statutionalibus perpetuis*, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redemtio literarum secundum quantitatem possessionis, et numerum sessionis modo subscripto: videlicet: de sessione vna, duabus, aut tribus, aut quatuor, in toto, denarii centum. Vbi autem fuerint vltra quatuor sessiones, vsque ad decem, pro qualibet sessione, denarii viginti quatuor. Vbi vero fuerint vltra decem, vsque ad viginti; de qualibet sessione denarii duodecim. Vbi vero fuerint vltra viginti, vsque ad centum, vsquequaque, de qualibet sessione, denarii octo.

§. 10. *Item* de literis *Reambulatoriis metalibus*, in quibus contradictio, et euocatio facta non fuerit; denarii viginti quatuor. In reambulationibus autem metalibus, in quibus simplex consignatio; vel cum hominibus Regiis, de Curia Regia, transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum reiectio, cum iuramento super terram, in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus, facta fuerit; pro redemtione literae denarii quadringenti. Vbi autem partibus, in huiusmodi reambulationibus, et demonstrationibus metalibus, discordantibus, Causa ad Curiam Regiam deducta fuerit, tunc

pro redemtione literarum talium, denarii ducenti.

§. 11. *Item de communi inquiſitione* ordine iudiciario commiſſa, denarii centum.

§. 12. *Item de occupationibus poſſeſſionum* hominum in ſententia capitali conuictorum, et rerum ablationibus, iudiciaria commiſſione mediante, fiendis, de rebus ablatis; ex antiqua conſuetudine, Capitulum habebit decimam partem: Pro redemtione autem literae; denarii centum.

§. 13. *Item de Reuiſione* poſſeſſionariae occupationis; denarii centum.

§. 14. *Item de Aeſtimationibus* poſſeſſionariis, iudiciaria commiſſione fiendis; denarii centum.

§. 15. *Item*, de poſſeſſionariis Diuiſionibus; de ſingulis poſſeſſionibus diuiſis, ſinguli denarii centum.

§. 16. *Item de expeditoriis* iuramentalibus: denarii viginti quatuor.

§. 17. *Item de expeditoriis* iuramentalibus continentibus nomina coniuratorum; denarii centum.

§. 18. *Item de Solutionibus* pecunialibus coram Capitulis, vel Conuentibus, vel eorum teſtimoniis fieri ſolitis; Capitulum, ſeu Conuentus *decimam* et *nonam* partem exigere non poſſint: niſi aliquando propter diſcordiam partium, in eorum Sacriſiis,

ſeu

ſeu Conſeruatorio, huiusmodi pecuniae depoſitae fuerint: de talibus nempe de iure, *decimam* et *nonam* partes recipere poſſunt: Ad illius tamen partis rationem; quae cauſam dederit, pecuniae huiusmodi in conſeruatorio reponendae.

§. 19. Perſonis autem Teſtimonialibus Capitulorum, et Conuentuum, pro ſingulis diebus, quibus in itinere Fidedignitatis proceſſerint; ſoluantur ſinguli *duodecim denarii maiores*, ſiue in propriis equis, ſiue in equis cauſantium ambulent, et ducantur: ita tamen, quod in victualibus, et expenſis cauſantium, et ipſos ad facta ſua conducentium, ſimul cum equis, et familia eorum, de domo, iterum in domum ſemper duci debeant, et reduci.

VIII. MATTHIAE I. ſiue CORVINI R. Decret. V. A. 1481. in Corp. I. H. Tom. I. f. 232.

Capitulorum et Conventuum de teſtimoniis, qui diſpoſito eis ſalario contentari nollent.

Item; quia in praeſenti Diaeta, ſeu conuentione plurimi Regnicolae conqueſti ſunt; quod Capitula, et Conuentus ſigillis vtentes, in emittendis eorum teſtimoniis, incolas Regni, vltra diſpoſitum eis ſalarium grauarent, et ad vota eorum taxarent.

§. 1. Conclusum itaque super his, et definitum est; quod Comitatus, in quo id deinceps fieri continget, Nobis Matthiae Regi praefato, rescribere sub firmo iuramento teneatur: Nosque tales inordinationes rectificare, atque eos, qui tales inordinationes temere committere praesumserint, *taliter punire, et castigare debeamus; quod ab eis ceteri exemplum capiant.*

IX. EIVSD. Decret. VI. A. 1486. Art. 10. ibid. f. 237.

Fidedignitates Capitulorum, et Conuentuum quales sint? Et de fideli executione, ac relatione eorum, poenaque delinquentium.

Item; quia per homines Capitulorum, et Conuentuum, qui pro testimoniis transmittuntur, pro fauore, pretio, dono, odio, timore, et complacentia, plurimae, et incredibiles enormitates, tam in fassionibus, quam etiam literarum emanationibus committi solent: Hoc vero ex eo potissimum fieri consueuit; quia non *Canonici* sed *Rectores altarium*, vel Capellani et frequenter etiam *Scholares*, et Mendicantes, et quidem tales ad executiones mittuntur, qui facillime corrumpi possunt.

§. 1. Idcirco, vt huic malo, debita prouisione occurratur, statutum est: quod in omni loco Capitulari, et Conuentuali teneann-

neantur Canonici, et Fratres in manibus Praelati, vel Vicarii sui iuramentum, de seruanda in executionibus iustitia, deponere: quodque deinceps nemo alius de Capitulo, nisi Canonicus; de Conuentu vero, nisi Frater in sacerdotio constitutus ad executiones mittantur.

§. 2. Hi vero seriatim transmitti debeant.

§. 3. Et quandocunque ab aliqua executione reuertuntur, quae executi sunt, sub iuramento referant.

§. 4. Pro via autem, et in redemtionibus literarum, teneatur ille modus et ordo, qui tempore quondam Domini SIGISMVNDI Imperatoris tentus fuit; et qui etiam in praesenti decreto inferius est declaratus.

§. 5. Cum autem pro aliqua euocatione, vel inquisitione facienda, vel alia quacunque re emittuntur; inquisitionem ipsam cum homine regio, qui bonus, et conscientiosus, atque bene possessionatus esse debebit, facere debeat, singillatim tam a Nobilibus, quam ignobilibus, et ab omnibus etiam aliis, quos habere poterit.

§. 6. Antequam tamen inquirat, strictissimum iuramentum ab eis exigere teneatur: quod quidquid ab eis interrogabit, fideliter, et veraciter confitebuntur.

§. 7.

§. 7. Poſtmodum vero nominatim, vnde ſcilicet ſint? Et ſi ignobiles fuerint; cuius ſunt Iobagiones? cuius etiam conditionis? Et item quod de re, de qua inquirit, quilibet ipſorum ſcire confitebitur de verbo ad verbum ſingulorum ſcilicet ad teſtationem ſcribere debeat, et teneatur.

§. 8. Si qui vero huiusmodi ordinationis transgreſſores reperti fuerint; tanquam *periuri* et *falſarii*, atque communis boni, communisque iuſtitiae proditores; eorum beneficiis eo facto priuati ſint, et habeantur. Et Praelati eorum, aliis illa conferre teneantur: Neque eis quoquo modo gratiam facere valeant.

X. EIVSD. Decret. Art. 11. ibid. eod. f.

Abbatias, et Praepoſituras Conuentuum Regularium, ſoli illius ordinis Religioſi teneant.

Item; quia propter incuriam et negligentiam Abbatum, et Praepoſitorum Regularium, potiſſimum vero conſtitutionem non obſeruantium, Conuentus eorum multum inordinate, diſſolute, et ſcandaloſe viuere; ac in emanationibus literarum, et in executionibus faciendis plurimas enormitates et falſitates committere ſolent.

§. 1. Idcirco de Regiae Maieſtatis voluntate, ac Dominorum Praelatorum, Baro-

ronum et Procerum, ceterorumque Regnicolarum communi confilio conclufum, et definitum eft; quodammodo *Abbatias et Praepofituras* Conuentuum Regularium, potiffimum vero figilla habentium, nulli alii nifi religiofi eius ordinis, cuius Abbatiae et Praepofiturae fuerint, tenere poffint.

§. 2. Quodque ipfi Abbates et Praepofiti, fimul cum omnibus eorum fratribus, regularem vitam, iuxta ordinis fui ftatuta, feruare teneantur.

XI. VLADISL. II. R. Decret. III. fiue Minoris. An. 1498. Art. 12. in Corp. I. H. Tom. I. f. 295.

Capitulum Bofznenfe, per totum Regnum exequutiones facere valeat.

De Capitulo Bofznenfe ftatutum eft: quod, ex quo eius Canonici totaliter deftructi effe dignofcuntur, pro reformatione Ecclefiae illius (quae in honorem *Sancti Petri* conftructa eft) habeant facultatem vbique per totum regnum, pro teftimonio capitulari ambulare: ad inftar Capituli Budenfis.

XII. EIVSD. Decret. Art. 13. ibid. eod. f.

Conuentum Praepofiturae de Saagh, in Comitatu Gemerienfi procedere poffe.

Quoniam Comitatus Gemerienfis, et ceteri Regnicolae illarum partium pro vtili-

litate publica, ſigillo conuentus *Eccleſiae de Saagh* carere non poſſunt.

§. 1. Pro eo ſtatutum eſt; vt poſſint in dicto Comitatu Gemerienſi in omnibus executionibus procedere.

XIII. CAROLI VI. Imp. et R. III. Decret. II. A. 1723. Art. 40. in Corp. I. H. Tom. II. f. 150.

De teſtimoniis Capitularibus, et Conuentualibus, ad executionem emittendis.

Pacificata iam tandem Vngaria, inſtauratisque ad formam immediate praecedentis articuli, in eodemque citatorum, et inſtaurandis Capitulis, et Conuentibus; pro faciliori, et minori cum ſumptu peragendarum quarumlibet executionum, celebrandarumque faſſionum commoditate (ſua Maieſtate ſacratiſſima clementer adnuente) decretum eſt.

§. 1. Vt ceſſante ratione, ob quam tenore articulorum 63. Anni 1550. et 39. Anni 1556. *Strigonienſi* et *Agrienſi* Capitulis; illi quidem per totum Regnum; huic autem in remotioribus Trans-Tybiſcanis partibus admiſſum fuiſſet executiones peragere; amodo vero deinceps, vt omnis fraus, et quorundam Regnicolarum tacita, in praeiudicium ad remotiora Capitula, et Conuentus ſubterfugia praecaueri poſſint; prae-

miſſa

missa Capitula et conuentus pro Regnicolarum commoditate, et necessitate, executiones et munia obligationum suarum in locis *Comitatibus proximioribus* ita et *Dioecesibus*, in quibus sita habentur, modalitate articuli praecedentis executiones faciant.

§. 2. Vsquedum *per Emendationem Legum*, *Classificatio Districtuum* elaborari valeat; et vbi, quod Capitulum, vel Conuentus procedat, superinde prouideatur.

TITVLVS XIII.

De fide Instrumentorum.

I. MATTHIAE I. seu CORVINI R. Decret. III. An. 1471. Art. 18. in Corp. I. H. Tom. I. f. 223.

Monasteria, quae sigillorum vsum habent, nullius praeterquam Regis iuri patronatus subsunt.

Item: quod Nos *ius patronatus* omnium Ecclesiarum, vel Monasteriorum sigilla habentium, auferamus ab omnibus, et pro Nobis retineamus.

§. 1. Quia multae incommoditates eueniunt ab eis regno, et regnicolis, quod suas portiones fouent, et sigillo suo, in fauorem illorum libere vti non possunt.

II.

II. Eivsd. Decret. Art. 22. ibid. f. eod.

Redemtiones literarum, et executiones fidedignitatum fiant secundum decretum SIGISMVNDI.

Capitula, et conuentus in redemtione literarum, et executionibus viarum obseruent illum modum, qui in praefato decreto quondam Domini Sigismvndi Regis continetur.

§. 1. Vbi si ille modus non obseruaretur, et superinde comprobatio per attestationes Nobilium illius comitatus per modum *communis inquisitionis*, siue *congregationis generalis* facta, dari possit, contra facientes sua amittant beneficia.

III. Vladisl. II. R. Decret. I. siue Maioris Anni 1492. Art. 77. in Corp. I. H. Tom. I. f. 273.

Ecclesiasticae personae cum inquisitoriis literis nec adquirunt possessiones, nec retinent.

Item; quod Episcopi, Capitula, Abbates, Conuentus, et Praepositi, ac ceterae ecclesiasticae personae possessionatae cum *tribus literis inquisitoriis* in adquirendis possionibus inter Nobiles, et Ecclesias aliquam possessionem nec adquirere, neque retinere possint.

IV.

IV. EIVSD. Decret. Art. 96. ibid. f. 278.

De transumtis literarum in Capitulis, et Conuentibus.

Super literis in locis Capitularibus, et Conuentualibus, et interdum in curia etiam noſtra extra octauas tranſumtis, et *exemplatis* ac tandem huiusmodi tranſumtis in iudicio a parte contra partem productis, multoties parte illa, contra quam producuntur, impugnante, diſceptationes variae, et exinde de earum viribus dubietates oriuntur.

§. 1. Ad excludendum igitur, et tollendum diſceptationes, et dubietates huiusmodi ſtatutum eſt, et decretum; quod ſiue huiusmodi literae in dictis locis capitularibus, et conuentualibus vigore quarumcunque literarum praeceptoriarum, ſiue autem in dicta curia noſtra ſub noſtro ſecreto, vel iudiciali, aut alterius cuiuscunque iudicis ordinarii ſigillo extra terminos octauarum tranſumtae, et *exemplatae* exiſtant, quando per aliquam partem ipſa tranſumta in iudicio producuntur, altera parte eadem tranſumta impugnante, et eis fidem non adhibente teneatur pars producens ad verificandum huiusmodi tranſumta, originales literas exhibere.

V. EIVSD. Decret. III. siue minoris An. 1498. Art. 14. ibid. f. 295.

Literas falsas in Capitulis obsignantium poena.

De *falsariis*, qui in Capitulis, vel conuentibus literas falsas obsignant; vt *stigma sigilli igniti* in frontibus, et vtraque facie omnium Capitularium, seu conuentualium, qui tempore falsificationis talia agentes interferunt, iuratur.

VI. RVDOLPHI Imp. et R. Decret. IV. A. 1588. Art. 46. in Corp. I. H. Tom. I. f. 574.

Renouetur sigillum Capituli Castriferrei.

Item quia *sigillum Capituli Castriferrei* longo vsu, et vetustate attritum esse perhibetur, statuendum esse censetur, vt nihil de nouo conficiant, siue in argento, siue in aere, vt ipsi Capitulo visum fuerit: ita tamen, vt illud vetus in Conuentu ipsius Comitatus Castriferrei productum in praesentia omnium disrumpatur.

§. 1. Quia vero *Protocolon* Abbatiarum *Zalavár*, et *Kapornak* cum literis ibidem seruatis in Capitulum Castriferrei conseruandi gratia deportatum fuit; teneatur dem Capitulum Castriferrei, legitimis *praeceptoriis literis*, ad partium instantiam requi-

quiſitum, ea, quae illinc habentur, reinuenire, et ſub ſigillo more ſolito extradare; interim donec DEO volente ipſi conuentus reſtaurari poterunt.

§. 2. Vel conferat ſua Maieſtas vtramque Abbatiam benemeritae ſpirituali perſonae, quae eius *conſeruatorii curam* gerere poſſit.

Propoſitionum Georgii Lippay Archiepiſcopi Strigonienſis in Synodo Dioeceſana Tyrnauiae A. 1658. Propoſ. XI. ap. PETERF. P. II. f. 389.

Quid in Archiuo Eccleſiaſtico conſignari debeat.

Archiuum Eccleſiaſticum haberi deberet, in quo adſeruarentur omnium beneficiatorum, et officiorum commoda, prouentus, pagi, et decimae. Nam cum libri pereant ſaepe, ingens inde ſentit detrimentum Eccleſia. Videatur ergo, vbi, per quos, quomodo confici debeat, et qualiter quisque teneatur conſignationem mittere ad cuſtodes Archiui? In eo autem Archiuo conſignari debet ſtatus Eccleſiarum tam quoad ſpiritualia, quam temporalia: Vrbaria, Statuta, Parochiae etc. Ex Camera quoque ſuae Maieſtatis peti poſſet ſubſidium.

TITVLVS XIV.

De iureiurando.

I. S. STEPHANI R. Decret. Lib. II. Cap. 15. in Corp. I. H. Tom. I. f. 129.

De periuriis.

Si quis *Valentium*, fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confractus, periurio addictus inuenietur; *perdita manu* periurium luat, aut *quinquaginta iuuencis* manum redimat.

II. SIGISMVNDI Imp. et R. Decreti VI. siue Maioris A. 1435. Art. 1. in Corp. I. H. Tom. I. f. 192.

De iudicibus ordinariis, et eorum iuramento.

Primo quidem, vt omnis ſcrupuloſa ſuſpicio, quae contra iudices, et iuſtitiarios ipſius regni noſtri de fauore, vel odio, aut quoquo modo concipi poſſet, de cordibus quorumlibet penitus remoueatur, et tollatur.

§. 1. Statuimus; vt ſemper ſucceſſiuis temporibus omnes, et ſinguli iudices, et iuſtitiarii dicti regni noſtri tam eccleſiaſtici, quam ſeculares, qui videlicet in Pa-

lati-

latinum, Iudicem Curiae Regiae, Magistrum Tauernicorum Regalium, Cancellarium, aut Vice-Cancellarium Regalem, in Proto-Notarium, et Vice-Gerentem Iudicum praetactorum, ac etiam Adſeſſores eorumdem in iudicio; in Waywodam partium Tranſiluanienſium, Comitem Siculorum, Banum regnorum Dalmatiae, et Croatiae, Banum Sclauoniae, Banum Machouiae, ac Comites quorumlibet Comitatuum et Iudices Nobilium eligentur, adſumentur; eorumque in iudicatu Vice-Gerentes, ſubſtituti, et Adſeſſores, tempore receptionis eorundem ad huiusmodi honores, et officia, adminiſtrationis iudicii, et iuſtitiae, in manibus noſtris regiis, vel deputatorum a Nobis, iuramantum praeſtare teneantur, per formam verborum infra ſcriptorum videlicet ſic:

§. 2. Ego T. iuro per DEVM, et per Glorioſam DEI Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos, et Electos DEI: quod omnibus, et ſingulis coram me cauſantibus, absque cuiusuis perſonae, diuitis ſcilicet, et pauperis acceptione, omnibusque prece, praemio, fauore, amore, et odio, poſtpoſitis, et remotis, prout ſcilicet ſecundum DEVM, et eius iuſtitiam faciendum cognouero, iuſtum, et verum iudicium, et iuſtitiam faciam meo pro poſ-

ſe. Sic me Devs adiuuet, et Beata Virgo Maria, et hoc ſignum viviſicae Crucis, Domini Noſtri Iesv Christi.

III. Vladislai II. R. Decret. I. ſiue Maioris An. 1492. Art. 33. in fin. in Corp. I. H. Tom. I. f. 264. vid. etiam Matthiae I. Decret. VI. Art. 72. in f.

Iuramentum Iudicum Regni.

Ego T. iuro per Deum viuum, et glorioſam Dei Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos, et Electos Dei, quod omnibus coram me cauſantibus, et in omni negotio, quod ad officium meum pertinebit, absque cuiusuis perſonae, diuitis ſcilicet, et pauperis acceptione, prece, praemio, fauore, timore, odio, amore, et complacentia remotis et poſtpoſitis, prout ſecundum Devm, et eius iuſtitiam faciendum cognouero, iuſtum, et verum iudicium, et iuſtitiam, atque executionem in omnibus rebus, pro meo poſſe faciam: Sic me Deus adiuuet, et omnes Sancti.

§. 1. Hoc declarato; quod Palatinus, poſtquam eligitur, coram regnicolis iuramentum in forma praeſcripta manifeſte praeſtare teneatur.

IV.

IV. FERD. I. Imp. et R. Decret. XII. A. 1550. Art. 64. in Corp. I. H. Tom. I. f. 440.

Archiepiſcopi Strigonienſis, et Prioris de Löwöld priuilegium, vt per officiales iuramentum praeſtent, obſeruetur.

Ceterum, quod ad priuilegia adtinet, quae olim *Archi-Epiſcopis Strigonienſibus*, ac *Prioribus de Löwöld* pro tempore conſtitutis, certisque aliis in Regno, per Diuos Reges dicuntur eſſe conceſſa; quibus priuilegiis eximuntur ipſimet a praeſtando iuramento, cum iudicialiter eis imponitur, permittiturque eis, vt loco ſui Officiales ipſorum poſſint iurare.

§. 1. Cum Domini Praelati, ac Barones cum Dominis Nobilibus ſuper hoc Articulo non conuenirent, ſed communi deliberatione, parique conſenſu ad arbitrium Regiae Maieſtatis negotium integrum eſſet reiectum.

§. 2. Tandem ſtatutum eſt per ſuam Maieſtatem, et per Ordines Regni admiſſum; vt priuilegia ipſa, ſecundum eorum tenorem, in ſuo veteri, et priſtino maneant vigore, habeanturque rata, et firmiter obſeruentur in omne tempus.

V. Ex Synodo Nationali celebrata ſub FERD. II. C. H. R. et Petro Pazmany S. R. E. Card. A. E. Strigon. Tyrnauiae 23. Aprilis A. 1633. ap. PETERF. P. II. f. 331.

Formula iuramenti a Parochis voce, et ſcripto faciendi.

Ego N. N. Parochus Eccleſiae N. N. iuro per Deum viuum, Beatiſſimam Virginem Mariam, et omnes Sanctos, et electos Dei, quod Reuerendiſſimo Domino Ordinario meo, eiuſque ſucceſſoribus legitimis, nec non Vicario generali pro tempore conſtituto fideliter obediens ero, et ſanctae Matris Eccleſiae praedicti Ordinarii mei N. N. ac ſucceſſorum, Vicariique pro tempore conſtituti mandatis parebo, praedictaeque parochialis Eccleſiae in ſpiritualibus, et temporalibus, ac in diuinis bene, et laudabiliter deſeruiam, oneraque ipſius Eccleſiae debitae ſupportabo, iuraque Cathedralia, ac Archidiaconalia perſoluens terras, domos, et alias poſſeſſiones, iuraque praeadnotatae Eccleſiae Parochialis manutenebo, et defendam pro poſſe, nihilque, quod ad Eccleſiam dictam pertineat, alienabo, vendam, ſeu diſtraham; ſed alienata, diſtracta, vel vendita, ad ius, et proprietatem dictae Parochialis Eccleſiae reducam pro poſſe, et reduci procurabo. Item quod

Ec-

Ecclesiam praefatam parochialem sine licentia praefati Ordinarii mei, successorumque eiusdem, vel Vicarii generalis pro tempore constituti non permutabo, nec deseram. Sic me Deus adiuuet, et haec sancta Dei Euangelia, quae corporaliter, ac manibus tango.

VI. Caroli VI. Imp. et R. III. Decret. II. A. 1723. Art. 39. in f. in Corp. I. H. Tom. II. f. 150.

Iuramentum Capitularium, et Conuentualium Personarum.

Ego T. iuro per Deum Viuum, et eiusdem Sanctissimam Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos, et Electos Dei; quod Ego in omnibus Executionibus et in omni negotio, quod ad officium meum Capitulare, vel Conuentuale, Fidedignitatemque Capitularem, vel Conuentualem pertinebit, absque cuiusuis Personae, Diuitis scilicet, et Pauperis acceptatione, omnibusque prece, praemio, fauore, amore, timore, odio, et complacentia postpositis, et remotis; tam in Capitulo, vel conuentu, quam etiam in Partibus extra Capitulum vel Conuentum peragendis; fidelem Executionem, et Relationem faciam; Legibusque Patriis, de Fidedignitate Capitulorum, et Conuentuum, Capitularibusque, et Con-

uentualibus Perſonis, Eorumdemque Officio, hactenus ſtatutis, et ſtatuendis me adcommodabo: Easdemque, et antiquas in expediendo adprobatas Conſuetudines obſeruabo: Sic me deus adiuuet, et Sancta Dei Euangelia.

VII. Eivsd. Decret. ibid. eod. f.

Iuramentum Regiorum, Palatinalium, Banalium, et Archi-Epiſcopalium Hominum poſt Executionem deponendum.

Ego T. iuro per Deum viuum, et eiusdem Genitricem Virginem Mariam, et per omnes Sanctos, et electos Dei: quod ego in executione, et negotio mihi vigore praeſentium commiſſo, absque cuiusuis perſonae, diuitis ſcilicet, et pauperis acceptione; omnibusque prece, praemio, fauore, amore, timore, odio, et complacentia poſtpoſitis, et remotis, fideliter proceſſi; prout res facta, et executa eſt; aeque fideliter refero: Sic me Deus adiuuet, et Sancta Dei Euangelia.

VIII. Eivsd. Decret. Art. 43. in f. ibid. f. 152.

Formula Iuramenti pro Archi-Abbate et Conuentus eiusdem, ac aliorum, Priore, vel Praepoſito.

Ego T. Sacri Montis Pannoniae Sancti Martini, Ordinis S. Benedicti Archi Abbas:

bas: quandoquidem ſua Sacratiſſima Caeſarea, et Regia Maieſtate benigne adnuente, Conuentus Sancti Martini Sacri Montis Pannoniae, per inclytos Status, et Ordines Regni, Partiumque eidem adnexarum in praeſenti generali regni Diaeta congregatos rurſus ad Fidedignitatem conuentualem antehac exercitam, ſed iniuria temporum intermiſſam readſumtus, et priori conuentuali Fidedignitati articulariter reſtitutus eſſet.

§. 1. Ob hoc iuro per DEVM viuum, Beatiſſimam Virginem MARIAM, et per omnes Sanctos, et Electos Dei; quod vniuerſa, et quaelibet acta, coram me, ac eodem Conuentu, et Teſtimoniis eiusdem fidedignis, per quoscunque celebranda, *iuſte, et fideliter* excipiam; improtocolari, et conſeruari faciam.

§. 2. Eademque, et talia, modo praeuio, in quacunque demum materia ſeu ſucceſſiue celebranda, ſeu iam ab olim in eodem Conuentu celebrata, et reperibilia; iuſte, vere, et genuine, ſine vlla prorſus diminutione, vel augmento aliquali, Partibus *celebrantibus*, aliisque intereſſatis, etiam ad Mandata ſuae Maieſtatis Sacratiſſimae, et Iudicum Regni ordinariorum, perque eorumdem Magiſtros Protonotarios experiri ſolita extradabo ſub ſigillo eiusdem conuentus antiquo, et vſitato; ex conſenſu Suae

Ma-

Maieſtatis Sacratiſſimae, Inclytorumque Statuum, et Ordinum Regni renouato, quod nunquam immutabo, fideliterque conſeruabo.

§. 3. Denique in omnibus executionibus, et Regni Functionibus, et Fidei meae, et dicti Conuentus Fidedignitatibus commiſſis, et committendis; in ipſo Conuentu, vel in Partibus, peragendis; absque cuiusuis perſonae diuitis ſcilicet, et pauperis acceptione, omnibusque prece, praemio, fauore, amore, timore, odio, et complacentia poſtpoſitis, et remotis fidelem executionem, et relationem faciam.

§. 4. Et legibus Patriis, de Fidedignitate Capitulorum, et Conuentuum; Capitularibusque, et Conuentualibus perſonis, eorumdemque officio hactenus ſtatutis, et inpoſterum ſtatuendis me adcommodabo.

§. 5. Easdemque, et antiquas in expediendo adprobatas conſuetudines obſeruare, et per conſtituendum (et ſemper adiurandum) iuratum Notarium obſeruari facere obligabor.

§. 6. Et ſi quae acta publica, vel priuatorum inſtrumenta in aliis credibilibus locis ab olim emanata, in Archiuo dictae Archi-Abbatiae reperientur: eadem et talia, iuxta Suae Maieſtatis Sacratiſſimae, Inclytorumque ſtatuum, et ordinum diſpoſitionem

nem perſonis ad id deputatis fideliter reſignabo.

§. 7. Sic me Deus adiuuet, et Sancta Dei Euangelia.

TITVLVS XV.

De ſententia, et re iudicata.

I. FERD. I. Imp. et R. Decret. VII. A. 1543. Art. 29. in Corp. I. H. Tom. I. f. 388.

Capitularium teſtimoniorum defenſio, et executio ſententiae neglectae.

Ex quo ſuperiori celebratione iudiciorum plurimae cauſae proceſſu iuris cognitae, et pleraeque etiam deciſae executione careant.

§. 1. Videtur, vt huiusmodi adiudicationes, et ſententiae executioni demandentur, debeantque Domini Capitanei teſtimonia Capitulorum, et conuentuum defendere, vt tuto ad executiones proficiſci queant.

§. 2. Quodſi tamen caſu, vel aliquo rationabili impedimento obſtante, literae aliquae ſententionales, hoc tempore executioni demandari non poſſent; nihilominus in ſuo vigore permaneant, quoad ſuo tempore executioni demandari non poſſent; nihilominus in ſuo vigore permaneant, quoad ſuo tempore executionem ſortiri poſſint.

§. 3.

§. 3. *Capitula* vero, et *conuentus* ab antiquo obſeruato more, teſtimonia ſua ad executiones mittere debeant.

II. EIVSD. Decret. XI. A. 1548. Art. 67. ibid. f. 427.

Literarum taxa, et ſalarium fidedignitatum.

Capitula, et *conuentus*, dum ad executionem exeunt; non plus, quam *denarios duodecim* pro itinere vnius diei exigant: Quemadmodum etiam antea fuit concluſum, ſub poena amiſſionis beneficii.

§. 1. Redemtio autem literarum, fiat iuxta antiqua decreta.

III. EIVSD. Decret. XIV. A. 1553. Art. 41. ibid. f. 450.

Capitula, vel conuentus niſi ad minus quinque perſonas eccleſiaſticas habuerint, executiones facere non poſſint.

Statutum eſt praeterea, vt in *Conuentibus*, vel *capitulis*, vbicunque ad minus *quinque perſonae eccleſiaſticae* non fuerint, ad executiones exire, et ea aliaue, quae officiorum eorum ſunt, in negotiis publicis regni adminiſtrandis gerere non poſſint.

§. 1. Sed *capitula* illa, in quibus complures morantur Presbyteri, vbique *ad loca propinquiora procedere*, in executionemque

que exire possint; ne propterea, in executione iustitiae defectus contingat.

IV. EIVSD. Decret. XVII. A. 1556. Art. 39. ibid. f 476.

Strigoniensis Ecclesiae Capitulum per totum Regnum executiones peragat.

Praeterea cum amisso superioribus annis *Strigonio* cum *Alba Regali*, aliisque nonnullis locis, supplicatum fuisset ab Ordinibus, et Statibus regni, Sacrae Regiae Maiestati, vt in tanta paucitate Conuentuum, et Capitulorum, a quibus executiones iudiciariae in regno fieri possunt, concedere dignaretur; quo Capitulum Strigoniense, quod nunc *Tyrnauiae* residet, in omnes regni partes procedere, et executiones facere possit, Sacra Maiestas sua ad supplicationem fidelium suorum clementer adnuerat, literis suis Regiis superinde emanatis.

§. 1. A quo quidem tempore Capitulares ipsi iuxta commissiones Regias, iudicumque Ordinariorum in omnibus regni partibus ad limites vsque Transiluaniae processerunt; in bonisque tam Regiae Maiestatis, quam aliorum executiones fecerunt, et literas de more superinde extradiderunt.

§. 2. Sed quia in Articulos eius temporis, aut vllius postmodum Diaetae, adnuentia

nuentia huiusmodi vndecunque hactenus inſcripta non fuit, ne vel Maieſtas ſua, vel Ordines, ac Status, futuris vnquam temporibus aliquid detrimenti ex eo pati poſſint, iuſtum, et neceſſarium eſſe, imo publicum commodum concernere viſum eſt, vt praedicta Regia adnuentia, publicusque in eam conſenſus in praeſentis Diaetae Articulos inſcribatur, omnibusque proceſſibus, et executionibus quibusuis, per dictum *Capitulum Strigonienſe* in bonis regiis, vel alterius cuiusuis factis, et inpoſterum fiendis, literisque ſuperinde ab ipſo Capitulo emanatis, vel emanandis, *vigor*, et *perpetua firmitas* detur, omniaque ſupradicta rata, atque firma habeantur.

V. RVDOLPHI Imp. et R. Decret. IV. A. 1588. Art. 45. in Corp. I. H. Tom. I. f. 574.

Item conqueruntur partium ſuperiorum ciuitates liberae, quod ſaepe ad quamlibet Capitaneorum voluntatem, et commiſſionem, inſurgere coguntur, vbi poſtea vel ad foſſarum cauationem, vel piſcationes, aliasque ſimiles Capitaneorum proprias operas adhibentur.

§. 1. Quae res cum eis iniurioſa ſit, ſupplicant ſuae Maieſtati, vt ad inſurrectionem non compellantur, niſi quando Comitatus, et Nobilitas inſurgit.

§. 2.

§. 2. Item ſtatuitur, vt in cauſis ſpiritualibus *brachia Regalia* deinceps Comes, Vice-Comes, ac ſupremi Capitanei exequantur; niſi legitimum aliquod impedimentum obſtiterit.

VI. CAROLI VI. Imp. et R. III. Decret. II. A. 1723. Art. 39. in Corp. I. H. Tom. II. f. 149.

De Capitulis, et Conuentibus eorumdemque officio, et Perſonis adhibendis.

Ad auertendos quoscunque in *Expeditionibus Capitularibus*, et *Conuentualibus*, hactenus quoque in nonnullis *locis credibilibus* obſeruatos defectus, ſtatuitur:

§. 1. Vt pro *Iudiciariis Executionibus*, aliisque in Articulo 43. et 44. Vladislai Regis Decreti I. denotatis *Functionibus*, peragendis; ad Capitula *idoneae perſonae* iuxta Articulum 67. Vladislai Decreti 3. adſumantur.

§. 2. Quae *ad tenorem Legum* Regni exmittantur.

§. 3. Eiusmodique *Exmiſſio*, Mandato Executionali, eum in finem ad locum credibilem directo; *Annus*, item, *Dies*, *et Menſis* cum Exmiſſorum *nominibus* ſuperinſcribatur; et per alias duas Capitulares, vel Conuentuales perſonas ſubſcribatur;

§. 4 Et ita exmiſſi, ad *Praeſciptum Legum* procedant.

§. 5. Ac vt *Conuentus*, praemiſſas, iisdemque vigore praedictarum Legum competentes *Functiones* praeuio modo peragendas, obire valeant; ad minus *quinque Perſonas*, ſenſu articuli 41. Anni 1552. (aeque ad *publica Regni* in praemiſſis Articulis denotata *Seruitia* idoneas) intertenere obligantur;

§. 6. Secus, Dioeceſanus loci, vel Archi-Epiſcopus, eiusdem Perſonas ſupplere; et de Eorundem Subſiſtentia (inſtar aliorum Conuentualium) de Bonis talis Conuentus prouidere poſſit.

§. 7. Qui *Capitulares* et *Conuentuales* vna cum Praelato, ſeu Superiore, *Iuramentum* ſolitum deponere; et tenore Articuli 50. Anni 1559. nec non 10. Matthiae Regis Decreti 6. *ſub eodem*; Omnes omnino, cuiuscunque demum ſpeciei Executiones peragere; Et in *inquiſitionibus* de verbo, ad verbum ſingulorum Atteſtationem ſcribere; earumdemque *Relationes* de ſcientia facere teneantur;

§. 8. Quae *per Notarium*, aut Capitulorum, vel Conuentuum iuratum inprotocolentur.

§. 9. Vniuerſae demum *Expeditiones* in Capitulis, et Conuentibus conſeruandae; praeter Referentes, etiam per *Lectorem*, aut eodem abſente, vel in Conuentibus non exi-

existente; per *aliam Capitularem Personam*, vel vero Conuentuum *Superiorem;* non secus, et *authentice* extradendae, cum Nominis proprii adpositione subscribuntur.

§. 10. Ac in omnibus eiusmodi *Expeditionibus* sensu praecitati Articuli 44. Vladislai Decreti I. *Nomina Capitularium et Fratrum Conuentualium*, in fine quarumlibet Literarum a modo deinceps semper inserantur.

§. 11. Et, si easdem expeditiones *in voculis* quibusdam *corrigi* contingeret; per subscribentem huiusmodi *correctae voculae* specifice denotentur.

§. 12. Et antequam extradentur, coram *Capitulo*, vel *Conuentu* omnes expeditiones perlegantur.

§. 13. *Regii* pariter, et *Palatinales*, ac *Banales;* in Statutionibus vero *Bonorum Praedialium*, per Archi-Episcopos, et Episcopos conferri solitorum, etiam *Archi- et Episcopales* Homines; vniuersas Relationes, aeque *sub Corporali Iuramento*, coram *locis fidedignis* facere, easque cum specificatione *Anni*, *Diei*, et *Mensis* propriis manibus subscribere obligentur.

§. 14. Ita subscriptae; rursus ad minus duarum Capitularium, vel Conuentualium Personarum subscriptione *roborari;* et taliter in Archiuum reponi debebunt.

TITVLVS XVI.

De adpellationibus, recuſationibus, et relationibus.

I. MATTHIAE I. ſeu Coruini R. Decret. III. A. 1471. Art. 19. in Corp. I. H. Tom. I. f. 223.

Romam conqueſtum nemo vadat, ſed cauſam coram ſuo Dioeceſano incboet: Hinc per viam adpellationis Romam deducat, ſub poena capitis.

Item quod nullus penitus regnicolarum, ſiue ſint *Clerici*, ſiue *Seculares*, contra *libertatem Regni*, qua a tempore quondam Sanctiſſimi STEPHANI Regis illibate vtitur, directe omiſſo medio *conqueſtum* a Curia Romana contra quempiam impetrare poſſit.

§ 1. Sed quilibet prius hic in regno coram ſuis iudicibus ordinariis ius ſuum proſequatur: Et ita tandem ſi voluerit, per viam adpellationis cauſam ſuam introducat.

III. Eiuſd. DECRET. VI. ſiue Maioris A. 1486. Art. 45. ibid. f. 247.

Romana in Curia ratione decimarum, aut aliorum negotiorum nemo cauſam mouere praeſumat: Et Rex cauſas decimarum, cum agitur de poſſeſſorio iure, diſcutiat.

Ceterum ordinatum eſt. Quod deinceps nemo omnino regnicolarum neque pro

deci-

decimis, neque pro aliis quibuscunque rebus (prout inferius clarius tangetur) ſub poenis ibidem inferius expreſſis, in dicta curia Romana litigare praeſumat.

§. 1. Si qui autem Dominorum Praelatorum, aut aliae eccleſiaſticae perſonae cum quibuſcunque regnicolis, aut e contra vel ratione executionis vel etiam ſuper eo; vtrum iuſte, et integre decimae eis ſolui debeant? vel alio quocunque modo ſuper decimis, aut etiam aliis rebus quibuſcunque lites mouere, vel motas proſequi voluerint; id eis coram Regia Maieſtate libere, ſed nuſquam alias liceat: Quae ex ſuſcepti regiminis officio vnicuique iuxta adlegata, ac adprobata, quod iuſtum fuerit, decernere habebit.

§. 2. Hoc tamen per expreſſum declarato: Quod cauſas decimarum, non alii *Iudices*, *regni*, niſi ſola Regia Maieſtas perſonaliter ſemper diſcutere poſſit, et valeat.

III. VLADISL. II. R. Decret. II. A. 1495. Art. 10. in Corp. I. H. Tom. I. f. 285.

Archiepiſcopis, aut Vicariis eorum, neglectis Dioeceſanis, nemo in prima inſtantia cauſam moueat, ſed per adpellationem ad eos deducat.

Ad Articulum quadrageſimum quintum iſtud additum eſt:

§. 1. Quod ſicut de adpellationibus ad

Curiam Romanam, et *Legatos* ibidem ſancitum eſt; ita quoque de Dominis Archiepiſcopis in hoc regno exiſtentibus is Articulus intelligatur.

§. 2. Quod nullus omnino hominum, per ſimplicem querelam, niſi per viam adpellationis, de Dioeceſi aliquorum Dominorum Praelatorum cauſam ſuam in praeſentiam eorumdem deducere poſſit.

§. 3. Hoc quoque non praetermiſſo: Quod, ſi quipiam praeſcriptum Articulum ſimul cum praeſenti tranſgredi auſi fuerint; tales ab actione ſua, et adquiſitione decidant: Et inſuper in *quadraginta florenis auri*, per Comitem, vel Vice-Comitem, et Iudices Nobilium irremiſſibiliter exigendis contra partem alteram aduerſam pro expenſis conuincantur, ſi tantas res habuerint: alioquin in perſona detineantur, et vſque debitam emendam caſtigentur.

§. 4. Cauſas vero, quae nunc in praeſentia Reuerendiſſimi Domini *Vrſi*, *de Vrſinis*, *Legati* verterentur, ipſi actores in praeſentiam iudicis eorum ordinarii reducere teneantur.

IV. Eiusd. Decret. III. ſiue Minoris A. 1498. Art. 63. in Corp. I. H. Tom. I. f. 303.

Cauſae ad Sedem Apoſtolicam per adpellationem tantum, et non per querimoniam deducantur.

Quia ex conceſſione Venerabilium Epiſco-

ſcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum, Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium olim in Concilio Conſtantienſi conſtitutorum, Regnum hoc in eo priuilegiatum eſſe conſtat.

§. 1. Quod nullus extrahatur extra iſtud Regnum ad iudicia, auctoritate literarum Apſtolicarum, niſi cum cauſae aliquae per adpellationem legitime fuerint ad Sedem Apoſtolicam deuolutae.

§. 2. Sunt autem plures, qui contra libertates huiusmodi complures Regnicolas tam ſpirituales quam ſeculares vigore conqueſtuum turbant, et moleſtant.

§. 3. Quare ſtatutum eſt (prout etiam in decreto maiori continetur) quod nullus extra Regnum iſtud, niſi per viam adpellationis extrahatur.

§. 4. Portatores autem conqueſtuum, ſiue ſint ſpirituales, ſiue ſeculares, ſiue Religioſi, captiuentur, et manibus Regiae Maieſtatis praeſententur, ad turrim mancam pro infligenda illis poena inponendi.

§. 5. Quia autem ſunt nonnulli, qui exemtionis priuilegio a Sede Apoſtolica gaudentes, nequeant coram iudicibus ſpiritualibus, in hoc Regno commorantibus adtrahi in litem; vt contra tales, huiuſmodi conqueſtus, ſiue reſcripta Apoſtolica libere adportentur.

§. 6. Extra tamen hoc Regnum vigore

re

re ipsius, non aliter; nisi modo praemisso, per adpellationem extrahantur.

V. FERD. I. Imp. et R. Decret. XIX. A. 1559. Art. 50. in Corp. I. H. Tom. I. f. 493.

Relationes executionum in Capitulis, et conuentibus per fidedignos, et homines regios, sub iuramento semper referri debent, et sic in literis adnotari. Et quod haec constitutio praeteritis non praeiudicet.

Quoniam in executionibus multae fraudes committi solent; eo, quod relationes in Capitulo, vel conuentu per *hominem regium*, et *testimonium Capituli, vel conuentuale* secus plerumque, quam ipsa executio peracta est, fiant.

§. 1. Statutum est, vt iuxta continentias Decreti inposterum semper *relationes ipsae*, quarumcunque executionum per ipsos hominem regium, et testimonium Capituli, siue conuentus *sub iuramento referantur*, atque in *literis* quoque *relatoriis* semper specificetur: *quod talis relatio sub iuramento fuerit facta.*

§. 2. Haec tamen constitutio executionibus hactenus vsque sine iuramento relatis, derogare non debeat.

§. 3. Quod si vero Capitulum ipsum vel conuentus iuramentum modo praemissi exigere negligeret, puniatur: Et ipsa executio sine iuramenti depositione relata vana sit, et irrita.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Riegger, Paul Josef von,

Specimen corporis iuris eccles. regni Hungariae Mit Porträt

Vindobona 1768

J.can.u. 176 a
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10548109-1
VD18 14690888-001